ANTONII CELLADEI

SEV R^mi. P. MICHAELIS DE ELIZALDE
Societatis Iesu Echalarrensis, primum in Hispania, deindè in Collegio Romano Theologiæ Professoris, & in Provincia Neapolitana studiorum præfecti, atque in Curia in Congregatione pro Immaculata Conceptione, atque in aliis
REGII THEOLOGI,

DE RECTA

DOCTRINA MORUM.

PARS TERTIA

Divisa in duos Libros, nempe septimum & octavum,

VII. Est de Invenibilitate veritatis Moralis, & de ignorantiis in specie.

VIII. De Modis inveniendi veritatem Moralem, seu de Gladio misso in Terram à Salvatore.

Cum Indicibus Quæstionum, & Paragraphorum præstantissimis.

Nunc primùm in lucem prodit.



FRIBURGI,
APUD DAVIDEM IRBISCH.
M. DC. LXXXIV.



INDEX QUÆSTIONUM, ET PARAGRAPHORVM,

Quæ in hac tertia parte continentur.

LIBER SEPTIMVS

DE

INVENIBILITATE VERITATIS MORALIS, Et de ignorantiis in specie.

QUÆSTIO I.

QUÆSTIO II.

QUÆSTIO III.

QUÆSTIO IV.

Refi-

QUÆSTIO

INDEX QUÆSTIONUM ET PARAGRAPHORUM.

FINIS INDICIS.



LIBER SEPTIMUS

DE

INVENIBILITATE VERITATIS MORALIS

ET

DE IGNORANTIIS IN SPECIE.



OSTQUAM de ignorantiis, earumque tot perjudiciis, atque de Magistrorum ad veritatem obligatione constitutum est, consequitur, ut de hac veritate inquiramus & universim, & in particulari, utrum, sit invenibilis; frustra enim fuisset ignorantiæ malum lugere tantopere, frustra Magistros tam actuose ad verum obligare, si verum interea ipsum inveniri nequiret: ubi etiam de ignorantiis in specie, & quasi ratione materiæ tractandum est.

Illud tamen primum monere oportet ex plurimorum sensu & existimatione, differre hæc duo, veritatem scilicet inveniri posse, & ejus ignorantiam esse vincibilem, quæ etiam culpæ tribuatur; aiunt siquidem, eam hoc pacto ignorantiam esse vincibilem quam removere vel impedire non modo possumus, sed debemus etiam. Quod licet examinandam à nobis sit paulo inferius, his tamen prioribus libri hujus quæstionibus transmittimus in quibus voce invenibilitatis utemur, & dum veritatem ferme omnem inveniri posse differemus, nihil determinamus, an etiam invenire teneamur; nihil proinde statuimus, an ignorantia quæque vincibilis & noxia futura sit: sed erit huic quoque articulo & quæstioni locus suus. Quo animadverso, quod valdè annotatum esse nostra interest, ab Academicis Ordiamur, necesse est.

QUÆST. I.

Quænam fuerit Academicorum secta de in-invenibilitate Veritatis præcipue vero moralis? & de ejus falsitate.

EGimus alias in Academicos ex Augustino, & Aristotele: nunc ex ipsis ferme Academicis in Academiam dicere Consilium est. Tot scilicet, tanta quæ Jullius Assertor & ipse magnus Academiæ Academicar. quæst. lib. 4. Quasi à lucullo perorata recenset, ut numquam arbitretur contra Academiam dictum esse subtilius: & rursus, me, catule, oratio Luculli de ipsa re ita movit, ut docti hominis, & copiosi, & parati, & nihil prætereuntis eorum, quæ pro illa causa dici possent; vere enim Copiosa, fortis, & acuta oratio fuit. Neque vero vel omnia, vel plurima persequemur, sed quod dogma fuerit, quæ illius in genere fundamenta; atque vide præcipue evertendum sit, exactè, sed quam potero breviter tractandum est.

§. I.

Quod fuerit dogma Academicorum?

PRæterco Authores commemorare Academiæ, multas quæ natas subinde differentias iis contentus, quæ potissima, & quæ omnibus fermè academicis Communia fuere, & ad seriem doctrinæ nostræ conferunt.

Primum itaque inventionem veri perceptionem, comprehensionem veri: aliquando etiam assensionem vocabant. Illa vero accepta omnibus erat perceptionis, comprehensionisque à Zenone consignata definitio, visum impressum, effictumque, ex eo, unde esset, quale esse non posset ex eo, unde non esset. Quod ut clarius idiomate jam magis nostro habeas, perinde erat, atque repræsentatio objecti, quæ ita sit à vero, qualis nequeat esse à falso. Arbitrabantur enim vera valde falsis finitima, nec ullam nobis notam superesse, sic veris propriam, quæ falsis congruere non posset.

Hinc Cicero totum dogma ad quatuor capita revocat, è quibus primum est, inquit, esse aliquid visum falsum: Secundum, non posse id percipi: tertium, inter quæ via (seu apparentia) nihil interfit, fieri non posse, ut alia percipi possint, alia non possint: quartum nullum esse visum verum à sensu profectum, cui non appositum sit visum aliud, quod ab eo nihil intersit, quodque percipi non possit; quia scilicet est visus seu apparentia falsi; falsum autem non percipitur, & de quarto, ait, pugnam omnem esse: in eo totum Academiæ dogma locatum; in eo enim illud clauditur, nihil scilicet percipi, comprehendi nihil plane posse nihilque sciri.

Hujus autem placiti, dogmatisve causas, fundamentaque depromebant tum ex sensuum, ex quibus scientia omnis nasci videtur, obviis

erroribus, tum universim ex falsorum continuis illusionibus, effictisque visibus, quibus eludimur. Neque enim in solis sensibus hærebant, & quasi continebant dogma; Ut enim de sensibus hesterno sermone vidistis, inquit Luculus, idem faciunt de reliquis, in singulis quæ rebus, quas in minima dispertiunt, volunt efficere, his omnibus visa sint (mente scilicet) veris adjuncta esse falsa quæ à veris nihil differant.

De sensuum primum erroribus multa lib. 1. Academ. quæst. disseruntur Sam. lib. 4. prætermittit Tullius tantora illa de infracto sub aquis remo, de coloribus colli columbæ: maneant, inquit, hæc, omnia: & post alia sic disserit, vides ne navem illam? stare nobis videtur: an his qui in navi sunt, moveri hæc villa. Major a fortasse quæris. Quid potest esse sole majus? quem mathematici, &c. quantulus nobis videtur? mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem putabat, minorem etiam eum esse, quam videatur, sed non multo. Quam celer deinde ejus motus? & nobis quiescere videtur: index item horologii, cum moveatur continue, hærere videtur prorsus immotus; unde & pueri, quando trochus velocissime, voluitur, eum dormire dicunt: & uno verbo velocissimi, tardissimique motus idem pæne in multis sensus, & visus est: hinc Cardinali Cusano occasio multorum subtilium discursuum, & æternitatem Dei per motum quemdam infinitum exponendi; nam motus infinitus motus necessario infinita etiam quies est, ut acute disserit.

Neque vero nodos expedituri videmur dicendo solem v. c. videri exiguum; alia similiter videri parva propter distantiam. Nam opponent, magis nos forte propinquitatem fallere, nam scimus quidem, res, quo propinquiores, eo majores in quadam distantia; quo autem remotiores, eo videri minores: at unde sciamus, quæ re ipsa illæ sint, num quantæ de longinquo, num potius quantæ de proximo videantur? Alsis illas sensibus experti haud sumus: quod si ad mentem appellaverim; mens, aiunt non aliunde, ex sensibus ea novit: forte ergo nec quantum de proximo, nec quantæ eminus videntur, sed prorsus aliæ sint.

Omitto de sensibus alia quæ moverunt, quod idem sibi aliis sint jucundi, aliis insipidi; alia pecoribus, alia lupis, alia homini placeant; & sic etiam sana, & noxia alant vel interimant. Sensus porro non hominum, sed animantium quorumque sint, de quibus proinde in commune nec de homine solum judicandum est. Nihil itaque, cur magis sic, vel sic determinari posse videtur. Ergo nihil, quod à sensibus saltem proficitur, percipi, scirique potest, & erit visus prospectusque quantuscumque veris & falsis communis. Quid si nix, quam Anaxagoras nigram existimavit, & sancius noster secutus est, lupis, non sicut nobis, sed nigra potius videatur? quemadmodum & eis non instar nostri, sed alius est gustus, & palatum.

Præter sensuum hos defectus arguunt etiam de reliquis; atque in primis proferunt multa, quæ sciri à nobis, & determinari nequeant: rerum quippe natura nullam nobis dedit cognitionem finium, & ulla in re statuere possimus quatenus arguit Cicero, nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed nulla omnino in re minutatim interroganti, dives, pauper; clarus, obscurus sit; multa, pauca, magna, parva, brevia, lata, angusta quanto aut addito, aut dempto certum respondeamus, non habemus: ex quo sorites, id est, minutatim addendo aut tollendo institutum argumentationes vitiosi censebantur: atque Chrysippus statuerat interrogando ita gradatim, an v. c. tria pauca sint, an ne multa, aliquanto prius quam ad multa perveniatur quiescendum esse: neque enim an uno addito numero pauca fiant multa, & qua tandem additione respondere scimus. Fatendum ergo ajunt, neque ultimam paucorum, neque primum multorum; & sic etiam magnorum, & parvorum atque similium responderе nos posse. Quod certe, si scivissent, aut considera vissent quidam, haud ita prompti, ac liberales patuitatum materiæ judices, & taxatores esse potuissent: & quemadmodum ipsi ad, nrqua addiderunt; ita denuo soritis inductis addere liceret.

Ex his vero ad universam ferme morum materiam arguere quoque potuissent, vel nos saltem possumus & nulla in re statuere posse videmur quatenus. Orandum scilicet est, vigilandum, æternis, & animæ studendum, ex quo vitæ forma omnis ducitur; nescitur vero quantum, & quatenus. Virtutes saltem morales omnes in medio inter excessus, & defectus constitutæ sunt: quantum vero ab unoquoque extremorum declinare oporteat, quis statuat? temperantia naturalis valetudini attendendum præscribit: infusa castigare etiam corpus jubet; sed quatenus, & quantum latere prorsus videntur: atque ita in eleemosinis, in studio, in pænitentia, in rebus pæne universis.

Præterea de vero universim arguebant ex ea hominum temeraria sorte in deligendis scholis, & hac præ illa sectanda aut casu, aut ex dicto amici nescientis, & sic forte fortuna, ut aiunt, quo ex loco sæpe Cicero pro Academia, copiosius Lucianus in Scholas omnes molitus est.

Quò rursus causa omnis revocari potest, sunt parallogysmi syllogismis simillimi, & quicumque Academiæ viam non sequitur, sed rebus tamquam veris assentiri consueverit, aliquando utique parallogysmo captus est, lususque visu falsi, quod tamen verum arbitrabatur, neque inter hunc visum, & alios verorum discernit: ergo quando etiam veris consentit an ne vera, an falsa sint, nescit. Non scilicet ex visu, & apparentia; nam similem de falso habuit, & lusus tamen est. Alii denuò aliis contrariis existimus, & passim in rebus innumeris diffidemus, atque cum alteruti plane decipiamur, uno, eodemque interim modo afficimur & judicamus. Ergo nulla quoad nos nota vera, falsaque intersunt, sed commixta sunt omnia, confusaque. Nulla ergo est cognitio, nullus visus ex eo, unde est, qualis esse non possit ex eo, unde non est. Quod si non hine ex Zenone, sed & Aristotele etiam scientiam, & scire definire placuerit, eadem causa superest: scire enim ex veris, & verorum esse Aristoteles quoque decrevit: at nihil nos vera, & falsa internoscimus: ergo omne scire nostrum ex communibus est ad vera, & falsa: ergo non est scire. Ubi prætereo plurima, quæ sane prorsus etiam prætermisissemus, si aut Logici nostri ista, ubi de ente rationis tot chartas implent; aut

Phyſici illa de ſenſibus ubi, an actio de potentia abſoluta creari poſſit, atque ſimilia tam fuſe perſequuntur, exponere dignarentur.

§. II.

Ejuſdem Academicorum dogmatis ulterior proſecutio, & origo ac natalitia Probabilium.

HIs ergo, quæ præmiſimus, atque aliis ſtatuerunt, nullius rei perceptionem, comprehenſionem, aut ſcientiã haberi poſſe. An verò vel hoc unum ſciretur, & perciperetur, nos quippe percipere, & ſcire nihil poſſe, Heraclitus quidem, nec hoc ſciri; Socrates vero hoc unum ſciri, dixerunt.

Deduxerunt, ſiquidem turpe eſſe, & à ſapientia alienum falſis viſibus capi, ludique ſapientem, nulli cum rei aſſenſum dare, quamquam non in hoc cauſam potiſſimam Academiæ collocarent. De ſapiente, inquam, hoc deduxerunt & habuerunt; de aliis non item; & aperte Tullius de ſe faſſus eſt: neque tamen ego ſum is, qui nihil unquam falſi approbem, qui numquam aſſentiar, qui nihil opiner; ſed quærimus, inquit, de ſapiente: ego vero ipſe & magnus quidem ſum opinator. De ſapiente itaque dixerunt; nam, ut pulcherrimum eſt vera videre, ſic pro veris falſa probare turpiſſimum eſſe, cenſuerunt.

Hunc porrò ſapientem Academiæ continuò exagitare cæperunt eo antiquo, & omnium argumento, futurum ſcilicet, ut ſapiens iſte, qui nihil approbaret, reprobaretve, nihil prorsùs agere poſſet, non bona proſequi, non mala declinare ſed hærere immobilis, ſicut planta ut ſubtiliter 4. Metaph. objectum fuit & Auguſtinus & reliqui proſecuti ſunt.

Nunc prope ad ſcopum noſtrum, atque doctrinæ morum inſtitutum acceſſimus. Academia ergo nimis hoc argumento commota aliquid excogitare coacta eſt, ne ſapientem ſuum, aut ſtolidum, aut ſaxum potius efficeret. Minime ergo voluerunt, eum ſic immotum, & excordem concedere: & cum veri perceptione, quæ nuſpiam erat, duci plane non poſſet, neque vitam ſuam inſtituere, excogitarunt probabile, & veriſimile.

Carneades, neſcio, an primus hujus ſolutionis & exitus inventor, duas diviſiones induxit, unam, qua alia percipi poſſe alia dicatur, quam refutat: alteram, qua aſſeratur, viſorum, ſeu apparentium, alia eſſe probabilia, alia non probabilia.

Hæc probabilia, univerſis admittenda operosè Tullius arguit; ſin minùs putat. ſequi vitæ totius everſionem. Itaque & ſenſibus probanda multa ſunt, ait; teneatur modò illud, non ineſſe in his quidquam tale, quale non etiam falſum nihil ab eo differens eſſe poſſet ſic quidquid acciderit ſpecie probabile, ſi nihil ſe offerret, quod ſit probabilitati illi contrarium, utetur eo ſapiens; ac ſic omnis ratio vitæ gubernabitur. Mox etiam arguit ſapientem quoque aliarum ſectarum multa talia ſequi probabilia, non comprehenſa, non percepta neque aſſenſa, ſed ſimilia veri, quæ niſi probet (ſunt verba Academici hominis) omnis vita tollitur. Exemplum etiam inducit: quid enim? conſcendens navem ſapiens num comprehenſum animo habet, atque perceptum, ſe ex ſententia navigaturum? qui poteſt? ſed ſi ex hoc loco proficiſcatur Puteolos, ſtadia triginta, probo navigio, bono gubernatore, hac tranquilitate probabile videatur, ſe illùc venturum eſſe ſalvum. Hujuſmodi igitur viſis Conſilia capiet & agendi, & non agendi: quem etiam viſum illuſtrem lib. 1. de nat. Deor. vocavit.

§. III.

Confertur hinc probabile Academiæ cum probabili Chriſtianorum aliquorum & num Academici probarent ſuum probabile?

EGi ſatis par. 1. de probabilibus, & Academicorum etiam memini; locum denique Auguſtini in conſueta quædam probabilia lib. 2. quæſt. 3. contorſi, quo quidam commoti ſunt. Quamquam vero ibi reſponſa eorum quædam curſim everterim, & quæ modo dicenda ſunt, tunc etiam occurrerent; doctrinæ tamen ordo hunc, ubi de vero invenibili agitur, Academiſmo diſtinctius exponendo locum dari poſtulabat, ubi proindè propoſitam iſtam collationem fieri, & reliquum Academiæ de moribus dogma aperire oportebat.

Sunt ergo, qui valde commoveantur, ſi vel Academicorum probabile cum ſuo etiam probabili conferamus; vel ſi quę acriter Auguſtinus in illud probabile dixit ſuum quoque comprehendere velimus; aliena enim, nimiſque acerba ea putant, quæ ſe viros catholicos, in quo vim omnem ponunt, & ſapientes non involvere modo ſed vel tangere queant. Quod ſane qui arbitrantur, quid homines ſimus, ignorant. Hac eadem exceptione uti, commoverique Chriſtiani omnes poſſint, ſi quæ Iſaïas, Ezechiel, Jeremias in Sceleratiſſimos ſanè judeos dixerunt, ad ipſos advehantur: ſi quæ etiam Dominus ipſe in Evangelio. Quid hæc de perfidis Judæis dicta ad nos Catholicos! ineptia eſt. Quotquot item intra eccleſiam Hæreſiarchæ ſurrexerunt, quandiu in Eccleſia erant, eadem exceptione uti potuerunt, ac mox iraſci, & fremere. Quid item, dicet Prædeterminator, adverſum me iſta, quæ in Calvinum prolata ſunt? Quid dicet adverſius adverſum me iſta alia Auguſtinus, quæ in Pelagum peſſimum Hæreſiarcham edixit? ineptiæ ſunt ſuperiori itaque lib. aperte oſtenſum eſt, magiſterium non magis, quam ſtatus reliquos præſervatum eſſe à peccato, ac multa alia contra iſtam ignorantiam tractata ſunt. Nunc ad probabile Academicorum.

Hactenùs ſane ſcire non potui, quæ ad Auguſtinum reſpondeant, præter hæc duo, alterum Auguſtino quæſtionem eſſe de probabili Academicorum? non autem de ſuo: quod vanum, & miſerandum eſt. Alterum illud eſt: quia paſſim circumfertur, Academicos omnem prohibuiſſe aſſenſum. Hoc itaque arripiunt, & dicunt, illud in Academia ab Auguſtino reprobatum, quod dicerent, ex probabili rectè quidem vitam inſtitui conſiliaque capi agendi; ſed nullo præſtito aſſenſu: modo autem probabile poni ſimul cum aſſenſu. Hoc genus illud interpretandi eſſe videtur per emendationem, & exponendo Doctores per ea, quæ non dicunt, de quo tractatum eſt ſup. lib. Quilibet enim in Auguſtino palam videbit, illud maximè, illud quoad mores unum in eo terribili loco tantopere ei diſplicuiſſe, non quod ſine aſſenſu, ſed quod ex probabili citra verum vita inſtituenda diceretur. In hoc totus eſt, hoc quantis poteſt viribus, juramento etiam interpoſito evertit. Profecto interpretationes iſtæ plus commendationis habuiſſent, ſi Authores hi ipſi per ſe & Academiæ olim meminiſſent; illius, & ſuum probabile ſemoviſſent; illud rejeciſſent; ſuum ſtatuiſſent: Auguſtinum etiam ſibi objeciſſent, & expoſuiſſent à principio, cum tanta ſuper probabili inædificarent. At nihil fecerunt hujuſmodi: quare, cum à nobis, aut aliis poſteà objecta ſunt, aliquid utique reſpondent

dum sane fuerat, neque obmutescendum.

Quamquã verò Lectori cuiq; satis perspicuus est Augustinus è re tamen est; quod utrumq; probabile conferamus: insuper etiã videamus, num Academici probarent seu approbarent suum probabile.

Confeto itaq; Academiæ probabile cum eo alio, quo conclusiones contradictoriç simul probabiles esse constituuntur, sufficiuntq; ad recte formandos nos, instituendamq; ex eo vitam: ubi proindè & æquè probabilia, & minus etiam probabilia comprehendunt. Invenit v. c. religiosus vel secularis duas opiniones hoc modo probabiles, aliam quæ ipsum obligat ad studium perfectionis sui status; aliam quæ deobligat; & quamquam ex hoc uno forma prope modum omnis vivendi pendeat, aiunt, ex utravis, ut placet, quem vivere posse.

Jam primum, etsi diligenter quasi erim, nuspiam invenio ab Academicis utrumq; contradictorium constitutum esse probabile, ex quo consilia capere oporteret. Exemplum unum probabilium ipsorum invenio in Augustino de sole exorituro, lætoque die futuro post hilarem, serenamque noctem. Certe hoc ex iis non est, quæ ad utrumlibet ex æquo se habeant, ut se habent æque probabilia; aut magis potius ad contrarium ut minus probabilia. Idem cernitur in exemplo adducto à Tullio proficiscentis Puteolos stadia triginta probo navigio, bono gubernatore, magna tranquillitate: quod utrinque probabile non erat.

Denuò quia suum probabile non in apparentia, & visu quolibet, sed in illustri & insigni ponerent: ex quo existit & illud, ait Cicero lib. 5. de natura Deor. multa esse probabilia, quæ quamquam non perciperentur, quia tamen visum haberent quendam insignem, & illustrem, his sapientis vita regeretur: quod certe plus significat, quam vox illa *grave*, quæ tantopere arrisit. At ubi toto utrimque inspecto, visoque objecto, æquè, vel magis etiam ad falsum declinans visitur, deest plane insignis hic visus, & illustris, qui solum probabilioribus ita modo vocatis, nec quibuslibet, sed valdè eminentibus, & conspicuis quadrare sane videtur.

Item suum probabile prope verum illi dicebant: at æquo probabile non magis prope verum est, quam prope falsum, sed in utriusque pari confinio, & minus probabile propius etiam ad falsum est, & declinat: ac ineptia est utrumq; contradictorium prope verum dicere. Illud rursus jam probabile, jam verisimile eodem quasi nomine compellabant: quæ porro gravia ut nunc vocant fundamenta hinc ut vera videantur, inde ut falsa appareant, sortiuntur verisimilia haud sunt magis ex eo, quam ex ejus contrario participant; minus autem probabile, si iste loqui placeat, falsi simile dicendum est. Statuatur ergo ex falsi similibus vitam sapientis esse regendam.

Disserte demum Tullius §. præc. asserebat: sic quidquid acciderit specie probabile, si nihil se offerret quod sit probabilitati illi contrarium, utetur eo sapiens. Hæc ille: at quid probabilitati tuæ, apparentiæ tuæ magis contrarium, quam probabilitas alia & apparentia ex adverso in contrarium apposita, fundamentaque alia paria, aut etiam majora? Minus ergo est tuum probabile, quam Academiæ, longius à vero distans; minus veri habens: quæ ergo in probabile Academiæ ab Augustino, aut ab aliis dicta sunt, ex æquo vita institui nequeat, à fortiori laxius tuum probabile convolvunt. Ex his patet, quam esset puerile dicere, Academicis omne quoquo modo etiam stultè, ac imprudenter, insipienterque opinabile constitutum fuisse probabile. Quis non prorsùs vecors hanc stultitiam vel uni Tullio adscribat, cujus orationum, quæstionum quoque gravitatem ipsorum ita dicentium discursu longè superare, non ego solus, sed plurimi, opinor, mecum existimabunt. Satis disertè Tullius vel rem explicavit, nec Augustinus negavit. Per consequentiam sane sequitur, omnia his, aut illis fore probabilia; hoc porrò magis sequitur ex hoc recentiori probabili; quod minus Academico est; veris, & falsis ex æquo congruit, & omnes sophisticas etiam probabilitates complectitur.

Illud nunc alterum videamus, an ne Academici suum probabile probarent, atque approbarent, ut omnes sic evasio tollatur. Dixi in primis, nihil hoc curæ fuisse Augustino, nec esse debuisse. Deindè cautè Doctor locutus est, non assensum prorsus omnem ab eis negatum esse assumendo; sed solùm dicendo, nullis rebus tamquam veris juxta eos præstandum assensum.

Si rursùs Augustino fides aliqua, sic ille lib. de utilit. credendi statuit: *quamquam in illis etiam, qui se in agendo probabilia sequi dicunt, scire potius nihil posse quam nihil credere, volunt videri: quis enim, quod probat, non credit? aut quomodo est illud, quod sequuntur, si non probatur probabile?* ergo saltem Augustinus haud existimavit, Academicos non probare, non credere suum probabile: scilicet Augustinus, quod infra scire est, credere vocat eo toto opere: ergo Augustinus non tot illa in probabile Academicorum dixit, quis in hoc eos peccare existimaret, quod non probarent, non crederet suum probabile; quin eos illud probare & credere arbitratus tam dire in vitam ex eorum probabili institutam invectus est.

Cicero rursùs. præc. hoc idem contestatus est dicens, sapientem etiam quemque sequi sane probabilia non comprehensa, non percepta, neq; assensa sed similia veri, quç nisi probet, inquit, omnis vita tollitur. Hoc ergo recusabant, rebus ipsis, quæ etiam probabiles sunt, tamquam veris assensum adhiberi: at alias probabiles sunt tamquam veris assensum adhiberi: at alias probabiles esse judicare, alias non esse, minimè repugnabant.

Quin necesse erat, ut aliter de probabili, aliter de vero statuerent. Scilicet verum percipi, & internosci non posse dixerunt: indè sapientem hærere in medio debere, cuncta discutere, nihil approbare deduxerunt. Objectum eis fuit, sapientem istum suum immobilem fore, nihilque acturum. Ipsi ut hoc effugerent, induxerunt probabile, ut verisimile. Jam si quemadmodum nihil tamquam verum probandum esse dixerunt, sic etiam nihil nec quidem tamquam probabile, & verisimile accipiendum, & approbandum concessissent, nihil vim argumenti effugissent; sicut enim sapiens ex vero vivere non posset, quod non nosceret, neque probaret; ita neque ex probabili; & res neque ut veras, neque ut probabiles acciperet, At accipiebant, & sequebantur tamquam probabiles assentiri, sed tamquam veris recusabant & totum dogma contra perceptionem erat.

Haud sane negamus, hoc inconsequens esse in dogmate, ut nos quoq; arguemus: at hic non quid consequenter dicerent, solum examinamus: ne porro obmutescere cogerentur, necesse erat, ut non ita de probabili, sicut de vero philosopharentur.

Præterea

Præterea Cicero ſaltem de ſe ipſo, deque omnibus non ſapientib. concedit, ſe multa opinari, quin ſe magnum eſſe opinatorem, Sapientem etiam ſuo probabili non impedito moveri utique, neque ex ſaxo ſculptum eum, aut robore dolatum, qui non mente, non ſenſibus moveatur, ut, ei, ait multa vera videantur. Ex Carneade denuò, & Clitomaco inculcat, placere Academicis eſſe rerum ejuſmodi diſſimilitudines, ut aliæ probabiles videantur, aliæ contra: hoc genus diſſimilitudinis veri & falſi negabant: non ergo idem erat de probabili, & non probabili, atque de vero, & falſo judicium; unde vehementer eos errare ait, qui dicant, ab Academia ſenſus eripi, ſed illud ſit diſputatum, non ineſſe in his propriam, quæ nuſquam alibi eſſet veri & certi notam.

Imo ex integro in hac perceptione ſolum negandæ erant, & modò hoc teneantur, ſi diceret ille, ſcilicet Peripateticus, ſapientem interdum opinari, non repugnarem, ait Cicero, præſertim ne Carneade quidem hoc loco valde repugnante. Iterum de viſis probabilibus loquens, inquit, neque tamen omnia ejuſmodi viſa approbari, ſed ea, quæ nulla re impedirentur: quod denuò vocat probabile expeditum, ſolutum, liberum, nulla re implicatum, ut utrinque ſanè plicata ſunt involuta, implicata æque probabilia.

His, credo, ſatis oſtenſum eſt, & demonſtratum, quam inanis, quam falſa ſit evaſio illa, qua quidam ex eo ſe ab Academiæ cauſa quod mores differre reſpondent, quod illa haud approbaret haud crederet ſuum probabile ipſi autem ſuum reflexe ſaltem accipiant atque probent: nam directe circa æque & minus probabilia neminem opinari poſſe ex communi ferme omnium ſententia par. 1. in append. commonſtratum eſt.

§. IV.

Quid ergo quoad mores reprehendendum in Academia occurreret?

SEquenti §. dicetur quid in univerſo dogmate reprehendendum ſit; nunc verò de eo prius dicere oportet, quid aliis, quid maxime Auguſtino tantopere diſplicuerit in eo, quod ſapientes, aut alii ex hoc Academiæ probabili vitam regerent, & conſilia caperent agendi, & non agendi! Hoc ſcilicet inſtituti maxime noſtri eſt, de quo licet part. 1. lib 2. q. 3. curſim dictum ſit, ac iterum lib. 3. magis preſſe hoc in loco exponi poteſt.

Profectò ſi Academicis illud fuiſſet probabile, quod part. 1. à regendis moribus exploximus, inde cauſæ quoque paterent, cur illud diſplicuiſſet Auguſtino: §. præc. oſtendimus, Academiæ probabile longe diverſum eſſe à vulgato probabili, quod contradictoriis, quod veris, & falſis eodem prorſus jure conveniat; quin in ſuo premio tot denique falſa, quot vera contineat. Si ergo Academiæ probabile eſt quidpiam adeo illuſtre, & inſignis quidam viſus veri: prope verum etiam exiſtens, & veriſimile, unde Auguſtino tot illa contra hoc probabile: undè demum illud: *libet per omne divinum dejerare, neſcire me prorſus, quomodo iſte* (id eſt adulter) *peccaverit, ſi quiſquis id egerit, quod probabile videtur, non peccaté*

Sed quod plus ad hæc exponenda cogit, nos quoque ipſos in hoc Auguſtini dicto comprehendi videmur. Quamquam enim illud, de quo dictum eſt, probabile ambiguum, veri ſimul, falſique ſimile, ſeu potius neutriſimile rejecerimus, at aliud probabile, quod prope verum ſit, quodque raro, & fere numquam fallat, nos etiam ipſi regulam morum conſtituimus licet cum onere. Academicorum, autem probabile, ſicut conſuetum hodie probabile excedit, ſic cum noſtro coincidere plane videtur. In eadem ergo, cum Academia cauſa ſumus.

Imo vero parum eſt, nos in ea cauſa eſſe, Auguſtinus etiam ipſe eſſe videtur. Mitto illius opera alia: inſigne illud de util. credendi, quod auro, & regnis anteferendum eſt, in Manichæos unà, & Academicos ſcriptum fuit. Nihil in eo ut titulus ipſe præſefert, magis ſtatuit, promovet magis quam utilitatem, quin etiam neceſſitatem credendi: quidquid autem infra certum eſſet, credi ab ipſo vocatum eſt; idcirco credere aliquando ait, eſſe ſine vitio, cum vitio aliquando; quia vera & falſa etiam creduntur; opinari autem illud appellabat, & eos opinantes, qui ſe putant ſcire, quod neſciunt, quod idem ſemper, ait, eſſe cum vitio. Credere vero, & qui ſint Parentes noſtri, qui fratres, amici, & hoc genus innumera ex quibus etiam viveremus, tam exiſtimavit neceſſarium, atque eſt neceſſarium edere, ut vivere poſſimus, ut ibi patet. At hæc credita, & credenda etiam Auguſtini ſuperare haud videntur probabile Academicorum; quin opinor, ſi ille proficiſcens Puteolos ſtadia triginta probo navigio, bono gubernatore, ea tranquilitate, nihilque eſſet contrarium, ſi inquam, is proficiſcens rogaret Auguſtinum, ipſum num crederet, ſe ſalvum illuc venturum eſſe, ita ſe credere reſpondiſſet. Ergo quemadmodum probabile Academiæ ad vitam regendam damnat, ita quoque ſua credibilia, quæ nihilo niſi voce differre videntur, damnare oportebit.

Ecce quanta nobis exponenda occurrunt in aliorum viis ſatis credo implexa; at in noſtra & Auguſtini obvia, expedita, conſpicua, qui unam veritatem regulam vitæ ponimus Nihil nobis, nihil Auguſtino cum illuſtribus Viſibus, nihil cum quantiſcumque rerum conſpectibus, qui ſi falſorum ſint, quo majores, eo decipiant magis, utque cum ipſo ex lib. de Ver. Relig. uſurpavimus, melior eſt nobis ſtipula vera, quam lux, quam Olimpus inani cogitatione formatus.

Hac part. 2. lib. 1. ſatis ex ipſo etiam Auguſtino commoſtravimus, Judæos, Gentes, Hæreticos magna copia abundare horum illuſtrium viſuum, inſignium conſpectuum, probabilium apud ipſos certorum, evidentium in rebus etiam, in quibus graviſſime peccant. Inquam illuſtrium viſuum, & cætera illa, quæ ſcilicet ipſis talia ſint, & videãtur. Magnas animas, magnos etiã montes ſup. lib. Auguſtinus Hæreſiarchas nuncupabat: quantus mõs Arius, quantus Donatus? quanti viri? & tamen etiã eos, quibus tanti erant, occidebant, dum fallebant, ut lib. 1. ſtatutum eſt; & qui de rebus humanis non in aere philoſophatur, ſed ut ſunt, & contingunt, haud ignorat, Genevenſibus inſignem Doctorem eſſe ſuum Calvinum; Lutherani ſuum Lutherum mille etiam Auguſtinis antetulerunt, Quantus ergo viſus, quæ apparentia ita affectis, & errantibus ex eorum authoritate; quale probabile, & veriſimile? An verò ideò Genevenſes non peccant?

Profectò Conſtantios eſſe nequit, neque magis exploratum, adulterium eſſe peccatum, quam eſſe peccatum, & majus quidem hæreſim: ſi ergo Genevenſes in hæreſi ſua, quia ea ſibi ex errore probabilis, vel etiam certa, & evidens viſa ſit, non peccant, & hæretici ſine peccato eſſe poſſunt, quid mirantur, ſi alicui aliquandò probabile etiam vi-

deri possit adulterium;ac juret per omne divinum Augustinus,nescire se prorsus,quomodo is peccaverit,si quisquis id faciendo, quod probabile videtur,non peccat? Nihil sanè est, in quo falli homines nequeant,& videri eis evidenter etiam mala possunt jam probabiliter, jam etiam certo aut bona,aut non mala: quod factis nostris lib.1. commonstratum est, & Augustinus Patriæ excidium, quo uno omnia scelera continenter,in exemplum adduxit ex oratione Catilinæ, qua plurimis illud persuasit. His ergo verisimilia,gravia,insignis visus,& illustris apparentiæ ea visa sunt, quæ Catilina peroravit,& quibus moti sunt. Ergo nihil est, quod sine peccato fieri nequeat, si quisquis id faciendo, quod illustri, insignique visu sibi objicitur,aut etiam sibi certum, evidensque videtur,non peccat. Hoc certè sequi nos quoque arbitramur, ac illustrissimis visibus, sed sophisticis falsa quæq; affundi, vera omnia obscurari posse,non tam nos dicimus, quam experientia omnis loquitur.

Hinc lib.1. eos vehementer reprobavimus, qui sufficientem propositionem fidei, & omnis universim legis per actuales nostras aut repræsentationes,aut apparentias,seu visus,aut cogitationes declarant, & peccata quæque dijudicant per ea, quæ novimus scivimusque;non per ea, quę nosse, scireque debuimus; Unde ignorantia,quæ peccatorum mater est, in præservationem peccatorum vertatur. Hæc sane omnia disiecimus. Ex quo proinde procul absumus ut cum Academia consentientes regendam dicamus ex probabili, aut certo,aut ex quocunque alio, quod vobis tale sit, aut videtur.

Distinximus itaque pat.1. lib 2. probabile, & certum; & aliud diximus esse quod videtur esse, sed non est: atq; hoc totum quantum sophisticum, & phantasticum diximus,& procul egimus à dirigenda vita: aliud probabile, ac similiter certum esse diximus, quod & videtur esse, & est: quod probabile reale, & secundum esse Vocavimus, aliisque nominibus satis exposuimus.

Hoc probabile regulam vitæ posuimus sed cum onere bene videndi scilicet,an & ubi falleret. Neque enim illud per illustrem visum, neque per apparentias,aut existimationes nostras quantascunque explicavimus,sed hoc solum uno, quod veritatem ipsam secum fere semper trahat, ac tarò fallat. Ubi porrò fallit, regula non est: vix enim considerate disputari potest, errorem quantocumque suo visu verum existimatum regulam fieri; atque una de errore disputatio superest, an nę excuset à peccato? & si involuntarius quidè ille excusat: sin minus non excusat,ut demùm lib.1 ostensum est.

Ex his efficitur,unam veritatem, veras solum cognitiones nullas falsas esse ex quibus sit vita regenda sapienti,& ignoranti;& hæc nostra, hæc Augustini via est, via veritatis Academia contra per insignes visus,per ea demùm,quę nobis viderentur,citra veritatem ipsam, quam nusquam inveniri aiebat, vitam instituendam edocebat. Et probabilitate in probabilibus omnibus, quibus libri implentur idem dicunt.

Sed quæris, num ipsorum probabile aut cum nostro congruat,aut regula etiam dici possit, sicut credenda Augustini?& ad primum quidem,quantum licuit conjicere, dicendum arbitror, probabile Academiæ ex rebus fane ipsis parum, aut vix à probabili nostro,aut à multis credendis Augustini inter fuisse; at ex ipsorum instituto & definitione interfuisse plurimum.

Parum quidem ex rebus ipsis differre,tum exemplum illud Ciceronis,tum alia superius consignata videntur persuadere. At ipsi cum veritati,& rebus tamquam veris assensum præbere nollent saltem sapientes, probabile exponere non poterant per conjunctionem tantam,vel quantam cum vero,quod ubinam esset,nesciebant: ex quo ad illustres visus, & phantasmata & ad ea, quæ nobis viderentur, ire compulsi sunt: quod nihil firmum, constansque est,sed quot capita, tot visus, & spectra apparent.

Hinc ipsorum probabile,sicut nostrum, regula forte esse poterat,non quod sequendo peccari non posset, non hoc infallibilium regularum est, sed quod sequi liceret eum onere videndi. num falleret,quod Academiæ erat impossibile:& ubi à vero discreparet,non per visum insignem,aut aliud nos excusaret,sed hoc solum uno,quod nolentes prorsus etiam indirecte incidimus. Dimisso porrò vero,& ipsorum more rem exponendo,id scelus omne viam sterneret regula ista. Quid autem illi hic dicturi sunt,qui ex probabili ad verum prorsus,& falsum indifferenti,duosque visus hinc & inde veri,& falsi habente,quodque toties fallat, & non fallat vitam regendam volunt, ipsi sane viderint, nosque satis multa par 1. contulimus. Si certe illud constitueretur,sensus toties fallere; nescio verò,ubi fallerent, vel non fallerent, neque Academia,opinor, consensisset,ex eis consilia capienda sapienti, ac Tullius proculdubio noluisset, qui nec orationes quidem suas ex talibus unquam connexuit.

§. V.

Quid ergo in universo Academiæ dogmate reprehendendum : sit?

PRimum quidem hoc, quod modo dictum est, scilicet, ut ex suo probabili per insignem visum, atque similia proposito vita capessenda esset: *non illud est capitale* inquit Augustinus, *ad formidolosum, illud optimo, cuique metuendum, quod nefas omne, si hac ratio probabilis exit, cum cuiquam probabile visum fuerit faciendum, tantum nulli quasi vero assentiatur, non solum sine sceleris, sed etiam sine erroris usurpatione committatur.* Hoc primum, & capitale: ubi ut totam partem primam prætercam, prior liber de ignorantiis rem demonstrat, in quo visum est, quæ, & quanta monstra his, & illis visa sint probabilia & plusquam probabilia; atque scelerum summum idololatria gentibus pietas ipsa, & religio judicata est, & Christus crucifixus veritas ipsa non aliud, quam stultitia. Abeant apparentiarum fautores.

Illud deinde in Academia fatuum erat, atq; reprehendendum sum, quod verum, quod nusquam percipiendum,inveniendumq; existimabant, semper tamen omnique studio inquirendum esse contituerent: Augustinus lib. de utilit. cred cap.11. *nihil cre lunt, & illi, qui v. rum quærunt cum desperatione inveniendi,* scilicet Academici;*& illi,qui omnino non quærunt.* Omnis sane experientia demonstravit, quod principii in loco habetur,ad impossibile scilicet moveri neminem,ex quo Academicos non ita corde sentire, sicut ore dicebant,inferius ostendendum est. Nunc porrò ipsorum confessio est, verum percipi, inveniri que non posse; fatuum autem est hoc fatendo in eo quærendo laborare, ut si volatum vel.s & similia.

Unde,

Undè ex Academia illud denuò ſequebatur, quod Lucianus arripuit, nihil quippe eſſe quærendum, relinquenda omnia, & vocandum. At hoc rurſus neq; Lucianus quidem, aut alius quiſquam corde credat; alioqui ut paulò poſt dicitur, tacere prorſus debuiſſet, nec in ſectas Philoſophorum invehi, nec tot illos dialogos rexere: quæ quippe ut faceret, aſſumere alia tamquam vera, recuſare alia tamquam falſa oportebat.

Ridiculum præterea illud in Academia erat, quod ſapientem ſuum, qui ulli rei quaſi verę aſſentiebatur, ſapientem eſſe vellet. Hoc unum ſcire, ſe nihil ſcire ſocrates putavit; Heraclitus nec hoc quidem unum excepit, & ſe, ac ſapientem neq; alia ſcire, neque vel hoc ſcire, ſciliter ſe neſcire, profeſſus eſt, teſte Cicerone. Hic profectò ſapiens eſt, ut aiunt, de ſubjecto non ſupponente; qui enim fiat, eum eſſe ſapientem, qui nihil prorsùs ſciat, nec ſe neſcire quidem; niſi divitem eum eſſe velint, qui nihil omninò habeat, & calidum illum, qui caloris omnis expers ſit. Nihil ſcientem Philoſophum, hoc eſt, ſtudioſum, ac amatorem ſapientiæ dici ferri quoquomodo potuiſſet; at ſapientem eſſe, qui nihil ſapiat, nimis ſtultum eſt. De quo fuſe & evidenter Auguſtinus lib. 2.

Ex quo rursùs contra Carneadē, Tulliumq; efficitur, ut ſiquidē ſapiens jam nullus eſt: non ſapientes vero, ſicut conceduut, opinari poſſunt, omnes ſanè opinari poſſe; ſapientē quippe excipiebant; ſapiens autem nullus ſupereſt, ut modo eſt demonſtratū. In Socrare deindè, quod & Academia cōmuniter tenuit, hoc inconſequens eſt, ſe cętera quidē neſcire; hoc autē ſcire, ſe quippe neſcire. Nam quæcumq;, undecumq; moverunt, adverſus verorum aliorum perceptionem, illud etiam unum ſciri non poſſe, æquo jure ſuadente & unde: illud unum ipſi tuebuntur, multas alias perceptiones tueri docebunt.

Conſequentior idcircò extitit in eo Carneades, ſed ſtolidior; nam ſi neque ſciebat, ſciri non poſſe, nec ſe quidem neſcire, planè neſciens locutus eſt; quin cogitur ipſe quoque fateri, ſe loqui prorsùs quod neſciret; neſciebat enim, ſe neſcire: magis vero, alios neſcire, quos minus expertus fuerat: loquitur ergo, quæ fatetur, ſe neſcire quod ebriorum eſt, atque mente captorum.

Univerſim domus quod à principio huic ſectæ objectum fuit, ſapiens immobilis fiet. Et inprimis hic tacere debet, nec nobiſcum congredi Socrates, vel quiſquis alius ſapiens Academiæ: ad ſuum quippe dogma ſtatuendum multa & varia ratione uſi ſunt; illa præſertim duo aſſumebant, unum eorum, quæ videantur, aliud verum eſſe, aliud falſum: alterum, omne viſum, quod ſit à vero, tale eſſe, quale etiam à falſo poſſit eſſe. Hæc autem univerſa, ut Lucullus proſequitur, coincidunt etiam minutius, & in ſingulis rebus quas in minima diſpertiunt, volunt efficere his omnibus, quæ viſa ſunt veris adjuncta eſſe falſa. Hanc ego ſubtilitatem rectè ſubdit Lucullus Philoſophiâ quidem digniſſimam judico ſed ab eorum cauſa, qui ita diſſerunt remotiſſimam; definitiones enim, & partitiones, & horum luminibus utens oratio, & acuta diſtinctio fidentium eſt hominum, illa vera, & firma, & certa eſſe, quæ tuentur; non eorum, qui clament, nihilo magis vera illa eſſe, quam falſa.

Vel ergo vera ea duo putant, ex quibus arguunt, vel quatuor etiam illa, ad quę ſuperiùs totum dogma Cicero revocabat, vel neſciunt, an vera ſint, an falſa? ſi neſciunt, nihil aſſumere, probare, colligere poſſunt, & ore ſolùm ſine corde diſputant. Sin verò ea ſaltem dum ſciunt, & probant, his ſolis totum dogma conciditur: atque illa ſola oratio, omne viſum, quod ſit à vero, eſſe tale, quale etiam à falſo poſſit eſſe, ſe quoque ipſam interimit: de hoc enim viſo quæritur, num tale ſit, quale à falſo etiam eſſe poſſit? & ſiquidem tale non ſit, ſeipſam ſeipſa falſam oſtendit: ſin autem tale eſt, quale à falſo etiam eſſe poſſit, non ipſa potius, quam ſua Contraria proferenda eſt, ſiquidem non ipſa magis, quam contraria vera videtur, & talis ejus viſus eſt, qualis etiam à falſo eſſe queat. Prorſus ergo his viſis nihil moveri debet mens, & ratio, ſed hærere, & timere, an hic quoque viſus ſpectrum ſit.

Denuò nec hærere quidem, & timere licebit: nam timor hic, & hæſitatio ex alio rursùs naſcatur, neceſſe eſt, ex eo videlicet, quod falſa quoque adinſtar verorum apparere contingat. Sed ſcire non poteſt ſapiens Academiæ, num falſum inſtar, veri appareat. Nam ſi hoc ſcirent, & perciperent, falſum illud iterum eſſet, omne viſum, quod à vero ſit, tale eſſe, quale à falſo etiam poſſit eſſe. Undè non erit, ex quo falli ſe poſſe timeant: atque inde rursùs efficitur, ut nihil falli timentes cuncta ſibi occurſantia admittant, & approbent. Domus ſciliter neſcire quem, ſe falſis viſibus capi, fallique poſſe. Hic certè omnia facilè approbaret. At Academicus, qui nihil ſcit, neſcit planè ſe falli poſſe, illudique falſis viſibus. Non ergo erit, undè illum viſum timeat, accipietque omnia Adeo vel ad neſciendum, & hærendum aliquid ſcire, neceſſe eſt.

Quo in loco, ut omittamus plurima, quæ facile ſit congerere, illud poſtremò ab Academico ſapiente quærendum eſt, utra harum aſſertionum, plura ſciri poſſe, nihil ſciri poſſe, vera jam ipſi ſit, an neutra? ſi neutra, cur alterutra n pronunciat? ſi altera, & noxi contraria? Jam ergo hoc percipit, & ſcit. Ergo & multa præterea alia, ex quibus illius veritas colligitur, atque ſtatuitur, ea ſcilicet univer a, quæ ipſi definiunt, dividunt, deque ſenſuum errore diſſerunt: hæc ergo cuncta probare is debet, & certa habere, qui unum illud ſciat, nihil ſciri poſſe. Quæ cum ſciri non poſſe tueantur, obmuteſcendum ipſis eſt, nec vel hoc unum clamandum, nihil ſciri poſſe: noſque eorum dicta velut pſittacorum accipere oportebit ſine ſenſu, menteque loquentium, neque ſentientium, quæ blatterant.

A fortiori verò, ſiquidem loqui quidem ut homines nequeant, agere vel non agere non poterunt. Sed occurrit probabile, & veriſimile, unde fugiant. Dictum eſt, ex hoc probabili ſequi ſcelera omnia. Quid apud gentes Romanos, & Græcos Jove Grandius? Quis viſus, aut quod viſum illuſtrius eo temporis, quam eum, ut Deorum etiam maximum colendum eſſe? hoc eſt, velut Deum adorandum hominem raptorem, & adulterum: quo tamen quid, rogo ſceleſtius?

At hæc modò maneant; ſtultitia eſt, eos probabile & veriſimile habere, qui verum noverunt nuſquam? Quæro enim, num ſciant, quid ſit verum? Et ſi hoc ſciunt jam præter dicta nuper hoc etiam alterum ſcient, ſimiliter & ſcient, quid ſit falſum, nam alterum ſine altero ſciri nequit. Quod ſi quid verum ſit, neſciant, neque ſcient, quid ſit illi ſimile, ut patet. Illuſtre viſum dicunt & loquuntur. Sed quærimus, cujus, an veri, an falſi, an tauri, an ſtellæ ſit hoc

visum illustre? veri utique dicent; alioqui non erit, cur illud sequamur. Noverunt ergo aliquandò verum, cujus visum, & speciem, à visu seu viso, ac specie falsi discernunt, ac separant; undè & consilia capiant agendi, & non agendi, de quo copiosè Augustinus.

Similiter rogamus, num sciant, & percipiant, quid probabile sit, & verisimile! Hic jam non licet per aliud probabile, & verisimile evadere; nam si probabilium, & verisimilium aliud denuò probabile, & verisimile inducatur, itur in infinitum; quo cum perveniri nequeat nihil unquam agent. Necesse est ergo, ut sciant, ut percipiant suum probabile, & verisimile, neque sicut de vero dissrere de probabili possunt. Sciunt ergo, quid sit suum probabile, & rursùs quando illud habent, ex quo etiam vivant, ipsum sanè percipiunt. Multa ergo sciunt, quæ si nesciant, moveri non possunt.

Quibus præterea argumentis veri perceptionem quatiunt, eisdem ad verbum suum quoque probabile evertunt. Nam sicut contingit, falli nos circa verum, & falsum; sic contingit falli circa probabile, ut sæpe par. 1. tractatum est, quin vera nusquam; probabilia autem passim mistata sunt & alia quidem contabuerunt, alia nata sunt, nascenturque ætatibus ex quo illud efficitur, ut magis cavendum esset probabilia, quam vera sectari, errores sensuum, est quæcumque alia movent, sicut probant, falsa sæpe specie verorum nobis occurrere, ita suadent, visus hos, seu visa, & species non magis verorum esse, quam falsorum: Ergo sicut ea vera habere fas non est, ita neque verisimilia.

Sed ex ipsa eorũ definitione hoc demonstratur: aiunt enim, nullum visum, quod sit ex vero, tale esse, quale ex falso non possit esse. Hoc scilicet dogmatis momentum omne est; huc tota Academiæ argumẽtatio dirigitur. Nulla ergo nota usum veri à viso falsi distinguit magis, quam verum ipsum à falso: sicut ergo verum, & falsum propterea non intersunt ita nec visa, vel si placet, visus, & species utriusq; different, nec magis visa, quã vera ipsa sequi dabitur, & quemadmodum timetur, num occurrens visum veri sit, quia sic etiã falsum occurrit; & ideo assentiendum vero non est, ita timendum non est, num visum hoc non à vero sed à falso sit; quia consimile etiam & visum, quod à falso est. Imò ideò verum, & falsum non intersunt, quia visa non intersunt, & ex virorum potius similitudine argumenta ipsi conficiunt. Ergo sic sunt confusa visa, sicut verum, & falsum: & sicut nescitur, an hoc verum sit, an falsum; sic nescitur, an visus, & species occurrens veri sit, an falsi: ergo nescitur, an verisimile, & probabile, ac prope verum magis sit, quam falsi simile, prope falsum, & non probabile.

Et inquis, te haud sectari visa ista tamquam verorum & quasi magis horum sint, quam falsorum; sed ea sulùm accipere, quasi verisimilia, & quę licet à falso esse contingat, à vero tamen esse videantur. Quamobrero neq; asseris, ea veri esse, aut à vero, sed hoc tantũ, ea à vero esse videri: in quo proindè non falleris etiam, quando visa à falso esse contingeret.

Sed vero neque hinc ullus est exitus. Nam quærendi sunt, an inter visa, speciemq; veri, & falsi notam aliquam habeant, quia inter illa discernant? Quòd si nullam nostram habeant, non est unde, & ex quo hæ nunc occurrens visum magis veri ipsis videatur, quam falsi. Si autem notam visorum veri propriam habent, totum mox concidit dogma, omne visum, quod est à vero, tale esse, quale à falso possit esse.

Sunt proinde undique in angustiis; nam si probabilia à non probabilibus, atque verisimilia à non verisimilibus discerni nequeant, jam neque ex vero, neq; ex probabili vivere possunt. At mox si inter verum & falsum discerni nequeat, neque inter probabilia, & visa ipsa discernitur: quin confusio, & commixtio veri, & falsi ex ipsa visorum, seu visuum confusione, & nulla differentia nascitur ut ipsi maxime arguunt, sic etiam par. 1. lib. 1. disseruimus, non habentes cognitionem veritatis id est, non habentes ipsam scientiam directam moralem rerum dijudicare non posse inter probabilia & non probabilia consueta moralis scientiæ: & ita etiam est in reliquis quibusque disciplinis; quod certe nobis evidentissimum est.

§. VI.

Alia ergo sciri possunt, alia non possunt alia credenda sunt, alia non sunt?

Academici, & Stoici, sectæ quidem ex diametro contrariæ, illi ut intellectius hi ut voluntati sucurrerent, eodem fermè arrepti sunt & alii intellectum, ne falleretur, quod ejus malum est omni assensu spoliare voluntatem omni affectu, ut beate, tranquilleque viveret, aggressi sunt: quod aliud non est, quam intellectum se ipso, & voluntatem se ipsa exuere voluisse. Cum enim intellectus nitus sit ad verum, & voluntas ad bonum, à vero, & bono has facultates suspendere velle, magis multo est, quam si saxa in aere suspensa herere, nedum cadunt, collidantur, lusissent; atq; naturas reliquas à suis finibus prohibuissent; quod totum impossibile, fatuum totum est. Et sic Stoici aliud non efficere, quam voluntatem amore sui, & proprio, quo nihil sit tranquillitati magis contrarium, impleverunt: Academici mentem probabilibus sine vero, quibus maxime omnium falleremur & sane voluntas dum vigilamus, semper non minus necessario aliquid amat, & intellectus aliquid judicat, quam ignis ardeat, calefaciatque, nec tranquille quidem vivere velle possumus, quin hoc maxime velimus, nec nescire profiteri, quin nesciendum esse, & nihil judicandum, fortissimè judicemus, & multa etiam alia judicemus, ut ostensum est.

Iter ergo regium, & verum illud est, quod Augustinus sublimi illo opere de utilit. credendi prosecutus est contra Manichæos, qui fidei, & autoritati nullum locum concedentes omnia ratione ne decernenda esse, & ea sulum probanda, quæ ratione constarent, & scirentur, ineptierunt: & contra Academicos, qui nihil sciri posse, præterea etiam nihil credendum, ne falleremur, præscripserunt.

Utraque secta adversus fidem est, & tenendum, quod instruimus, alia sciri posse, alia non posse: alia credenda esse, alia non esse. Quæ in singulis sciri possint, & non possint: quæ credere oporteat, quæ secus, loci hujus non est edicere; sed disciplinæ omnes, & singula in suis id materiis determinant, exponuntque. Num non cum Manichæis, sed cum Academicis causa est, adversus quos satis, opinor, demonstravimus, aliqua sciri posse. Quin huc maximum opus sapientis esse censemus, scire scilicet in singulis, quæ sciri queant, & quæ nequeant; hoc omnis prudentiæ & experientiæ totum negotium nosse, quæ ad utramque vitam credere oporteat: quæ non oporteat.

Plurima ergo unusquisque vel scire, vel credere, & protsùs judicare debet. Primum illa, *noverim te,*

noverim

noverim me. Deest omnis religio, est pietas; justitia omnis, & virtus deest, qui non est Deus: fatuus deindè est, qui nescit se, & utrum homo sit, vel formica, quin neq; fatui hoc ignorare, & nescire possunt, de quo dictum est lib. 1. quæst. 1. atque de malis ignorantiæ universim. Sciat deinde, vel credat quisque necesse est, qui sint sui Parentes, qui filii, quę uxor, qui servi, quæ sua domus, Patria, civitas, amici, quæ sua religio, quod munus, quid somnus, vigilia, nox, dies, cibus, potus, atq; propemodùm infinita alia; de quibus rogatus nemo non respondet, & affirmat, & judicat, nec audeat dicere, se nescire: quod qui responderet, non in scholam & disputationem admitti deberet, sed ad montes ejici, ubi nequæ feræ ipsæ eum ferrent, quibus multa sensu probare, multa reprobare, opus est. Non est sanè, cur ista impensius prosequamur, quæ clara sunt; nec Cicero Luculli orationi occurrere quoquomodo potuit, quin se opinatorem, & magnum quidem opinatorem, & opiniosissimum fateretur suus autem sapiens nihil dicere jure potuisset.

Nunc itaq; ad Academiæ oppositiones aliquid est dicendum, quamquàm in causa non tam nostra, sed Philosophorum. Ad illud, quod potissimum fuerat, de nota, & perceptione veri propria, post pauca paulo accuratiùs dicetur. Ad ea modo, quæ de lato & angusto; magno & parvo, longo, & brevi movebant, quota ablatione, aut additione fiant, in primis dicimus, ea nesciri: neq; enim omnia sciri, sed alia sciri, alia ignorari, constitutum est: quos terminos qui prætergrediuntur jure sanè reprehendantur: saltu velut quodam à parvo ad magnum transeundum esse, & sic etiam à finito ad infinitum, ut veterum sorites, aut Recentium calculationes vitentur, pridem in schola tradidimus, & utinam sicut veteres sorites vitiosos esse fatebantur, ita nos de tot calculationibus idem semel statueremus. De his copiosius alio operculo de parvitatibus materiæ.

De erroribus sensuum nihil eos fallere, plures arbitrati sunt, & Aristoteles 4. Met non sensui sed phantasiæ attribuit illusiones illas. Ad causam tamen Academiæ perinde est, sive hinc, sive inde fallamur, nam semper assument, nullum visum à vero esse tale, quale nequeat à falso esse. Augustinus lib. 3. contra Academ. cap. 11. eo inclinat, ut à fraude omni, deceptioneque sensus tueatur; quia causis his existentibus ita repræsentare debent, & *si unda demersus remus rectus appareret, magis oculos meos falsæ renuntiationis, arguerem*, inquit: *non enim viderent, quod talibus causis existentibus videndum fuit.*

Acuta sane est & universalis ista sensuum defensio. Dicent tamen Academici, licet causæ id ita tunc exigant, falsum interea de remo renunciari, qui scilicet rectus est, & fractus videtur.

Absolutè ergo, id quod nec Augustinus repugnat, & in philosophicis prætereà versamur fateamur Academię, vel sensus, vel phantasiam nobis quandoque illudere. Neque verò nos causam omnem in sensibus, sed simul in ratione locamus, & quis, si quandò sensus illudant, aliis sensatis, experientiisque, & discursu errorem corrigat: & hoc ad Philosophum maximè pertinet, non scilicet, & dijudicare, quandò, & in quibus fallant, ut in remo fracto videt, eum continuo ex aquis sublatum rectum existere; nullas item causas adesse, ex quibus momento & frangatur, & rectus fiat; indè ratione inquirit, cur & unde sub aquis ita appareat, & eas etiam invenit, adeo liquidò, ut nec ipsi quidem Academici dubitent, remum esse fractum. Hæc ergo scire, discernere sapientis, & scientis in unoquoque genere est; hærere vero, nec fallatur, stupidi, ac frustrà rationem sortientis.

Itaque in convictu hominum alii mentiuntur, alii non mentiuntur: omnibus, & nulli credere par fermè stultitia est. Prudentis ergo, & experti non est nulli credere, sed cui credendum sit, cui non credendum, deprehendere. Sic etiam nimius cibus nocet; temperatus non nocet: & talis, aut talis nocet, vel prodest. Fatuum est, ex eo deducere, non esse comedendum: sed hoc nosse oportet quid & quantum sit edendum. Ita Philosophi non est sed saxi nihil de sensibilibus judicare, sed vera à falsis discernere: quod quanto est quis scientior, eo tutius, eò expeditiùs præstat. Scopus ergo & Academiæ, & noster unus est, scilicet non falli, quasi diceres, venenum forte comedendo non interimi. Ipsi non comedendum, hoc est, sapientem nihil judicare, sed instar saxi hærere debere volunt; nos comedendum statuimus, multaque judicanda, sed quæ & qualia scire hoc esse negotium sapientis, & scientis in unoquoque genere.

De motu tardissimo & velocissimo præsertim circulari, & corporis maxime homogenei, nihil interest, si dicamus, eum aliquandò præter sensuum perceptionem judiciumque existere: in quo proinde non fallunt, sed tacent potius sensus, & nihil renunciant: sicut etiam in non sensibilibus aliis: non enim ut diximus, in sensibus causam totam locamus, sed rationi, & intellectui potissimam committimus.

Aiebant, sciri non posse, num res sint, quales, & quantę de longinquo, an de proximo videntur esse. Dicimus, id sciri, ut recte Aristoteles, & commentatores eo 4. lib. expediunt. Hoc nunc brevissime dixerim, res nec de proximo agere in sensus posse plusquam sint: de longinquo autem agere posse minus, quin ut multis experientiis, rationeque deprehensum est, de longinquo agunt minus. Ergo res non minus sunt, quam de proximo agunt; plus autem & esse possunt, & sunt quam de longinquo agant: ergo & quam de longinquo esse videantur: in quo multa alia omittimus loco, dieique suo.

Postremò fatemur, ovis, & hominis, aliorumque animantium disparem esse gustum, & palatum; nec inde ad sensus alios ullum esse argumentum: oportuit scilicet eorum non eumdem esse gustum: quoniam, quod ratio assequitur, oportuit, non omnium animalium idem esse alimentum, quod sufficere omnibus non potest, etsi boves bovibus alendi essent, nec sibi, nec nobis sufficerent: & propter alia, quæ prætereo. Habet ergo unumquodq; animal disparem etiam complexionem, & quæ his prosunt, aliis nocerent Unde ea unicuique placere oportuit, quæ juvarent: ac proinde disparem esse gustus, palatique constitutionem: ex quo efficitur, ut dulce & amarum, & similia relative ad hominem dicantur, & intelligantur. Sed hinc denuò difficultates aliæ, ac lites moveri possent: sed satis, superque pro nostro instituto dictum est, & cætera Philosophis relinquamus.

§. VI.

An ergo sit visum aliquod à vero tale, quale à falso nequeat esse?

HOc potissimum, & magis nostrum est: à quo parum, vel nihil scholæ etiam nostræ discre-

pare

pare videntur. Nam ut primum de fide divina dicam, quam scientiis omnibus certiorem, firmioremque tuemur, si quæramur, utrum fidelis veram inter, falsamque, si quam forte habuit, discernat, aut inter veram, falsamque illam, qua obstinatissimus hæreticus credit, quidpiam, quod percipiatur, intersit; quidam sane quędam discernicula, ut vocant, inferunt plerique verò nihil interesse respondent, & nos etiam ipsi ita quondam censuimus. Ergo quoad fidem etiam, qua Deo credimus, & quę religionem omnem fundat, nullum visum, apparentia, & species nulla à vera est, quæ à falsa esse non possit, & etiam sit.

Quod ad scientias attinet, idem solet esse judicium, nec differre inter syllogismum, & paralogysmum in eo, cui paralogysmus est syllogismus, & omni ei, qui se scire putat, & fallitur, sic ea videntur, quę se scire putat; quemadmodum alia, vel quę scit ipse, vel sciunt alii visa sunt: quod sanè non Academiæ interemptum dogma esse, sed hodie etiam vigere videtur. Hinc accipiet Academia, neminem scire posse, se scire, & percipere; nam quod modò, hoc idem percipiebat ubi etiam maximè fallebatur percipiuntq; alii, & tamen falluntur. Accipiet rursùs, neminem prorsùs scire; nam qui scit sane scit, se scire: nemo autem scit, se scire: nemo ergo scit. Consultò verò amentes, & dormientes ex quorum apparentiis Academici arguunt, prætermittimus; nam satis negotii vigilantes etiam ipsi efficiunt: ubi mille aliæ replicæ induci possunt.

Inferent demùm dogma universum, nulli rei tamquam vere esse assentiendum; tum propter discrimen erroris, qui sic sapienti turpis est, sicut viro probo scelus: tum quia in simili dissimiliter non est judicandum: simile porrò est, quidquid occurrit, sive à vero veniat, sive à falso; nec ulla nota veri propria inest: temerè ergo, & ultrò veram esse judicatur.

Quod si reponas raro simile visum à falso esse. Hoc dicent, quidquid ad opinandum, vel credendum sufficeret, ad sciendum satis non esse: nam qui scit, & percipit, existimant, se in eo falli non posse: at hoc judicare nequit, si simile visum saltem raro à falso possit esse. Undè nec exempla comedendi & similia hic juvant, quasi dicamus, appositum cibum comedendum esse, etsi raro contingere possit, ut similis prorsùs alius veneno infectus apponatur. Nam ad comedendum necesse non est scire, cibum esse sanum; satis est, si opinemur, vel credamus, vel sit probabile nostro modo.

Imo hinc denuò insurgent, & dicent, comedendum ibi non esse ubi frequens esset, venenum ministrari. At frequentissimum fuit, & est, falli homines, se scire existimando; nam passim & ubique singuli singulis contradicimus, & tot fermè sunt sententię, atque etiam scientiæ, quot, ut aiunt, capita. Indè Tullius sæpius mulam peperisse arbitratur, quam sapientem fuisse, & Augustinus lib. 2. Contra Acad. cap. 1. *scientia raro, paucisque provenit:* nec plures, quam septem tota antiquitas sapientes numeravit: pro nobis verò scriptum est, stultorum infinitum esse numerum. Jam frequens ergo, ac pænè omnium periculum cavendum est, nec assensus præstandus. Quid deindè magis plenum temeritate, quam se ex paucis illis futurum existimare. Unde vel Academię, vel Luciano manus dandæ videntur. Atque hoc valdè fovent scholarum divisiones, sectæ, contentiones, & sine fine dissidia, & quasi jurata consilia.

Tenendum est nihilominus constantissime, nec ut loquitur Augustinus de Civi. Dei christianis temporibus dubitandum, multa sciri posse, & à vero, & veri ita esse, qualia à falso nequeant esse. Sed nunc ambobus duo, inquit Augustinus li. 2. contr. Acad. c. 3. *Cavete, ne quid vos nosse* (id est, scientia, vel fide) *arbitremini, nisi quod ita didiceritis saltem, ut nostis unum, duo, tria, quatuor simul collecta in summa fieri decem. Sed item cavete, ne vos in Philosophia* (de morali est sermo) *veritatem aut non cognituros, aut nullo modo ita posse cognosci, arbitremini. Nam mihi, vel potius illi credite, qui ait: quærite, & invenietis: nec cognitionem desperandam esse, & manifestiorem futuram, quam sunt illi numeri.*

Dicimus ergo, illud visum, quod est à vera fide, vel quod est à scibili, tale esse, quale à falso non possit esse. Longè scilicet aliud est, tale aliud visum, vel repręsentatum à falso esse, & aliud prorsùs tale alicui ex errore, & ignorantia videri posse. N mirùm par. 1. lib. 2. discursum est, & ostensum, ex errore, & ignorantia talia non esse verè, & simpliciter talia, sed solùm secundum quid. Cuicunq; porrò paralogysmus syllogismus videtur, & universim visum, & species, quę cum à falso, sit, à vero esse apparet, ex errore, vel ignorantia ita videtur. Ergo visa hæc videntur quidem erranti, vel ignoranti talia esse, qualia sunt à vero: talia tamen non sunt. Quemadmodùm, quod exemplum à Philosopho sæpe usurpavimus, imperito aurum falsum videtur: non quia nulla nota differant siquidem, à perito discernitur; sed non ea, qua imperiti quoque dijudicent.

Ex hoc sequitur, non quidem sapientem nihil scire, aut non scire, se scire; sed illud, errantes, & ignorantes sæpè, & multa existimare, se scire, quæ nesciant. Atque his quidem tanta videtur suas apparentia, quanta scientibus sua; sed ex ignorantia, vel errore ita videtur. Quemadmodum ergo, quod est exemplum Aristotelis, & S. Thomæ 4. Metaph. ægroto dulcia amara videntur: ejus tamen gustus corruptus contemnitur, nec Academici quidem ex eo accipient, probabile, aut verisimile esse, ea non esse dulcia quæ ægrotanti non dulcia, sed insipida videntur: ita accidit in præsentia: *ille enim qui opinatur non verum*, ait S. Thomas Lect. 9. *non disponitur salubriter ad veritatem in comparatione ad scientem: habet enim se ad scientiam, sicut infirmus ad sanitatem: defectus enim scientiæ est opinio falsa; sicut ægritudo sanitatis*: eo autem ęgritudo & major, quo existimatio falsa firmior, & ea sane gravissima, qua quis putat, se scire, quod nescit, aut Deo credere, quæ à Deo non sint. Horum proindè ex visibus, & judiciis arguere fædius est, quam si ex ægris, eorum quę gustu de saporibus judicaremus. Fatemur ergo, eis talia videri sua visa, qualia sapientibus sua: ex quo illud efficitur, sapientem bene habere, eos autem falli miserè, & ægrotare.

Sic consimiliter hæretico v. g. Calvinistæ, tam vel vera, vel credibilis sua religio videtur quam nobis nostra; ex ægritudine tamen mentis, atq; ex ignorantia, & errore ita ei videtur; vere enim eas causas, eas notas suę Ecclesię non habet, quas, & quales nos habemus, quod Catholico cuiq; indubitatum est; frustrà alioqui ex notis verę Ecclesię eos aggrederemur. Catholicus ergo credit motus his notis, & signis; quibus signis, & notis nullus sane hæreticus moveri possit: videtur sane ei, se moveri paribus aliis, aut majoribus: sed iis non movetur. Non ergo est simile visum; quod licet fateamur, tantum sibi ex errore videri, tale certe non est.

Distin-

Distinguendum est itaque in primis, ut factum est, inter ea, quæ ex errore, vel ignorantia, aut citra errorem, & ignorantiam sic, vel sic videntur. Rursùs distinguendum est inter tantum, & tale: & dicendum, errantes tantum apparentiæ habere posse; tale non posse. Hæreticus v. c. negans orandum pro mortuis nequit inter sua motiva, & causas & in suo viso hoc quoque habere, sanctum Augustinum v. g. scribentem de cura pro mortuis. Non ergo habet simile visum; non hoc visum compingitur motivis, & causis, quibus res tamquam vera repræsentatur. Atque eodem modo de scitis est habendum.

Hinc nos negavimus olim, & negamus etiam modò discernicula illa fidei, & quasi percepta, & experta, quorum nullam sit causam, & rationem dare, sed experientia per experientiam defendatur: quod idem hæretici arripiant, & disputationem omnem hoc perceptionis occulto eludant. Quoad causas tamen quibus, fidelis movetur, diximus, & dicimus, nullas similes suppetere sane hæretico, sed longè dissimiles At inquis, similes ei videntur: tantæ videri possunt: eædem videri non possunt: nam suæ causæ, & meæ diversæ prorsus sunt: similes ergo non sunt. Dicit quidquam Augustinus; & ego credo: dicit quidquam Calvinus & Calvinista credit: cui quidem tantus Calvinus videtur, quantus mihi Augustinus: at quantum interest inter Augustinum, & Calvinum tantum interest inter visa utrique. Fateor tamen hic, quod alibi à me dictum memini, ex quali diverso quantum quoque diversum resultare quoad probandum verum revera: & ex quali Augustin. dispar quoque quantum re ipsa resultat; non tamen quoad eum, qui ignorat, & errat, ut errat noster Calvinista.

Atque his satis res declarata videtur. Illud etiam discutere, ferme consilium erat, utrum universim inter omnem veri, & falsi assensionem quidpiam interesset, quod in occultissimo cordis non nihil plus, vel minus innotesceret, vel innotescere saltem posset, si apertis, ut par est, oculis vigilaremus, & nobis magis, quam rebus nostris incumberemus. Videmus scilicet, acum magnete delibutam detineri quidem vi posse, quiescere non posse nisi directam ad polum: intellectus autem ad verum natus est, & vero tinctus, & delibutus quidquid modernis quibusdam ineptire placuerit. Falsis ergo argumentis, ac visibus firmari vi potest in falso: quiescere non item: lapis vi tenetur in aere; & naturæ reliquæ extra centrum; at violenter, & vi, & tenentur magis, quam quiescant: quod si sensu vigerent, percepturæ violentiam viderentur, nec se tam quiescere, quam vi impediri, & firmari. At intellectus ad verum est, sicut naturæ reliquæ ad centra sua. Percipiet ergo, vel poterit, se non quiescere, sed in falso per vim & violentiam figi. Hinc & illud sequetur, intellectum ut vero assentiatur, nullo artificio logico cogi; quibus quippe, ant similibus artificiis ad violenta opus est: ad naturalia opus non est: unde & S. Thomas raro, artificio sillogystico, sed rei manifestatione probare solet. Ad falsa ergo potius syllogismorum artificio mens cogetur. Hæc & alia aliis discutienda relinquimus; modo illud inconcussè teneatur, dari peccata ignorantiæ & erroris, quæ nescientes, & errantes Committamus, ut lib. I. ostensum est.

Illud nunc unum expediendum superest, quod de frequentissimo, & fere omnium errandi periculo, atque paucitate, raritateque scientium, & sapientium objectum est. Hinc in primis pro Christianis adduco paucitatem, & raritatem salvandorum divitum; neque propterea torpere; & desperate, sed sperare potius singuli debent, & eniti, ut ex paucis sint. Dicendum est itaque, scientiam paucis, & rarò contingere, sed culpa nostra, causasque prodit Augustinus, ubi hoc dixit: periculum similiter esse frequens, sed volentibus. De cætero verum esse invenibile, maximè autem Christianis hoc toto libro, & etiam seq. fusè commonstrandum est. Quid scilicet ut hoc ex lib. sup. significem, prohibet Christianum nosse Propheras, nosse Evangelium, & Apostolos, atque loco aliorum librorum Augustinos, Hieronymos, Chrysostomos colere? Qui si hoc pauci fecerint; sine hoc autem rectè scire non contingit, non necessitatis, voluntatis erit vel nescire, vel errare.

§. VII.

Comparere ergo hic vix videntur posse, qui se & æque probabilia, & minus probabilia opinari posse putant.

Hoc est, qui nihili ducere videntur, errare & falli. Ecce scilicet causam, disputationemque percelebrem proposuimus, atque discussimus & Gentium cum Gentibus & Gentium cum christianis. Illud verò utrinque constanter usurpatum est, & servatum ab omnibus, cavendum cuique esse, maximè autem sapienti errorem, errandique pericula: atque ex hoc, quod naturæ sensus planè dictat, Academia tota quanta enata est; existimarunt enim, ut est ostensum, nullam speciem aut apparentiam, visum omnino nullum à vero tale esse, quale à falso etiam non possit esse; ideòque nulli rei tamquam vere assentiendum.

Nulla neque veterum, neque posterorum schola, ita desipuit ut diceret, nihil interesse quod eadem, similiaque prorsùs essent veri, & falsi visa: & nihilominus his, & illis rebus quasi veris esse assentiendum: id potius prohibuit Zeno Princeps stoicorum, cujus ipsa definitione Academici usi sunt: prohibuit Aristoteles scientiam ex veris definiendo: assensum item omnium infimum, & debilem opinionem per ea, quæ plerumque saltem à vero sint, exponendo, ut par. I. visum est: prohibuerintque omnes, & in eo laborarunt, ut notam, & rationem darent, cur, & quibus assensum daremus, quin falleremur, & verum præ falso inveniremus. Quod circa lib. I. quæst. I. nos copiosè explicuimus, quantum malum sint hominis ignorantiæ, & errores: Academia verò erroribus occurrere volens mundum ignorantiis implere nixa est.

Dixi itaque, vix hic comparare eos posse, atque in ista mundi ferme totius lite, & conspectu, qui aiunt, se posse (nos quippe huic gratiæ renunciamus) se, inquam, posse opinari, & assensu opinativo approbare, & judicare æque probabilia, & etiam minus probabilia. Hoc hominum esse videtur errare, & falli nihili facientium: nam æquè probabilia ea nuncupamus, quæ à vero, & falso, id est ab utroque contradictorio æquale visum, parem prorsùs speciem, causam quæ habeant

beant, & in quibus nihil infit, cur hoc magis quam oppofitum fit verum & quæ ideò fupra verifalfimilia, feu nutrifimilia appellavimus: minùs autem probabilia vifum habent magis, & fpeciem, notamque falforum. Ergo fors erit fortuna, & cafus non falli in æque probabilibus; in minus probabilibus velle magis falli. Periculum eft prætereà errandi manifeftum, & evidens: nam prorsùs exiftimus in confinio veri & falfi, & ad utrumlibet, ficut ubi nulla fubeft major fpes vitæ, quam mortis. Contemnunt porrò hoc periculum. Errore ergo, & falli nihili ducunt; Sed cæcæ nihilque difcernenti voluntati provinciam deferunt: determinabit fane ipfa, fed prorfus cæcè, & erit quafi jactus talorum, & cafu five verum, five falfum offendetur. In his rursùs probabilibus tot funt falfa, quot vera. Ergo viam fternunt ad vera, & falfa ex æquo communem & parem: non ergo magis huc, quam illuc eunt, fed ex æquo vera, & falfa petunt, quibus proinde tanti fit falli, vel non falli; etfi voluntas hûc coegit, hoc fibi verum videtur, hoc enunciant: illud autem, & contrarium, fi eò duxerit, voluntatis fanè rerum judices, quibus ex probabilibus omnibus ea vera fint, quæ voluntas voluit. Jam longè abfunt à cavendo errandi periculo, à quærendis notis veri magis, quam falfi; à vigilando fuper vifa, ac fpecies & apparentias rerum fic, vel fic comparentium. Non plura; nam fatis hæc eversa funt par.1.

Scribunt verò ad me aliqui volumen nefcio quod editum de his adverfum me, atque alios; & petunt enixè, ut refpondeam. At nolim ego contendere cum homine, cui tam libera fit voluntas opinandi, & judicandi; cui prudens fit ea quoque edicere, & docere, quæ minùs fundata, & minus, ut aiunt, vere vifa funt; qui contraria videat vero propiora, probabiliora, firmius ftatuta; & tamen impugnet, & evertat; quia voluit; orandus proindè magis erit, ut in rebus prorfus liberis efficitur, malit nobifcum, quam contra opinari, & judicare, quam perfuadendus; nam five paria, five majora etiam adducamus, nifi faltem demonftremus, nihil confequemur: demonftrare autem in contrarium affuetis, difficilis certe provincia eft. In hac ergo ipfa etiam quæftione num opinari poffimus æque & minus probabilia? hoc eft, prorfus contingentia, & indifferentia ad verum & falfum atque ad falfum magis declinantia; in hac unquam quæftione erit etiam orandus, ut nobifcum opinari velit: nam velle fufficiet: quod certè & fibi erit decorum, ne aliquis ejufdem cum ipfo opinionis hoc fibi notæ inurat, ut dicat, ipfum femper, & in rebus tam multis minus probabilia, quæ talia etiam judicaret, docuiffe, edidiffe, vulgaffe; non quæ probabiliora, & veriora vifa fint.

QUÆSTIO II.

Utrum ergo opinio ponens, verum morale effe ininvenibile, fit opinio inopinabilis?

Opinionem inopinabilem eam 4. Metaph. & alias appellarunt, quam quis dicere ore poffit; corde, & mente non poffit. Non ergo quæro modo, an verum morale inveniri queat: fed quæro, an opinio hoc dicens fit inopinabilis?

§. I.

Quot modis contingat verum invenire?

Hoc præmittendum eft; neque enim eò imus, ut verum prorsùs omne fenfu Academia percipi poffe, comprehendi, fcirique, conftituamus.

Inventio itaque veritatis, diftinctione magis, quam divifione æquivoca fejungendo duplex eft, alia fimpliciter, & re ipfa talis, alia fecundum quid, & folùm exiftimata. Tot ergo modis contingit verum invenire, quot modis contingit mente, & corde verè affirmare: ore quippe verum non invenitur, fed magis jam inventum aliis manifeftatur, confignaturque. Tot rursùs modis accidit verum fecundum quid invenire, & folùm exiftimatione, quot modis accidit, falsò mente affirmare. Num porrò ipfa formalis affirmatio fit inventio, an veri perpiius inventi quafi acceptio, & tentio, & apprehenfio ad præsens refert parum; & prætermitto. Eodem modo tot funt falfi inventiones, quot, & quales negationes mentales.

Hinc intellectu primorum principiorum, fcientia, fide divina, omni etiam vera fide humana, & opinione verum invenimus, & habetur. Pro gradu tamen perfectionis, & modi affirmationum eft inventio perfectior, atque præftantior. Habet fcilicet & infirmus vitam fuam: tutius tamen, perfectiusque fanus; habet tamen uterque; habet Princeps arcem fuam obfeffam, & in magno difcrimine conftitutam: habet tamen, fic & verè opinans, & credens verum habet, verum invenit; imperfectius tamen, quam fciens: tamen habet, & invenit.

Quot funt modi verarum enuntiationum, totidem exiftunt falfarum, & totuplex eft fophifta, quotuplex fapiens: & tot fophifticæ, quot fcientiæ, vel quafi fcientiæ. Idcirco & funt falfi, & ficti intellectus primorum principiorum; falfæ, & fictæ fcientiæ; falfæ & fictæ fides divinæ, & fic de reliquis inquam, falfæ, ideft, fictæ, quæ deceptis videantur effe intellectus principiorum fcientiæ, & fidei divinæ, fed non fint. Ideò tot modi fuperfunt exiftimatæ inventionis, quot veræ: & unaquæque fcientia, & facultas his folum exiftimatis, fictis, larvaris, phantafticis fophifticifque inventionibus eft referta, non fua caufa, fed profefforum.

Undè accipias inventionem folùm exiftimatam eo effe deteriorem, quo in fuperiori eft genere, ac præftantiorem inventionem ementitur juxta regulam, quod corruptio optimi eft peffima. Ideo minimum malum eft falfa opinio, maximum hærefis & infidelitas & fic de cæteris.

§. II.

Opinio inopinabilis eft verum morale inveniri non poffe.

Nondum determinamus quidquam de omni prorfus vero morali; fed dicimus, opinionem inopinabilem effe, & quam nemo corde credat,

dat, verum morale sæpe saltem, & plerumque inveniri non posse, nec eos eam mente afferere, qui esse pronuncians.

In primis hoc constant de religione, quæ morum, & totius veri moralis fundamentum est. Gentes siquidem omnes religionem aliquam colunt, plerique quidem corde, qui proinde eam veram arbitrentur: alii exterius, & propter statum, qui etiam eam, quam sequuntur magis è re sua existiment, quam vel aliam, vel nullam: unde nullus Princeps, aut Tyrannus eò nixus est, ut religionem omnem tolleret, quin ipsi profani quique Politici eam necessariam esse duxerunt, ut vel ipse Machiavellus testis est. Ergo verum morale saltem politicum invenisse se existimarunt. Habuerunt deinde leges, & jura, & bonum, & malum, pœnas, & præmia; vituperium & laudem gentes universæ: alios bonos, meliores alios, alios pravos judicarunt: quæ sine cognitione boni, & mali, & sic veri moralis non constant: nec Academici per suum probabile evadere possunt, ut visum est: & Tullius, qui totus in causis fuit, & in orationibus, alios laudavit, reprehendit alios: reos hos innoxium Milonem ostendere laboravit. Novit ergo, quid bonum, quid malum esset, ex quo is reus, innocens ille haberetur: certè se nosse arbitratus est.

Itaque sicut nulla usquam natio existimavit, sine omni religione, & lege esse vivendum, nullos esse bonos, nullos pravos, nullos meliores, justos, injustos; ita nulla credidit, verum morale inveniri non posse: quo scilicet non invenso, leges, & religio quoad ipsos essent quasi non essent, nec ex lege nullo modo cognita magis, quam ex non existente vivere possent, existimarunt ergo, se invenire posse: non ergo existimarunt, non posse. Attrita autem est evasio per probabile, cujus, & veri causa una est, nec si verum est invenibile, inveniri probabile posset.

Præterea conclusionem probo ex 4. Metaph. sextam inde Aristotelis rationem huc applicando, qua ille demonstravit, neminem ita mente affectum esse, qui crederet, contradictoria esse simul vera, & posse rem eamdem simul esse, & non esse.

Unde (ait) & maximè patet, neminem hoc pacto dispositum esse, aut cæterorum hominum, aut eorum qui hanc sententiam dicunt: cur enim Athenas proficiscitur, sed non quiescit, putans se proficisci oportere? Aut cur diluculò non continuò in puteum, aut in præcipitium proficiscitur, sed cavere videtur, ut qui non similiter putans non bonum, ac bonum esse, se in illa projicere. Non ergo existimabant, ire Athenas esse non ire; alioqui non magis proficiscerentur, quam quiescerent. Nec similiter præcipitare se credebant æque bonum, & non bonum; sin minus præcipitia hand caverent.

De Academicis satis dictum est. Nunc porrò in eos diligendum est hoc idem argumentum, qui modò etiam dicere ore videntur, verum morale frequenter, ac in rebus penè innumeris inveniri non posse: quin ex hoc inter alia arguunt pro usu licito probabilium non magis verorum, quam falsorum. Et certè si veritas ipsa ad manum esset, ex qua viveremus, frustrà probabilia inducerentur, ex quibus consilia caperemus.

Jam ergo eodem modo in hos ita dicentes cadit argumentatio facta etenim in probabilibus etiam ipsis, atque controversiis omnes affirmant tantum, vel negant tantum, & ratò, vel numquàm auditur vox illa *nescio*: quod constat facto innegabili, & notorio omnium in libris, in manuscriptis, in scholis, in summis: hoc scilicet bonum, hoc malum; illud leve, illud grave omnes dicunt, & loquuntur. Ergo ita & corde sentiunt: sin minus mentiren tur. At quicumque aliquid mente affirmat, id putat verum: & falsum, quod negat. *Sic ergo patet* (concludat eo locis Thomas) *quod omnes opinantur, se habere veritatem vel in affirmativa tantum, vel in negativa tantum.* Ergo omnes opinamur, & credunt, se invenire verum: non ergo credunt, se invenire non posse; nisi quis sui compos, cum actu manducat; putet se manducare non posse.

Consequenter profectò erant in eo Academici, quod ex hoc antecedenti, *verum ipsum inveniri nequit*; colligebant: ergo *nulli rei quasi vera adhibendus est assensus*: quia assentiri est invenisse existimare. At hinc vel universim verum ipsum morale, vel in probabilibus saltem illud non invenibile dicere: hinc in rebus singulis, & quæstionibus jam negare, perindè mihi videtur: atque si quispiam semper loquens, se loqui non posse diceret affirmant scilicet, vel negant omnes: ergo invenisse se putant: nec enim arbitrari possunt, sic se impossibilia fecisse, aut illud fieri non posse, quod ipsi omnes, & singuli passim, & non tam sæpe, quam semper efficiunt. Homines profectò isti parum consequentias suas meditantur.

Ais, te haud existimare verum inveniri prorsùs non posse, sed non posse certò, & infallibiliter in rebus morum permultis. Sed in primis hic non de gradu, & perfectione inventionis, sed de inventione disputamus si Rursus: ergo opinione saltem inveniri verum potest vel semper, vel plerumque. Vivere ergo possumus ex vero ipso sine tuo probabili non magis vero, quam falso; nam qui ex vera opinione vivit, ex vero sanè vivit, & opinio vera est utique vera.

At inquis, ubi etiam verum opinione, & hoc imperfecto modo invenisti, nescire te plane, nunc inveneris, cum tam facilè opinando fallamur, ac adeò immensus sit numerus opinionum falsarum; nam passim, & vix non in omnibus singuli singulis contradicimus. Cæterùm labes hæc non opinantium tantum est: nam & in his, quæ certa arbitramur, similiter contradicimus & fallimur. Responsio deindè terminos intelligentis non est; nequit namque mente quis affirmare, & nescire, utrum verum invenerit, cum affirmanti cuique verum id sit, quod corde enunciat; non ergo existimat, se nescire, num invenerit, quę dubitantium, & ignorantium dispositio est, sed existimat, se invenisse, & verum id esse, quod profert. Nunc porrò non disputamus, an omnes re ipsa inveniant; nam plurimi non inveniunt, & falluntur, sed quid omnes existiment indagamus: & quia omnes affirmant, & negant, concludimus, omnes corde credere, verum passim, & facile se invenire: non ergo putant, invenire se non posse vel nesciunt, quid loquantur.

Nec ad reflexas est effugium; nam hæ reflexæ assumunt opiniones probabiles directas, quæ sint affirmationes, & negationes rerum, quibus sublatis reflexæ corruant, via ergo reflexa supponit directam; ergo opiniones se verum invenisse credentium. His ergo ita existimantibus vel credendum, & fidendum est, vel secus? si rectè

eis fiditur, verum ergo inveniri poteſt, quod illi ſe inveniſſe putarunt: vel credendum non eſt & tunc ex eorum dicto non rectè vivimus. Rurſus ſi verum inveniri nequeat directi opinatores planè commenti ſunt, & ea nobis teſtati, quæ noſſe non poterant. Stultè ergo ex eorum dicto vita inſtitueretur. Ergo invenire potuerunt. Ergo ipſi etiam puri teſtexiſtæ ſupponunt, verum inveniri poſſe, quin paſſim, & ferè in omnibus inveniri.

§. III.

Ulterior rei comprobatio.

Diximus quæſt. ſup. ex Academiæ dogmate de vero ininvenibili, illud ſanè conſequi, quod quærendum, laborandum, diſputandum nihil eſſet, neque poſſet; nam ut caſus omittamus obedientiæ exercendæ cauſa inſtitutos, in quibus in impoſſibilibus etiam laboratum eſt, ſed ad finem poſſibilem ſcilicet obedientiæ conſequendum, de cætero nemo movetur ad impoſſibile; quod eſt cunctis principii loco conſtitutum, & ratio ea eſt, quod media propter finem expetuntur, & ſic etiam adhibentur: ergo quicumque media amant, & adhibent, haud arbitrantur finem poſſibilem non eſſe. Quærere portò eſt propter invenire, & omnis quæſtio, ſtudium, labor, atque diſputatio omnis propter verum eſt. Omnes autem quærunt, ſtudent, laborant, diſputant. Omnes ergo credunt, verum inveniri poſſe: & quemadmodum in arenis maris numerandis, quod impoſſibile eſt, laborant nulli; ita in ſtudio quoque Moralis Theologiæ eveniret, ſi corde crederetur, verum nunquam inveniendum. Factis proindè omnium evincitur, eos verum invenibile exiſtimare.

Quin illud inventu, & cognitu facilius, & expeditius fortè credunt, quam ſit. Rerum quippe difficilium ea conditio eſt, quod multo ſudore conſtent, & à viris magnis, non à quibuſlibet gregariis peragantur. At ſcientiam moralem quilibet aggredi videntur, atque in ea affirmant, & negant; ſtatuunt & definiunt; ac proindè quilibet ſe verum invenire arbitrantur. Ergo verum morale nimis fortè obvium ſingulis, facile, expeditumque exiſtimant. Nos profectò illud invenibile quidem autumamus, non tamen rem eſſe adeò protritam, abjectamque, ad quam quilibet quomodo libet, qui ſcientias naturales attingere, certè docere non auderet, par eſſe queat: de quo ex Gregorio Theologo dedi aliqua par. 1. nec modò hoc agimus. Hæc certè omnium moralem Theologiam aggrediendi facilitas, qua ſe docere quoque eam poſſe confidunt, ſatis, ſuperque demonſtrat, ſe non exiſtimare impoſſibile, illam ſcire, & noſſe, & acquirere: per hoc autem noſcunt verum morale: hoc ergo non latere, ſed inveniri poſſe credunt, quin inventu, ſcituque facilius putant, quam fortè ſtatuariam, quam tam citò, breviqne & comparare & docere vix quiſquam auſit.

Hinc rurſus, quemadmodum de proficiſcentibus Athenas arguebatur, qui utique ſperabant, ſe eo pervenire poſſe, videamus homines velut ire, & proficiſci, ac preſſe etiam ad ſcholas ire, ut tam Philoſophiam, quam Theologiam moralem, aliquidem doceant, alii addiſcant: in quem etiam finem Cathedræ inſtitutæ ſunt; deſignata ſtipendia, & Magiſtri conſtituti: Alii ergo vel putant, vel mentiuntur, ſe Philoſophiam, vel Theologiam morale noſſe, & habere, quam doceant, atque conſignent: alii ſe eam adipiſci poſſe credunt, & in hunc finem laborant, expenduntque: Reſpublica item, & Princeps idem putant, ideoque cathedras erexerunt, atque dotarunt. Credunt ergo omnes, ab aliis quidem haberi, ab illis haberi poſſe ſcientiam utramque moralem. At ſcientiam morale n habere eſt verum morale noſſe, & invenire: illam autem habere poſſe eſt verum morale noſſe poſſe, & invenire. Omnes ergo credunt, verum morale inveniri poſſe; quare opinio contraria eſt inopinabilis, quamque mente credit nemo.

Neſcio, utrum hic quoque alicujus iturus ſit ad probabile, & ad reflexas. Demonſtratum opinor, eſt par. t. & per ſe apertiſſimum videtur, reflexas iſtas non eſſe ipſam moralem ſcientiam, ſed reflexionem in eam, & reflexionem quidem non more, modoque ſcientiæ, ut modò diſputamus, ſed hiſtoricè inſtitutam. Nos autem de ipſa morali ſcientia locuti ſumus. Dicant rurſus ſemel & palam eam nuſpiam eſſe: ergo & reflexiones erunt de ſubjecto, ut aiunt, non ſupponente; utque paulò antè dictum eſt, reflexis iſtis non aliud, quam ipſæ opiniones morales directæ, quæ partes ipſius ſcientiæ ſint, aſſumantur: ergo datur ſcientia moralis, noſcitur ergo verum morale, & ſi verum inveniri nequit, reflexis iſtis non aliud, quam dicta, & opiniones rerum incognoſcibilium aſſumerentur. Sed quid in his moror, quæ contrita ſunt.

Addamus aliquid, quo verum re ipſa etiam inveniri poſſe oſtendere ordiamur, hactenus quippe non, an inveniri poſſit, ſed an inveniri illud poſſe, omnes exiſtiment, tractatum eſt.

Et primo ſic: verum eſt, quod omnes, & ubique, & ſemper crediderunt ita eſſe. Hoc eſt principium morale ex 10 Ethicor. ubi verum pro morali ſcientia definitur, quod omnibus videtur; ſicut bonum, quod omnia appetunt: & ſicut appetitus omnium non fallit, ita neque omnium judicium, quia naturæ judicium eſt: ergo à Deo Authore, qui non fallit: quod alias late proſecuti ſumus, atque declaravimus: rectè enim ait Cicero, in quo omnium natura conſentit, verum habet: rectè & Plinius ad Trajanum negat omnes aut falli, aut fallere: acutius illud Sidonii, mundi ſuffragia nemo emit. Quidam tamen Theologus egregius hoc dictum naturalo Philoſophorum, omniumque re vera oppugnans, me tamen ſolum oppugnare ſibi viſus ex eo, ſi ſuperis placet, rem confeciſſe putabat, quod omnes initio ſaltem doctrinam Chriſti falſam eſſe exiſtimabant. Sed re ponderemus: argumentum non eſt ad rem. Reſumamus ergo, verum eſſe, quod omnibus videtur, ſed omnibus videtur verum morale inveniri poſſe. Ergo vera eſt opinio hoc ſtatuens. Minor oſtenſa eſt.

At Academiæ, inquit, ſcholæ florentiſſimæ, & frequentiſſimæ nos eſſe oblitos, cui ſcilicet viſum non eſt, verum morale inveniri poſſe, ſed ſolum veriſimile, ex quo vita regeretur, ſed oſtenſum eſt, hanc eſſe opinionem inopinabilem, quam

quam nec academici quidem mente acciperent, nec tam mentiendo, quam sese non satis intelligendo locuti sunt: quod denuò magis ex Jullii ipsius confessione comprobare obvium sane foret, sed otiosum. Omnibus ergo visum est, verum morale inveniri posse, nam omnes quæsierunt. Vera est ergo sententia illud invenibile statuens. Quo eodem modo argumenti genere S. Thomas 1. part. quæst. 12. ex appetitu omnium ad beatitudinem possibilem esse visionem Dei, sine qua nulla fuit ipsi, nec est nobis beatitudo, sapientissime intulit, firmavitque.

Rursùs idem demonstratur ex 1. Metaph. undè omnis homo naturaliter scire desiderat, si autem quidpiam scire desiderat, hoc primum fit, necesse est, quid agere, quid vitare, quomodo vivendum sit, scire desideret: ex quo sanè naturali desiderio sciendi duo consequuntur, alterum scire hominem posse; alterum aliquos aliquandò scivisse, & invenisse. Primum constat. quia homo alioqui natus fuisset ad torturam, & cruciatum, torqueretur que à natura ipsa appetitu, ac desiderio rerum impossibilium: quod Philosophia omnis abhorret, & loco suo magis declaratur. Alterum erat, aliquos aliquandò scivisse & invenisse; frustra alioqui hoc desiderium sciendi natura injecisset: at in natura nihil est frustrà: ergo aliqui aliquandò sciverunt, & invenerunt. Accipiunt etiam hodie Philosophi hoc arguendi genus, nullumque appetitum admittunt semper, & ubique frustra; & inductione naturarum reliquarum constat. Verum hi, quibuscum agimus, cum nec Logici, nec Philosophi sint, quid demùm sint, planè nescias.

Postremò utrumque hoc nos scilicet invenire posse, & aliquos aliquando invenisse accipitur ex 4. Metaph. atque ex omnium confessione: nam constat, aliqua sciendi & inveniendi prima principia & prima nota fuisse nobis à natura indita; quod eo loci sane demonstratur, nec Academici sane negare possint: qui scilicet admittunt nos quærere saltem posse, & debere: at nec quærere quidem possemus, neque moveri nisi esset aliquod primum, ex quo admisso moveremur, nec dubitare, neque loqui; omnis enim hominis, qua hominis locutio est affirmativa, vel negativa, vel interrogativa, vel similis, ne omnes modos enumerem: at omnis supponit aliquod notum: in quo hic non est immorandum. Quod si aliqua prima nos natura edocuit, illud erat, de quo nos institueret, potissimum, quomodò vivere oporteret. Injecit ergo natura, ut hoc scire, discereque possemus, semina aliqua, & principia morum; ut non omnes sanè admittunt, & alibi promovimus.

Hin primo colligitur; ergo scire, proficereque possumus: atque verum invenire; frustra alioqui, ac prorsùs vanè sator naturæ, ac bonorum omnium Deus ea principia injecisset, ex quibus colligere nihil possemus. Semen quidem aliud secùs viam, super petram aliud cecidisse legimus; sed homo se petram facit, qui ager fertilis esse potest. De cætero agricolarum nullus ita desipuit, qui ubi colligi nihil posse sciret, seminare cogitaverit. Colligitur deindè aliquos aliquando ex principiis illis notis didicisse, & profecisse; quia nihil est in natura semper otiosum, & frustra: at prima principia morum sunt propter conclusiones, nec vitam tegere ex universalissimis illis notis possumus. Ergo aliqui aliquandò didicerunt, & profecerunt: quemadmodùm eodem argumento ostenditur, virtutes naturæ reliquas non semper, & in omnibus otiosas extitisse, nullum intellectum intellexisse, nullum oculum vidisse, & hoc genus cætera. Quin ex hoc ipso quod modo de intellectu attingimus, haud minus compertum est, intellectus aliquos vera aliqua agnovisse, nec semper frustra extitisse, quam visum aliquandò aliquem vidisse. Nunc jam prætermissis omnino Academicis, ad causam Christianorum propiùs accedere incipiamus.

QUÆSTIO III.

Quibus viribus verum inveniri posse, vel non posse, disputamus.

CUm multa aliis viribus fieri queant minoribus aliis fieri nequeant; sit autem homo præditus duabus quasi viribus, & suis, & divinis, id est naturæ, & gratiæ, hoc hic præmittendum fuit, & observandum, quibus demum viribus, quoque virtute, an naturæ, an gratiæ, de vero invenibili disputemus: fiet enim alioqui, ut alii de viribus naturæ rem intelligentes, alii autem gratiæ, & inveniri posse vicissim dicentes, dissidere magis videantur quam dissentiant. Differt vero hæc quæstio ab eis, quæ præc. lib. quæst. 15. & 16. tractata sunt: nam ibi de necessitate doctrinæ revelatæ quasi objectiva, dictum est: nunc autem discutimus, num ipsa recta doctrina morum in sese notum Dei, nec viribus naturę acquiri possit. Qui porrò tot moralia volumina conscripserunt, & nihil ista tetigerunt, quam fidem mereri possint.

§. I.

Theologorum sensus de naturæ insufficientia ad inveniendum verum.

TRactaot de hoc Theologi Scholastici 1. 2. qu. 109. art. 1. qui est, utrum homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit. Quod certe ibi à scholasticis discussum morales maxime Theologos ob oculos habere oporteret.

S. Thomas pro parte negativa arguit primo ex 1. ad Corinth. 12. *nemo potest dicere Dominum Jesus nisi in Spiritu sancto*: ubi dicit Ambrosius, *omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est.* Sed hoc est non per naturam esse, sed per gratiam, ergo nullum verum cognoscere possumus nisi per gratiam, ac viribus ejus: ubi omitto textum ex 1. ad Corinth. 3. de quo post.

In contrarium adducitur Augustinus 1. Retract. cap. 4. dicens: *non approbo quod in oratione dixi Deus, qui non nisi mundos verum scire voluisti: responderi enim potest, multos etiam non mundos multa vera scire.* Atque per hoc non omnis gratia, sed habitualis, & sanctificans, quę mundos nos reddit, excluditur.

Processus 1. Thomæ in hoc articulo est, ut primo statuat necessitatem Dei moventis pro

omni, & quolibet vero agnoscendo. Deinde excludit necessitatem novæ illustrationis, quæ superaddatur naturali lumini, & illustrationi, quasi ea sit necessaria in omnibus, *sed in quibusdam*, inquit, *quæ cognitionem naturalem excedunt*. Quæ porrò sint ista, an supernaturalia solum, an etiam ipsa naturalia, hoc loco non magis declarat.

Theologi distinguere solent verum naturale, & supernaturale: at rursus speculativum, & morale. Et primum Cajetanus in Comment. velle videtur, omne prorsùs verum naturale nosci, & inveniri posse virture naturali intellectus humani. Opponit max. sibi statum, in quo degimus naturæ non integræ, sed lapsæ, in quo vulnus ignorantiæ contraximus, habemusque rationem infirmam; nequit ergo se ipsa assequi omne verum naturale: quod scilicet, & nihil plus posset natura sana, ac minime vulnerata; neque infirma. Respondet, hoc quidquid est infirmitatis, & vulneris intelligendo solum de ratione, quæ est subjectum prudentiæ; nam ratio sic sumpta non est absoluta, sed mota à voluntate; est enim prudentia ex 6. Ethicor. habitua confesse se habens appetitui recto. Hinc putat rationem naturalem ad prudentiam quidem non sibi sufficere: at sufficere ad reliquum verum naturale etiam morale.

Verum ut obiter aliquid significem, hæc Cajetani doctrina neque rationi, neque S. Doctori neque ipsi Cajetano in quæstionibus de peccato originali multum concordare videtur. Non quidem rationi, quia non solum quoad prudentiam, sed quoad omnem prorsus veri moralis inquisitionem ratio plurimum pendet à voluntate, & habentes appetitum rectum, vel pravum valde contrarie de bono, & malo judicant sicut quoad prudentiam, ita & quoad reliqua judicia boni & mali; & ideò gentium appetitum pravum habentium tam erroneæ extiterunt opiniones ut ex 1. ad Rom. declaratum est & 10. Ethic. ad vitum probum mittimur pro agnoscendo bono, & ad justum pro habendo justo, & proverbium est, qualis unusquisque est, & qualiter affectus, talem ei et videri finem. Deinde si virtute naturæ reliquæ cognitiones boni & mali rectè comparari possunt, rectè ex eis eadem virtute elici, colligique possunt actus prudentiæ, & rectè præopinata rectè deinceps per prudentiam dictaotur: & primò recte facto secundum exigui est oegotii.

Videtur deinde confundere vulnus ignorantiæ cum vulnere concupiscentiæ, & infirmitatem rationis cum infirmitate voluntatis, quasi ratio in quibus à voluntate non movetur, perindè valeat, ac si prorsus sana, ac vegeta existeret. Nos ex D. Thoma quæst. 22. art. 1. & quæst. 25. art 3. ipso ibi Cajetano non repugnante, supponimus, naturam ex peccato in utraque parte, & intellectiva, & volitiva infirmam, ac vulneratam remansisse: quod jam alias satis constitutum retractandum modò non est: remanserunt utique naturalia omnia sed infirma, sed malè habentia per determinationem à vero, & à bono; & ratio indè nostra quamdam etiam hebetudinem languoremque contraxit. Quod certè facile ex peccatis actualibus intelligitur; nam his incurritur jam cæcitas, jam hebetudo mentis, licet naturalia omnia remaneant in peccatoribus; de qua cæcitate, ac hebetudine lib. 1. dictum est. Nihil ergo est difficultatis, quod ratio ipsa naturalis simile quidpiam infirmitatis, quod vulnere ignorantiæ majores nostri significarunt, à peccato originali passa sit. Quare solutio Cajetani ad vulnus objectum ignorantiæ sufficiens esse non videtur.

A contrario Gregorius Ariminensis, Capreolus, & alii, ut quidam eos intelligunt apud Vasquez disp. 183. cap. 1. existimarunt, hominem in hoc statu naturæ lapsæ, & corruptæ nullum verum morale cognoscere posse sine peculiari auxilio gratiæ: Vazquez autem distinguit vel sermo est de notitia, quæ apta nata sit movere affectum ad virtutem, & ad bonum, vel secus? Ad cognoscendum quodcumque verum priori modo requirit gratiam; non autem ad cognoscendum secundo modo.

Antonius cordubensis lib. 2. de ignor. qu. 2. tractat, quid sit, facere, hominem, quod in se est ad vincendam ignorantiam? Respondet, esse eam per se, & per alios veritatem inquirere: quod si non sufficeret, Deum prætetea orare, ut dirigat vias suas, Hanc orationis necessitatem pro agnoscendo, inveniendoque vero, sicut pro consequendo Dei adjutorio docent multi, & aliquos refert cordubæ; & nos satis libr. 1. statuimus, nec salvis saltem Psalmis negari potest.

Alii Theologi distinguere solent de omni vero, & de quolibet vero; & aiunt, naturam sufficere ad quodlibet naturale verum etiam morale, non ad omne quasi distributive, non collective omhia possit, quemadmodùm de vitandis peccatis, ac similibus statuere solent.

§. II.

Vires naturæ non sufficere ad verum morale inveniendum ex lib. sup. colligitur.

Distinguendum est verum morale naturale & supernaturale, & rursùs gratia distinguenda est in exteriorem, & interiorem. Constat apud omnes ad verum morale supernaturale agnoscendum, & inveniendum requiri gratiam ejusdem ordinis aliquam saltem exterioris revelationis, & doctrinæ. Deinde hac grat a, & supernaturali re aliqua posita, posse & ipsam, & alia quoque supernaturalia naturaliter agnosci nobis certius est ut Cajetanus ea quæst. 109. ar. 1. aliique tuentur: quo pacto Dæmones naturali utique fide credunt, & contremiscunt: credunt quoque hæretici Trinitatem, aut alios articulos de quo alias.

De vero morali naturali asserendum videtur, nos naturæ virtute invenire aliquid posse & scire; multum non posse; proficere doctos, sapientesque evadere non posse saltem sine exteriori gratia externæ revelationis, doctrinæque: an insuper necessaria sit interior gratia adjuvans, dicam inferius: an item vel illud patum agnoscere possimus, ut oportet, explicabo: quamquam horum exacta tractatio ad tractarum de gratia pertineat, & illud præsentis instituti sit, præscribere scilicet in ista de vero inveniendo causa nobis non tam considerationi esse naturæ vires & robur ingenii quanticumque, quam Dei adjutorium viresque gratiæ.

Hæc

Hæc tota conclusio accipitur ex sup. lib. quæst. 15. ubi probavimus Doctori cuique morum necessariam esse scientiam, ac peritiam scripturarum in quibus gratia superioris, ac revelatæ doctrinæ continetur; ubi rem istam claris scripturarum ipsarum, sanctorumque authoritatibus confecimus: ergo absque hac saltem exteriori gratia virtus naturæ, & ingenium non sufficiunt, ut multum saltem sciamus, ut proficiamus, & recti Magistri, vel discipuli etiam evadamus.

Idem colligitur ex quæst. 16. ubi S. Thomas tradebat necessarium fuisse ut ea etiam ipsa, quæ sub rationem naturalem cadunt, nobis revelarentur, & per fidem acciperentur tamquam ab eo dicta, qui falli non potest, quia ratio humana est multum deficiens. Inde, consequenter tradebat propter incertitudinem humani judicii de rebus agendis necessarium fuisse, quòd homo in suis actibus dirigeretur per legem divinitùs datam. Hæc ergo saltem gratia & ordinis superioris doctrina nobis necessaria est, ut sciamus, quid, & quando agere vel non agere oporteat.

Hanc superioris, ac divinæ doctrinæ necessitatem probabat inter alia, quia Philosophi naturali investigatione in multis erraverunt, & nusquam magis, quam in scientia morum, ubi de finibus ipsis, & sic de tota possessione boni, & mali sibi contraria tradiderunt. Neque verò, ut de eo loci magis declaratum est, hæc necessitas olim fuit, & nunc non est, aut prisci illi stupidi fuerunt; nos autem ingenio, naturæque vigore præstamus: imo in investigatione pura naturali quis nostrum aut Aristotelem assequitur, aut Platonem? Una ergo, & par est causa naturæ imbecillitas, & in quibus doctrinæ superioris authoritas nos non colligit, & tenet, sed soli investigationi naturali rei committimur, alii aliis passim contradicimus, & alterutri erramus, & omnes confusi sumus, atque omnes libri morum, ubi sola ratione causa agitur, hujusmodi contradictionibus pleni existunt & mundus confusus est. Probabiliter quidem has sic sibi vicissim contrarias, & ita veras, & falsas doctrinas sufficere tuentur; nobis nihil est falsius, ac de falsis nostris perinde arbitramur, atque de falsis Philosophorum.

Quinimo de iis etiam, quæ de jure naturæ esse, & sic sub inquisitionem naturalem cadere videbantur, adhuc disputatur, num sint mala jure, legeque naturæ, ut de usuris: & nisi ingenti doctrinæ revelatæ autoritate continéremur, liceat mihi ignorare, quid de simplici fornicatione atque similibus dicturi essemus, cum quod caput est omnium, ipsa etiam immortalitas animæ in lite esset, & controversia apud investigatores naturales, ut visum fuit. Quod ergo plus habemus, Dei institutioni, doctrinæque, non nostris ingeniis tribuamus. Sed quid est homo? superbum sane animal.

Rursus ea quæst. 16. ostensum est, cognitionem finis hominis supra rationem naturalem existere. Inde cum D. Thoma accepimus, ipsa quoque media & virtutes non solum Theologicas, sed etiam morales proprias christianorum, ac fini nostro proportionatas excedere rationem, & inventionem naturalem: quæ ea quæst. 16. prosecuti sumus. Ex quibus satis constat necessitas gratiæ superioris saltem, ac divinitus traditæ, & revelatæ doctrinæ.

§. III.

Major declaratio, & comprobatio doctrinæ.

Autoritatibus compulsus hanc mihi videor debere statuere conclusionem: nullum bonum faciendum, nullum item malum vitandum cognoscere possumus, ut oportet sine gratia Dei etiam interiori. Illud, *ut oportet* ex conciliis scilicet sumpta clausula celebris, & accepta in scholis est quoad actus virtutum. Quidam tamen eam ita exponunt, ut entitativam solum, & quasi subjectivam actuum differentiam significatam velint, quasi actu quidem naturali vitari peccatum possit: bonum item fieri, sed non *ut oportet*, id est, non ita ut vita æterna promereatur; ad quod scilicet necesse est actum esse supernaturalem. Nos istam puram entitativam actuum differentiam loco suo repulimus, & statuimus, actus naturales, & supernaturales objecto etiam differre, aut malum vitare ut oportet nobis perinde est, atque de altius aliquid, aut altiori aliquo motivo, & causa nos duci: ad quod altius, superiusque motivum, causamque agnoscendam necessaria sit gratia Dei interior.

Hanc, inquam conclusionem pono autoritate compulsus, etenim scriptura & concilia eodem modo gratiam Dei esse definire videntur & scire, quid facere debeamus & posse illud facere, & cognitionem, & vires esse utrumque donum Dei: quoniam ad tractatum de gratia pertinet, hic breviter expediam, nec prorsus prætermitto, ut in his moralibus quæstionibus præsentius habeatur, quam simus impares ad bonum non solum faciendum, sed etiam, ut oportet, agnoscendum, nisi Deus donaverit, dicamusque istas doctrinæ motum causas non esse res ingenii, sed divinæ gratiæ, donationis, & doctrinæ.

Ex conciliis primum aliqua delibemus, atque ex Milevitano cap. 4. resumamus, quod quæst. 15. §. 3. adductum est: *item quisquis dixerit*, ait *gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus, scientia inflat, Charitas vero ædificat valde impium est, ut credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi; ad eam, quæ ædificat non habere, cum sit utrumque donum Dei & scire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus, ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, charitas ex Deo est.*

Perspicua sunt omnia, & prorsus statuitur, utrumque esse donum Dei & gratiam per Christum; ut loco citato etiam ponderatum magis est. Ergo sicut dici non potest charitatem ex Deo non esse, donum ejus non esse, ita videtur dici non posse, donum Dei non esse, & gratiam per Christum scire, quid appetere, quid vitare debeamus. Nec movere debet

quod ſcientia ſine eharitate inflet; hoc enim novit eoncilium, & tamen ait illam domum Dei eſſe: novit Propheta, & tamen de Deo dixit qui docet hominem ſcientiam. Multa igitur Dei dona, ac munera non ex directione ſua, ſed ex abuſu noſtro nos paſſim inflant. ut vel penitentia ipſa & virginitas ut habetur ex Evangelio, & omnia prorſus vana ſunt ſine charitate, & velut æra ſouantia. Quin ex eo ſcientia inflare maxime ſolet, quòd noſtris eam viribus arrogemus.

Concilium Arauſic. 2. can. 9. *divini & muneris, sum & recte cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia tenemus.* Item can. 22. *de his quæ hominum propria ſunt. Nemo habet de ſuo, niſi mendacium. Siquis autem habet homo veritatem, atque juſtitiam, ab illo fonte eſt, quem habemus ſitire,* &c. Can. 7. æquiparat vires & eognitionem: *hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis; ſine me nihil poteſtis facere: & illud Apoſtoli: non quia idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* De poſſe ergo, & de cogitare; de cognitione & viribus una eſt exiſtimatio, & par cauſa: & certe ſi quæ de cognitione ſancita ſunt, ad naturam detorqueantur, & de naturali cognitione accipiantur, concidit quidquid in his maxime conciliis adverſus Pelagium pro gratia Dei decretum, definitumque eſt.

Diximus lib. præc. ſic ſcientiam, & cognitionem eorum, quæ exequi, quæque fugere oportet, à Deo poſtulari, ſicut gratiam adjutorii & virium ex pſalmo illo magno 118. in teliquorum ſpecimen aliqua contulimus: & huc ea faciunt: *doce me juſtificationes tuas: revela oculos meos: viam juſtificationum tuarum inſtrue me:* item: *beatus, quem tu erudieris, Domine & de lege tua docueris eum: qui docet hominem ſcientiam: vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas edoce me: Domine, da mihi intellectum, & vivam: ſapientiam præſtans parvulis:* unde & in evangelio ſalvator ait, *confiteor tibi & quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus; & revelaſti ea parvulis.* Novit hoc quoque Salomon, & ſapientiam, qua populom recte regeret, ac inter bonum, & malum diſcerneret, & apte judicaret, à Domino tamquam donum ejus præclarum poſtulavit, & conſecutus etiam eſt. Undè & beatus Jacobus cap. 1. eodem nos temittit pro ſapientia imperranda: *ſi quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter,* &c. *poſtulet autem in fide, nihil hæſitans.* Item Prov. 2. *Dominus dat ſapientiam:* & 8. *meum eſt conſilium, mea eſt prudentia:* & Jerem. 10. *non eſt hominis via ejus:* & cap. 24. *dabo eis cor, ut ſciant me:* ac alia ſine numero.

Hinc horum bene Conſcia ſancta Mater Eccleſia Deum pto cognitione & viribus orat: *vota, quæſumus Domine, ſupplicantis populi cœleſti pietate proſequere ut & quæ agenda ſunt, videant, & ad implenda, quæ viderint, convaleſcant.*

Autoritas contra Pelagium una ex potiſſimis, & perſpicua eſt ex Joan. 15. *Ego ſum vitis vera & ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo* &c. *quia ſine me nihil poteſtis facere.* Hic porro ſermo Domini de cognitione ſimul eſt: & ſic continenter ſubjicit: *ſi manſeritis in me, & verba mea in vos manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.* Utroque ergo opus eſt, & viribus, & cognitione, qua & palmites hujus vitis, & diſcipuli hujus unius Magiſtri ſimus, ut ftuctum afferre poſſimus; & ſicut niſi ut palmites nihil poſſumus, ita niſi ut diſcipuli nihil ſcimus, ut oportet, nec quomodo malum vitandum ſit, aut bonum faciendum quantum & ſicut oportet.

Autoritas alia potiſſima contra Pelagianos & ſemipelagianos ea eſt qua Concilium Arauſicanum utebatur ex 2. ad Corinth. 3. *non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Hoc Apoſtoli teſtimonio attrivit ſemipelagianos etiam Auguſtinos lib. 1. qui eſt de Prædeſt. Sanct. cap. 2. *Attendant hic,* inquit, *& verba iſta perpendant, qui putant ex nobis eſſe fidei cæptum, & à Deo eſſe fidei ſuplementum. Quis enim non videat, prius eſſe cogitare, quam credere?* &c. ſcilicet ex hac cogitationis neceſſitate, ad qoam ſufficientes non ſimus ex nobis, ſed ex Deo, probat, quodlibet initium, cæptumque ex Deo eſſe; cogitatio autem cognitio aliqua eſt. Quam ergo doctrinam contra Pelagianos, ſemipelagianoſque habemus de neceſſitate adjutorii, & virium, ut quidquam ſicut oportet, vel vitemus, vel faciamus, eamdem habere videmor de neceſſitate cogitationis, ſcieotiæ & intellectus. Atque hoc ipſum & illud eſt quod Apoſtolus ait 1. ad Corinth. 12. *nemo poteſt dicere Dominus Jeſus niſi in Spiritu Sancto.*

Plurima in hoc argumentum cumulat S. Proſper lib. 1. de vocat. Gent. præſertim vero cap. 9. *ex Deo utique eſſe, ut homo viam Dei eligat, &c. Pſalmus Davidicus canit dicens: à Domino greſſus hominis dirigentur & viam ejus volet. Item idem, quod Deo duce veniatur ad Deum: emitte lucem tuam, & veritatem tuam, &c. in proverbiis quoque legimus de ſapientia, & intellectu; quoniam Dominus dat ſapientiam & à facie ejus eſt ſcientia, & intellectus* ac multa alia & eſt in cap. 2. alius locus expreſſus ex Paulo ad Rom. 1. depromptus. Hinc illud etiam eſt quod dicitur: *Deus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt* & humanis opinionibus diceret hoc idem poſſumus nam ut mox declarabo, omnis humana ſcientia vel eogitatio eſt aut falſa, aut inſufficiens ut boni eſſe poſſimus. Inde Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. de ſapientibus textum reſumit: *Deus novit cogitationes ſapientium quoniam vanæ ſunt:* atque tribus primis epiſtolæ capitibus humanam ſapientiam attetit.

Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentium reprobabo: in eam ſcilicet, quæ tum maxime Corinthi florebat ſapientiam Philoſophorum, id eſt, pute philoſophiam, ac humanam invehitur. *Ubi ſapiens, ubi ſcriba, ubi inquiſitor hujus ſeculi! Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi!* Et iterum: *& ego cum veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ:* ac rurſos: *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis:* ac rurſus: *nemo ſe ſeducat: ſiquis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens; ſapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum:* atque alia, quæ longum eſſet commemorare. Unde & in Evangelio ſcriptum eſt; *fruſtra,* & allas, *in vanum autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.*

Neque verò exiſtimandum eſt, eam hic ſolam politicorum ſtatui omnia ſubjicientium, ac poſthabentium quati ſapientiam. Nam de omni prorsùs pure humana & hominum ex elementis hujus mundi hauſta ſapientia ſermo eſt; tum

quia

quia abſolutus, & univerſalis eſt ſermo; tum quia, ut dictum eſt, & lib. ſup. magis declaratum, in Philoſophotum magis, qui Corinthi florebant, quam Poliricorum ſapientiam invehitur: maxime verò quoniam Apoſtolus non aliam humanam ſapientiam reprobat, & aliam commendat, ſed omni humana ſapientia protrita, eam quæ ex Deo ſit inducit: *ſapientiam verò loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non hujus ſeculi &c. Sed loquimur Dei ſapientiam: & iterum; non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus:* & eo demum omnem hanc de ſapientia orationem deducit: *nemo itaque glorietur in hominibus*, & ſuperius: *qui gloriatur, in domino glorietur:* quæ ſi omnibus de virtute probata ſunt, cur non de ſapientia? Atque multa alia, quæ modo amplius declarare conſultum eſt.

§. IV.

Omnis ergo humana ſapientia aut falſa eſt, aut inſufficiens & ſic vana ad recte vivendum.

HAud certe exiſtimandum eſt, Sanctum Apoſtolum qui ex Prophetis univerſam pæne hanc de ſapientia doctrinam hauſit, & firmavit, aut fucum nobis facere voluiſſe, aut zelo velut raptum exceſſiſſe; ſupereſſeque doctrinam aliquam morum, qua eum prærexerit non Dei, neque ex Deo, ſed hominum & humanam, ac naturalem quæ nobis gubernandis ſufficiat: quod ne inconſideratione quadam aliquem decipiat, doctrina nunc Apoſtoli & reliquæ etiam ſcripturæ, & conciliorum declaranda nonnihil eſt: quo de plura ad tractatum de gratia remittimus.

Diximus itaque omnem humanam ſapientiam aut falſam eſſe, aut inſufficientem, & ſic vanam, & nullam ad recte vivendum: quod ut declaremus ex lib. præc. q. 16. aliqua reſumenda, alia ſupponenda ſint.

Ad omnem itaque de moribus & recte vivendi doctrinam, & ſapienriam ex fine ordiendum eſt, & ſic, ut dixi, Ariſtoteles orſus eſt: ſic Cicero de finibus diſſeruit, ut de moribus ſtatueret: ſic Theologi, ut de actibus humanis, de vitiis, & virtutibus in genere, & in ſpecie 1. 2. & 2. 2. diſceptent, mox à principio de beatitudine quæ finis eſt, ordinem, ſeriemque rerum ducunt. Etenim ex fine deſumendum eſt omne de vitiis ac virtutibus judicium, & ſi cum epicuro, vel cum Zenone vel cum Ariſtotele, vel cum Deo diverſum homini finem præſcribamus, univerſa ſtatim motum doctrina, & ſapientia commutanda venit, & prorſus contrarie de vitiis, & virtutibus judicandum eſt. Idcirco finis hominis eſt menſura, & regula totius de bono & malo judicis. Quamobrem ipſe etiam Apoſtolus in tanto iſto de ſapientia humana evertenda ſermone finis meminit cap. 2. dicens: *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Ex iſta nimirum humanæ ſapientiæ inſufficientia ad iſtum finem pendet ac ſumitur inſufficientia ejuſdem ad regendos mores.

Unde ſic arguimus: omnis pure humana ſapientia in alium quam in ſuum finem dirigit hominem, & ſic proinde fallit etiam in mediis nam bonum & malum dicit quod in finem hunc falſum confert, aut eum impedit, & alio ducit, quam quo ducere deberet. Probatur hoc; quia ſapientia pure humana verum finem hominis qui ſcilicet nec in cor hominis aſcendit, non aſſequitur: ergo in alium, quam in ſuum finem hominem dirigit, & fallit. Dato deinde quod per fidem verus finis innotuerit nequit ratio humana niſi ſuperiore lumine judicare taxareque de mediis, & impedimentis, quid, quantum, cur quando quomodo agere & vitare oporteat: ut ſup. lib. quæſt. 16. §. 2. commonſtratum eſt.

Sed ut addamus aliquid, omiſſis Philoſophis, eorumque ſpecialibus finibus hominis in puris, ut aiunt, naturalibus conſiderati, & ſua ratione naturali agentis & de bono, & de malo philoſophorum, & judicantis, duo, vel tres fines occurrunt, de quibus quoquomodo diſſerere liceat. Alter finis eſt Deus in ſe viſus, & poſſeſſus. Et hic finis excedit omnes vires: & rationem humanam; & prorſus ſumus inſufficientes, ut ſuppono. Alterum finem multi ponunt animæ ſeparatæ, non quidem hominis, ſed animæ, quæ pars eſt, qui in aliqua Dei obſtractiva, præſtantiſſima tamen cognitione, atque in aliis ſimul adminiculis divinæ protectionis, ne peccaret: & ſimilibus conſiſteret. Hunc animæ finem mihi liceat ignorare, quem capere numquam potui, & quem demonſtrative mea quidem ſententia diſjecit S. Thomas lib. 3 contra Gent. cap. 50. ſex argumentis ſubtilibus ſane, & validis: quocirca prætermitto plurima. Hoc ad ſcopum nunc noſtrum ſcire ſufficiat, nos de facto ad iſtum finem natos non eſſe nec conditos, ſed ad Deum in ſe: quare admiſſo, quod in eum condi poſſemus, & ratio naturalis ſufficeret ad judicandum ſufficienter de mediis in ordine ad illum, impar ſemper manet, ac inſufficientiſſima ad judicandum de mediis in ordine ad finem, infinito quodam ex ceſſu altiorem pro quo majora multo, & plura agere, pati, vitareque oporteat. De facto autem ut recte vivamus, ea agere, pati, vitare neceſſe eſt, quæ agere, pati, vitare expedit pro hoc altiori fine; non pro alio, ad quem non ſimus.

Alter finis hominis eſt finis hominis in hac vita; & ut ego quidem exiſtimo hunc ſuis viribus, ſuaque ſapientia homo quærere poteſt; & hunc Philoſophi inveſtigatione naturali quæſierunt: nullum poſſe continui finem ſimpliciter in hac vita, & compertum eſt, & ſi Thomas multipliciter demonſtravit 3. contra Gent. cap. 48. erat nihilominus finis aliqualis & ſecundum quid ad quem homo ſuis viribus, ſuaque cognitione ſufficere potuiſſet: qui finis in bono in primis publico & civitatis, & totius conſiſteret: & mox in bono uniuſcujuſque tamquam partis. Et hic tota quanta claudebatur ſapientia humana, ſapientia mundi, & in elementis mundi, omnis inquiſitio Philoſophotum, quæ ideo ſapientia proprie non æternitatis, ſed ſæculi, ſed temporis eſt: *ſapientium vero* ait Apoſtolus, *non hujus ſaculi, neque principum* (id eſt in ſapientia) *hujus ſaculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam.*

Hæc porro ſapientia in plurimis falſa in omnibus inſufficiens eſt ad recte videndum. Falſa quidem in plurimis, quia de bono, & malo judicat in ordine ad hunc finem boni, ac felicitatis publicæ civitatis, vel regni, quę eſt ſapientia Machiavelli & prophanorum politicorum; qua Im-

peratores quoque Ecelesiæ persecutores maxime usi sunt; & de hoc non est amplius dicendum. & siquis non in ordine ad publicam felicitatem sed ad suam privatam de bono, & malo judicaret, esset adhuc falsior, turpior magisque perversus.

Sunt tamen aliqua communia in genere in utrumque finem & in humanum istum temporalem, & in finem hominis verum, ut servandam esse justitiam, fidem ac societarem, pietatem, religionemque colendam, & hoc genus alia : item non esse occidendum, mentiendum, adulterandum : & ratiu naturalis ista quoquomodo assequitur, suntque ista de jure ipso naturæ, ut universalissimum etiam illud, quod tibi non vis, alteri ne feceris.

Nihilominus in his etiam vetis est humana tatio multum deficiens, & ex parte sui, & quasi subjective; & ex parte finis, & quasi objective quorum terminorum intellectus ipsa rerum expliatione in doctoribus mox innotescet.

Est primum valde deficiens humana ratio ex parte sui, & subjective; quia ipsa in se infirma est de facto & hominis semivivi relicti, ut §. 1. dictum est. Quare, ut recte de homine in hoc statu philosophemur, ea comparatio est servanda, quæ est hominis sani, & graviter infirmi quoad alia opera natutalia; homo scilicet graviter infirmus aliqua potest hominis sani, sed paueiora, & minora, & magis difficultet: multa autem & maxima & fortiter non potest. Sic est de homine in hoc statu naturæ lapsæ, & corruptæ, in quo in utraque sua parte intellectiva, & volitiva vulneratus est. Idcirco de iis etiam quæ naturasia sunt, aliquid, vel aliqua assequi & invenire potest ut §. 2. constiturum est: plura & difficiliora non potest

Hoc à posteriori probavit S. Thomas lib. præce. q. 16 §. 1. ex diversitate judiciorum hominum de bono, & malo, atque de actibus humanis, unde conclusit necessitatem legis Dei divinitus datæ circa bonum morale etiam naturale ut tandeo in hac ipsa quæstione §. 2. ostensum est. Atque ex iis quæ lib 1. late prosecuti sumus de ignorantiis, & erroribus gentium, & nationum sapientiumque mundi etiam circa ipsa expressissima Decalogi, imo prima & reliquorum fundamenta patet aperte rationem humanam pro ipso quoque jure naturæ & bono naturali morali esse rationem valde infirmam & insufficientem : primum scilicet est in lege naturæ unus Deus; & in hoc errabatur, & idololatria religio etat & Jupiter, & Juno, & Venus Dii erant : animæ etiam immortalitas, & vita futura in opinione erat: quę licet mentis infirmitas aucta fuerit in gentibus ex peccatis personalibus, ex originali tamen primum inducta fuit.

Eodem modo S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 3. de dilectione naturali Dei philosophatus est dum quæsivit num illa viribus solis naturæ possibilis sit? Docet possibilem in natura integra : *sed in statu natura corrupta homo ad hoc deficit, ait, secundum appetitum voluntatis rationalis, qua propter corruptionem natura sequitur bonum privatum nisi sanetur per gratiam Dei.* Ita factum est ut voluntas extenuata ad ipsa etiam sua bona naturalia præstantiora ut est dilectio naturalis Dei, indigeat gratia Christi. Sic ergo & de intellectu quoad verum morale philosophandum est; tum quia & intellectus etiam ipse in se directe passus est; tum quia judicium de rebus agendis, & omnibus de bono & malo doctrina pendet plurimum à rectitudine appetitus, quo proinde corrupto, & extenuato atque ad privatum bonum converso judicium etiam rationis perturbatur. Quare merito Augustinus miseretur eorum, qui cum infirmi sint, escas appetunt sanorum & omnia ingenio suo aggredi se posse superareque arbitrantur.

Naturæ itaque vis quoad recte vivendum extincta non est; extenuata tamen est quæ est doctrina consiliorum. Homo proinde de bono morali naturali cognoscere aliquid potest, huc illuc volvere se potest, conjectare hæc mala, opinari illa bona; sed infirmi adinstar, & ægre inconstanter, debiliter : nec omnia complecti difficiliora vincere, viam totam prospicere, omnia conciliare potest nisi per gratiam salvatoris. Inde ut superius notatum est vox quidquam est, in quo contrarie non judicemus, & opinionibus contrariis mundum non impleamus, ubi auctoritas prorsus omnis & Dei, & Ecclesiæ, aut alia immediate vel mediate ad rectum nos non ducit, Conciliatque.

Atque hæc quidem ita propter defectum rationis humanæ in se, & quasi subjective est præterea alter ille defectus ex parte finis, & quasi objective quod in natura etiam integra ex suis naturalibus considerando locum habeat. Hinc & voluntas, & ratio naturalis prorsus deficiunt, & à mediis, aut impedimentis, & peccatis, ut oportet adhibendis, aut vitandis : ut fuse ib. præc. quæst. 16. declaratum est.

§. V.

Corollaria aliquot de necessitate orationis atque alia.

FAlluntur itaque miserandum in modum, siqui sunt, qui existiment provinciam istam rem esse humanam, humani studii, & rem naturæ, atque ingenii. Quare oratio necessaria est sicut ad reliqua adjutoria gratiæ.

Unde jure corduba quæst. 2. de ignorantiis ad præsens usurpat universale documentum Augustini : *nullum credimus ad salutem venire nisi Deo invitante; nullum invitatum nisi Deo auxiliante salutem suam operari, nullum nisi orantem auxilium Dei sibi promereri.* Et concludit Corduba : ergo de primo ad ultimum nullus consequitur salutem, neque cognitionem ad eam simpliciter necessariam sine oratione. Ad idem inquit facit Isaiæ cap. 29. & 30. *Os autem meum non interrogastis.* Et Ezech. 54. & plurima expressa cumulat ad finem quæstionis, quæ videri possunt, si hactenus adducta non sufficerint. Et Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 17. ubi Pelagiani fatentur peccata ignorantiæ, quę ex negligentia proveniant. Verum neque hoc concesso contentus est Augustinus, *dum tamen*, ait, *omnia potius disputet, quam ut ores, & dicas da mihi intellectum, ut discam mandata tua*, vultque neque in iis nos excusari, quę intelligere non possumus nisi oremus : ut etiam non posse, quia non petimus non excusat.

Hinc velimus nolimus Christiani cogimur sane fateri multos in humana sapientia prorsus indoctos, & ineptos scientiam interea Sanctorum oratione consultatione, & primum regnum Dei quærentes comparare, regnumque etiam ipsum

consequi

consequi & alios litteris onustos, ac moralibus quoque discursibus refertos à sapientia interea sanctorum, & justitiæ abesse quam longissime adeo, ut dicere cum Augustino liceat lib.8. Confess. cap. 8. *Quid patimur? quid est hoc? quid audisti? surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde ecce ubi volutamur in carne, & sanguine:* Caro scilicet & sanguis est, quidquid mundi est, & tempore clauditur audire proinde oporteret Apostolum dicentem: *nemo se seducat: siquis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens.* Nec enim ita pro antiquis dicta sunt, & pro nobis dicta non sunt, aut sapientia alia est, quam Dei, qua sapientes esse possimus.

Consequenter ad ista ex dictis accipitur sapientiam Christianorum, quæ sola vera est, principiis, motivis rationibus, caussisque æternis constare. Hoc patet ex constitutis de fine hominis, atque mediis, & de falsitate ac insufficientia, & vanitate omnis rationis ad Deum in se media non ordinantis, atque dirigentis modo explicato.

Hinc in morali scientia omnes illas assumptiones principia illa omnia deficientia arbitramur, quæ in rebus humanis, & sæculi, & temporis sistunt nec in æternas rationes transeunt. Hæc enim sapientia illa est quam Apostolus evertit, hæc quam Dominus doctrinas hominum nuncupavit; quamque vel fallam, vel vanam esse commonstravimus; sapientiam proinde nostram altius deducere, & in æternis resirgere, non consilium sed necessarium prorsus arbitramur. Quanta sane dicecat quanta voluerat, & huc illuc differverat Augustinus: nihil tamen suffecerat: quo autem demum conversus est, & quæstiones omnes perierunt! *arripuis*, inquit, scilicet Apostolum: *apperui, & legi in silentio capitulum, quo primum competi sunt oculi mei: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & in pudicitiis non in contentione, & æmulatione, sed induite Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujus sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt*, inquit expertus, & magnus Doctor lib.8. cap. 12. atque opera ejus cætera prætereteam, libri isti confessionum satis superque doctrinam quæstionis universam stabiliunt.

Ex his percurrere liceret multa principia doctrinæ morum, quorum utinam resolutio in sæculo sæpe non sistat, nec tempore terminetur, concludaturque & secundum elementa mundi magis, quam secundum rationes æternas. Sed ista modo prætermittamus. Atque hinc forte nata etiam sit tanta contradictio judiciorum & opinionum de bono, & malo; de peccato & non de peccato, humana scilicet, & temporalia, ut mundi quoque ipsius constitutio, vicissim contrariis constat; non ita æterna atque in libris spiritualibus qui rationibus æternis rem agunt, nulla, aut rara est contradictio: quod etiam hic omittimus.

QUÆST. IV.

Utrum, quod scriptum est, quærite, & invenietis de omni vero juris naturalis, & divini intelligendum sit?

Constitutum est adversus Academicos verum morale universim & quasi in genere loquendo inveniri posse ostensum deinde opinionem contrariam esse inopinabilem quam scilic t ore proterre possis; corde non possis. Tandem quæst. prox. statum est hanc de vero morali invenibili, vel non invenibili caulam ac disputationem haud esse de homine viribus suis, sed viribus gratiæ laborante, & quærente. Notavimus porro à libri hujus exordio cum de vero invenibili dumtaxat disputamus solum de potestate non de debito etiam tractabitur ubi videbimus, an juris naturalis, & divini sit possibilis ignorantia aliqua invincibilis. Hæc autem de potentia & facultate, atque debito distinctio non nova & nostra est, sed illorum ipsorum, qui utriusq; juris invictas ignorantias ponunt.

§. I.

Videtur prædictum testimonium intelligendum de omni vero juris naturalis, & divini ad unumquemque pertinente, & quando pertinet.

Inquam de vero unumquemque pertinente, & ubi, & quando pertinet: sic enim conclusionem circumscribimus. Unde non dubium, quin ego multa invenire nequeam, quæ ad Reges, quæ ad Judices, Episcoposque spectant; atque ita de aliis. Similiter aliud ad me modo pertinere potest; non autem antea, ex quo tum alia, tum illud quoque sequitur antequam Evangelium promulgaretur, gentes illud invenire non potuisse, earumque tunc infidelitatem fuisse pure negativam.

Sequitur etiam, aliquo demum vel exiguo vel majori temporis intervallo (cujus determinatio illi relinquendum est qui nos judicabit) nos aliqua plura vel pauciora invenire non posse, quæ absolute ad nos & ad omnes pertineant: eatenus tamen proprie non pertinent. Etenim ut S. Thomas de credendis docet, tum credenda, tum operanda ordinem habeant, neque cum ad usum rationis pervenimus omnia uno momento scire, completi possumus, quæ proinde nec uno momento nos omnia obligant, & constringunt; estque suus ordo, & tempus; quod ipse, ille quem versandum suscepimus: textus supponit; nam nisi tempore quæri nequit; locum vero, & tempus quærendi & deinceps inveniendi discendi & sciendi distant. Hæc porro tempora taxare, hæc momenta distinguere quando hoc, quando illud quando omnia obligare incipiant, nosse, non nostrum est, sed illius, ut dixi cujus sunt omnia.

Quibus ita notatis circumcirca his modis conclusio nunc est statuenda. In eo scilicet paradoxus videbor, & videri etiam velim, quod in tota doctrinæ nostræ serie de homine sibi relicto abjectissime sentiam: de homine cum Dei adjutorio altissime recte enim vir ille magnus Avila edixit hominem se solo nihil posse cum Deo alterum Deum esse, & omnia sibi possibilia Paulus habuit in



in eo qui ipsum confortabat: & quid sane minus fidamus, qui montes etiam si satis crederemus & oporteret, transferre valeremus. Nescimus vero, num aliqui sub his etiam ita expressis ac formalibus terminis negaturi sint quod posuimus.

Proludat nonnihil primum Augustinus lib. 6. cap. 11. *ò magni viri Academici nihil ad agendam vitam certi comprehendi potest. Imo quæramus diligentius, & non desperemus: pereant omnia vana; conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis:* & dixerat: *deputentur tempora distribuantur horæ pro salute animæ.*

Libro de utilit. credendi cap. 8. *sæpe mihi videbatur non posse inveniri* (videlicet veritatem) *magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum suffragia ferebantur. Sæpe rursus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem tam perspicacem non putabam latere veritatem, nisi quod in ea modus quærendi lateret, eumdemque ipsum modum ab aliqua divina autoritate esse sumendam.* Hæc pars vicit: sic fecit, ac verum religionis, ac morum Deum sequendo plenissime invenit.

Cap. 10. & 11. multa in idem cumulat; pollicitatores rationis ac nimios exaltatores Manicheos evertit & concludit: *duæ enim personæ sunt in religione laudabiles: una eorum qui jam invenerunt, quos etiam beatissimos judicare necesse est: alia eorum qui studiosissime & rectissime inquirunt. Primi ergo sunt etiam in ipsa possessione alteri in via, qua tamen certissime perveniunt.* Latuerunt illi, Augustinum qui quidem quærant rectissime nec invenire tamen volent.

Quin reliquum omne genus hominum improbandum ait, & detestandum præter hos vel possessores vel rectissimos inquisitores veritatis, qui certissime perventuri sunt. *Tria sunt alia, inquit, hominum genera improbanda profecto, ac detestanda. Unum est opinativum, id est, eorum, qui se scire arbitrantur, quod nesciunt. Alterum eorum qui sentiunt quidem, se nescire, sed non ita quærunt ut invenire possint. Tertium eorum, qui neque se scire existimare nec quærere volunt.* Si Augustino fides aliqua tu nunc vide ad quod genus illi pertineant qui pollutionem non malam atque similia falsa arbitrantur & an probaudi sint nobis certe tum Sanctis Dei maxime vero cum Augustino in fidei morumque doctrina judicare propositum est. Lutherani Calvinistæ Lutherum Calvinum viros Apostolicos arbitrantur. Mahometani magnum Prophetam Mahometum est genus hominum improbandum profecto ac detestandum, id est arbitrantium, se scire quod nesciunt. Oremus ergo pro eis, juvemus eos: non excusemus.

Item Augustinus lib. de quantitate animæ cap. 13. *fieri enim non potest quadam providentia divina ut religiosis animis se ipsos, & Deum suum id est veritatem pie caste & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit.*

§. II.

Autoritatibus Sanctorum comprobatur ex Dei promissionibus.

DEnuò ab Augustino ordiamur lib. 12. Confess. cap. 1. *Multa satagit cor meum Domine in hac inopia vitæ meæ pulsatum verbis sanctæ scripturæ tuæ & ideo plerumque in sermone copiosa est egestas humanæ intelligentiæ quia plus loquitur inquisitio, quam inventio & longior est petitio quam impetratio, & operosior est manus pulsans quam sumens. Tenemus promissum: quis corrumpet illud? si Deus pro nobis, quis contra nos? Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & quærens invenit. & pulsanti aperietur. Promissa tua sunt, & quis falli timeat, cum promittit veritas* & lib. 3. contra Academicos cap. 3. *nam mihi vel potius illi credite qui ait quærite & invenietis.*

Neque vero aut Deus dixit, aut Augustinus intellexit: omnis quidem doctus qui quærit, invenit; indoctus invenit, ineptus non invenit, aut pateutiora & principaliora invenit; obscuriora, difficiliora non invenit: hic invenit, ille non invenit: *sed omnis, ait, qui petit accipit, & qui quærit invenit. Promissa tua sunt: quis falli timeat cum promittit veritas?* si Deus pro nobis quæ ineptitudo, quæ rerum difficultas contra nos, qui doctior est & potentior quam nos aut indocti, aut inepti simus.

Urgeat argumentationem Augustinus ipse lib. 1. de Prædest. sanctorum cap. 8. in simili. *Proinde ipse unus Magister, & Dominus cum dixisset, &c. omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Quid est omnis qui audivit à Patre, & didicit venit ad me? Nisi nullus est qui audiat, & discat à Patre, & non veniat ad me. Si enim omnis qui audivit, & didicit, venit, profecto omnis, qui non venit, non audivit à Patre neque didicit: nam si audisset, & didicisset, venisset; neque enim ullus audivit & didicit, & non venit, sed omnis ut ait, veritas qui audivit & didicit venit.*

Hæc ipsa est hic forma omnis arguendi. Omnis qui quærit, invenit. Quid est omnis, qui quærit, invenit? Nisi nullus est qui quærat, & non inveniat. Nam si omnis, qui quærit, invenit, profectò omnis qui non invenit, non quærit; nam si quæsivisset, invenisset: neque enim ullus quæsivit, & non invenit; sed omnis, ut ait veritas, qui quærit, invenit. Sunt certe res istæ maximæ, quibus manus inferre non liceat propter ratiunculas nostras.

D. (Hieronymus in idem cap. 7. Matth. *Petite & dabitur vobis, &c. Qui carnalia supra vetuerat postulari, quid quærere debeamus, ostendit. Si petenti datur & quærens invenit, & pulsanti aperitur, ergo cui non datur, & qui non invenit, & cui non aperitur, apparet, quod non bene petierit, quæsierit, pulsaverit. Pulsemus itaque januam Christi de qua dictum est hæc porta Domini; justi intrabunt per eam ut cum intraverimus aperiantur nobis thesauri absconditi, & tenebrosi in Christo Jesu in quo est omnis scientia.* Rectam ergo habuit Hieronymus eam consecutionem: quisquam non invenit: ergo non bene quæsivit.

Has divinas veritatis inveniendæ promissiones peramplas eodem modo S. Thomas intellexit opusculo 73. de usuris in proœmio *omnis homo,* inquit, *à natura non degenerans veritatem amat, & eam scire super omnia desiderat. Quam si quis concupiscit vero corde, & eam quæsierit in simplicitate cordis sui, ipsa se ipsam manifestabit, & Deus, qui hoc promittit, verax est, & eam prabet diligentibus se sicut scriptum est cap. 6. præoccupat eos, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat Ecclesiastici. fili concupiscens sapientiam accede ad illam & Dominus præbebit tibi eam invoco ergo ipsam ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum, sed illuminare dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo nemo valeat ad lumen veritatis usquequoque pervenire. Amen.* Simus paradoxi, simus quod volunt cum his Ecclesiæ luminibus.

Hoc

Hoc porro de usuris est, de quo ignorantias invincibiles ponunt adversarii, & universum omne præterea illud de quo sunt opiniones probabiles Doctorum, mox ad ignorantias invincibiles revocant. At D. Thomæ longe aliter visum: memoraverat opiniones contrarias Doctorum; non intulit: ergo tutus sum, quidquid docuero, sed Deum orat, ne se errare permitat non modo in periculum animæ suæ, sed in laqueum etiam alterum. Sed de his part. I. Nunc quoad nostrum & universaliter divinas promissiones intelligit, nihil excipit, usuras ipsas, & in quibus erant contrariæ opiniones Doctorum, comprehensas voluit: oro, permittamur errare cum illo, & resumamus, manifestandam se illi sapientiam, qui ipsam *vero corde concupiscit, & quæsierit in simplicitate cordis sui; fieri enim non potest*, aiebat Augustinus, *quadam divina providentia, ut religiosis animis se ipsos & Deum suum, id est, veritatem pie, caste & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit.*

D. Chrisostomus hom. 18. in cap. 7. Matth. *Petite, & dabitur vobis; omnis enim, qui petit accipit; & qui quærit invenit*, &c. *Sciens Dominus, quoniam quæcumque mandaverat supra, hominibus impossibilia erant, & quantum ad humanam naturam, supra naturam*, &c. *transmittit eos ad Deum cujus gratia impossibile nihil est, dicens petite*, &c. *Nam scire Deum, quia cognoscere, & colere Deum vita æterna est: ignorare autem & contemnere perditio sempiterna*, &c. Ac rursus: *quod mihi desideratis invenire, quærite, & invenietis; & quidquid clausum vobis videtur, pulsate, & aperietur vobis, gratia vos prosequente; petite precibus die, ac nocte orantes.* Dicant interea si placet, esse aliquid esse multa ita abstrusa, & clausa, quæ necesse quærentes invenire possimus. Præscribit autem modum quærendi, & inter alia jure requirit: *interrogantes sacerdotes, cæterosque; sed quos? habentes*, ait, *scientiam spiritualium scripturarum.*

Repellit vero scientiam illam, quæ ex Deo non sit, *sed ex natura carnali & per exercitationem in carnis acquiritur, quam habuerunt etiam & Gentilium studiosi*, *& inferius: scriptum est enim: concupisce sapientiam, serva justitiam, & Deus præbebit eam tibi. Sed quid dicis? Hoc ipsum peto, ut sciam, & faciam: & quomodo possum facere, priusquam accipiam. Etiam quod potest, fac, ut amplius possis, & quod scis serva, ut amplius scias.* Eodem plane modo de cognitione ac viribus philosophatur: at nulli, quod inferius urgebimus magis; aliquid ad se pertinens est impossibile ex defectu virium nisi ex culpa sua, & ex suppositione: ergo similiter de cognitione.

Atque in hunc modum cæteri quoque Sancti Patres Matth. 7. Marci 11. & Luce 11. & Jacobi 1. Ecclesiastici 1. & 32. & 33. & cap. 6. divinas circa sapientiam & veritate promissionem intellexerunt, atque explicarunt, Origenes in cat. S. Thomæ in cap. 11. Lucæ per panem qui à Deo donandus ibi promittitur, cognitionem vitæ debitæ intelligit, Doctrinam datam confirmat Ambrosius ser. 8. in psal. 118.

Beatus Clemens lib. 3. Recognit. *quid ergo putas*, inquit, *quod in terram defossam absconderit Deus veritatem, & montes ei superimposuerit, ut ab his, qui in profundum fodere valeant, tantummodo inveniri possit? Non ita est.* Quorsum ergo ingeniosos, & fodere valentes obloquimur, & ineptiores impares arbitramur? Gratiæ Dei sunt ista; *surgunt indocti & rapiunt cælum* aiebat quæst. præc. Augustinus: Paulus vero; *quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*: ac denuo: *sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* ad Corinth. 1.

§. III.

Aliis expressis scripturis eadem veritas commonstrari videtur.

IN alia sane causa, quæ adducta sunt, viderentur suffectura; sed quoniam multi persuassimum habent, hæc, & illa cognosci, inveniriquе non posse, alia cumulanda sunt, si forte multitudine saltem ipsa promissionum divinarum, atque testimoniorum obtinere quidquam possimus. Et quidem libenter ego consentiam, ingenio nostro, & viribus causam istam considerando divinisque omissis promissionibus, & gratia, non tot esse, quin non plura quæ invenire nequeamus: & sic disseruisse multi videntur. At nobis de gratia est sermo; quid cum Deo valeamus, inquirimus; nec in Dei verbis aut sæpius, aut sæpius promissam invenimus gratiam adjutorii, quam gratiam cognitionis; quin ut utraque æqualiter promitteretur nec una sine altera offerretur, manifesta ratio de qua inferius dicam agere videbatur.

Primum itaque, expressus est Deuter. cap. 30. (*erat dilectionis & conversionis ad Deum*). *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est neque procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere: quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum; ut causeris, & dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere, quod præceptum est? sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum: mortem, & malum ut diligas Dominum tuum, & ambules in viis ejus, & custodias mandata illius.* In hoc porro continetur universa morum doctrina quin præterea lib. sequ. ostendetur per charitatem invenire omne verum morale.

Quid hic dicimus? an ne mandata Dei, vitam & bonum viasque Domini tunc quidem temporis nec supra cælum esse exaltatas, & inaccessas aut trans mare procul positas; Christianis vero temporibus latere sub omnimoda impossibilitate inveniendi leges Dei aliquas, quin multas? imo de ipsa dilectione, & conversionis etiam tempore disputatur sicut de aliis, Dixerint id qui volent nobis credere consultum est.

In Libro sapientiæ, qui de sapientia est, ut sonat & sapientiam etiam Regibus & judicibus necessariam præscribit ut patet ex cap. 6. nec ad voluntatem solam detorquendus est, in hoc inquam libro plurima ad præsens cumulantur. *Clara est & quæ numquam marcescit, sapientia, ut facile videatur ab iis qui diligunt eam & invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de Luce vigilaverit ad illam non laborabit: assidentem enim foribus suis inveniet. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus, & qui vigilaverit ad illam, cito securus erit; quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in viis se illis hilariter & in omni providentia occurrit illis, initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.* (Hæc Deus dicit: & ego certe majora non dico aut promitto. Unde etiam

Propheta

Propheta Deum ex verbo ſuo conveniens *juxta eloquium tuum, ait, da mihi intellectum: exultabunt labia mea hymnum cum docueris me juſtificationes tuas.* Promiſerat id quippe ab initio.

Prov. cap. 7. *mandatum Lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ:* adeo mandata in tenebris ſepulta non jacent; ſed lucerna pedibus noſtris, verba Dei & à mandatis ipſis intelligimus Eccleſ. 32. *Qui timet dominum excipiet doctrinam ejus, & qui quærit illum inveniet benedictionem. Qui quærit legem replebitur ab ea, & qui inſidioſe agit, ſcandalizabitur in ea. Qui timent dominum invenient judicium juſtum, & juſtitias quaſi lumen accedent.*

De temporibus ſaltem Chriſtianis Iſaiæ 2. *& docebit nos vias ſuas & ambulabimus in ſemitis ejus, &c.* Eſt enim Dominus lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc. Ita & ſamaritana illa de Meſſia credebat: *ſcio,* inquit Joan 4. *quod Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus: Cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia,* ipſe etiam Dominus Joan. 16. de ſpiritu, quem miſſurus erat, *ille,* inquit, *docebit vos omnem veritatem.* Jacobus Apoſtolus cap. 1. univerſaliſſime, atque fidentiſſime; *ſi quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat & dabitur ei. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.*

Arguit denno S. Leo ſer. 1. de jejun. ex Iſaiæ 42. *Quod per ſanctum Iſaiam Dominus denuncians ait, & educam cæcos in viam quam neſciunt, & in ſemita, quas ignoraverant; ambulare eos faciam; ponam tenebras coram eis in lucem; & prava in directa. Hæc verba faciam illis, & non relinquam eos. Et iterum inventus ſum, inquit, à non quærentibus me, & palam apparui iis, qui me non interogabant.*

Hoc poſtremo loco ex Iſaiæ 65. & ſimul ex eo, quem ex Deuter. 30 dedimus arguit Paulus quoque Apoſtolus ad Rom. 10. pro Chriſti invenibilitate. *Nec eſt inconveniens,* ait S. Thomas lect. 1. *ſi quod Moyſes dixit de mandato legis, hoc Apoſtolus attribuit Chriſto; quia Chriſtus eſt verbum Dei. in quo ſunt omnia Dei mandata:* vere enim & pluſquam vere, qui unum Chriſtum invenit, & vult inducere, & ſequi, non habet in quo erret, & tenebræ erunt in lucem.

Paulus itaque poſtquam ſtatuerat, neceſſitatem fidei in Chriſtum ad ſalutem, objicit ſibi illam omnium difficultatem: *quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient ſine prædicante, &c.* Difficultatem paulo ante præciderat ex Deut. 30. & quæ de mandatis ſcripta erant, ad Chriſtum applicat. Rurſus vero ex eo loco Iſaiæ exurgit: *Iſaias autem audet & dicit; inventus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis qui me non interrogabant. Ad Iſrael autem dicit: tota die expandi manus meas ad populum non credentem ſed contradicentem mihi.* Certe ad Chriſtianos ad quos labor iſte meus dirigitur, in pago quoque & angulo expanſas manus ſatis habet, ſi eo ire, & ipſum ſequi juberet.

Jam poſtremo Auguſtinus Jacobum commentetur lib de nat, & grat. cap. 17. *Aliud eſt enim non curaſſe ſcire, quæ negligentia peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle; nec poſſe & facere contra legem non intelligendo quod fieri velit. Unde admonemur à Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus affluenter; utique his omnibus, qui ſic petunt, quomodo & quantum res tanta petenda eſt.* Omnes autem ſic petere poſſunt: omnes ergo conſequi poſſunt.

§. III.

Videntur iſta ad hæc, aut illa limitari non poſſe.

CErte alicui limitationi non adeo repugnarem ego, ſi determinari illa conſtanter peſque in ea tuto ſigi: tantilla admiſſa limitatione omnia arbitraria remanere videntur: quod & experientia videtur commonſtraſſe, quia quidam in jure divino poſitivo excipiunt, alii etiam in jure naturæ quæ rurſus ipſa juris naturæ certa regula autoritatis aut rationis taxari nequeant alii ad ipſam etiam fidem Jeſu Chriſti, & Sanctæ Trinitatis quin unius quoque Dei limitationem deduxerunt. Atque poſtremo quod toto libro 1. everſum eſt magis ad ignorantias invincibiles, quam huic pertinent, omne illud invincibiliter ignorari arbitrantur, quæ mala eſſe prorſus ignoramus nec dubitamus.

Propter iſtam ergo limitationis ſemel cæptæ incertitudinem & ad omnia cenſim propagationem, illam prorſus negare tutius exiſtimavi: in doctrina ſcilicet ſicut & in moribus, locum habet, quod ſcriptum eſt, qui ſpernit modica labitur in magna. Ariſtotelesque ſatis expreſſit modicus à principiis diſceſſus quantus demum progreſſu fieret; quod & appoſite caſus ille Catholici cum Manichæo declarat; nam parum principio concedens, calicem quippe à Deo factum non eſſe, gradatim in totum Manichæorum errorem prolapſus fuit conceſſitque nec cælum ipſum, & terram à Deo conditam; ubique enim principiis obſtandum eſt: atque in præſentia difficillima aliqua legis inveniri non poſſe initio dictum fuit: demum vero ad religionem totam. Deumque ipſum conſecutio, ut dixi, protracta eſt.

Nulla itaque videtur admittenda limitatio in jure naturali & divino. Etenim principium, cui pro inveniendo vero innitimur non humanum ingenium eſt, vigorque, & robur naturæ, ſed promiſſiones divinæ, Deique potentiæ, & gratiæ vis, & magnitudo. At promiſſiones divinæ & explicationes ſanctorum univerſaliſſimæ ſunt, & nihil excipiunt & Dei potentia magna ubique. Ergo nihil excipiendum eſt.

Rurſus quo jure unum, eodem aliud, & multa ac omnia excipi poſſe videntur: quo facto illuſoriæ prorſus, vanæque fiant Dei promiſſiones. Nimirum illæ de fide, vel de non fide, de jure naturali, vel poſitivo divino; de expreſſis vel non expreſſis in decalogo nihil diſtinguunt. Sicut ergo tu expreſſiſſima in Decalogo comprehendis, cætera excipis; ita ergo jure eodem exceperim dimidium Decalogi.

Denuo de perſonis nulla eſt inducenda limitatio, quod Deus his quidem promiſerit, illis autem non promiſerit; ingeniis v. g. non vero minus intelligentibus, aut Hiſpanis & non Gallis; aut religionis, non autem ſæcularibus. At promiſſiones non minus univerſales ſunt de rebus. Ergo nec de rebus eſt inducenda limitatio quaſi harum quidem cognitionem præſtiturus ſit rite quærentibus, ac petentibus & non illarum.

Nullam præterea Theologi limitationem faciunt de gratia virium quaſi ad hæc facienda Deus quidem adjuvet; ad illa non adjuvet, quæ ad nos pertineant; nihil prorſus excipitur, nec per Deum unquam abeſt. At Deus eodem modo &

& sine exceptione gratiam etiam cognitionis scientiæ & intellectus promisit quin mixtim de utraque loquitur, loquunturque Sancti, & ampissime utrobique. Ergo nec de gratia cognitionis, & luminis est facienda limitatio, neque manus arctandæ Omnipotenti. Et nos quidem maximum robur in hac gratia adjutorij & virium; & gratiæ cognitionis & sapientiæ æquiparatione, & proportione locamus. Ostendant ergo alteram altera universalius aut fuisse promissam aut à sanctis Dei declaratam aut à Deo minus fidenter petitam & postulatam.

Imo exceptiones, & limitationes se ipsis videntur suspectæ: nam videntur per humanas vires & aptitudinem vel ineptitudinem res istas mensurasse & dijudicare voluisse: inde aptorum, & ineptiorum; idiotarum et scientiorum; rerum item facilium & obscuriorum tanta cura, & mentio. Hæc porro via quasi humana, & spem ponens in homine deficientissima est, & hoc pacto faremur, non tot *quin plures res nos invenire non posse, nec enim, gigas salvabitur in multitudine virtutis suæ: fallax equus ad salutem*: fallax humanum ingenium: *in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur: ecce oculi Domini super timentes eum.* Sicut ergo deficientissima foret via Philosophandi de viribus ad faciendum per vires humanas, per aptos, & ineptos, res faciles & difficiles; quia non humana virtute, sed Dei gratia fiunt, quæ ut oportet fiunt illaque præsto est, ita circa gratiam etiam cognitionis prorsus deficitur; utque Deus ad adjuvandum nos, stat ad ostium & pulsat, ita sapientia circuit quærens dignos se: & Deus quoque stat simul ad ostium docturus nos vias suas.

Denuo in limitationibus istis inducendis in eo quoque non satis Consideratum videtur quod ex æquo de omnibus hominibus institutæ sint: maxime enim, & plus forte quam inter aptos, & ineptos distinguendum videbatur inter Christianos, & hos veros, & falsos; atque inter non Christianos; ac rursus inter judæos Mahometanos, Et Gentiles; & hos magis barbaros pro hac scilicet tanta religionum, institutionum & educationum diversitate, & contrarietate quædam nobis inventu obvia, & expedita difficiliora sint multis barbaris, quam inter nos ingeniosis obvia sin difficilia ineptioribus: ac plus Christianus excedit quoad facultatem inveniendi verum morale barbaros plurimos, quam excedant præstantissimi Magistri rusticissimos agricoles; qui scilicet norunt Christum: qui certo facile & viam salutis invenire, seu potius inventa jam est. Videtur ergo quod quam facile de Christiano dicitur, eum aliqua invenire non posse, tam facile dici possit, esse alios qui nihil invenire valeant.

S. Paulus ad Rom. I. prosequitur gentium, earumque obcæcatarum ignorantias plurimas, ut lib. 1. visum est, & denuo infra dicetur ubi de ignorantiis invincibilibus in specie erit sermo At Paulus neutiquam docet eos invenire non potuisse, sed potius fuisse inexcusabiles. Sed de his infra. Dixi vero lib. 1. in expressis in Decalogo, vel non expressis pedem figi non posse; nam nihil est, in quo homines non erraverint, & sceleftos, & impudicas fœminas Deos, & Deas habuerunt; quibus sic erat persuasum, eos esse colendos, non esse adulterandum, nobis itaque videtur, Deos nos, ut promisit, docente omnia ad unumquemque pertinentia inveniri posse: Deo autem deserente, qui neminem deserit nisi desertus, nos in omnibus errare, delyrare, ac prorsus incensatos reddi posse. Quæ superius stabilita sunt; ac denuo per has omnes quæstiones minutatim magis ac magis roboranda sunt.

§. III.

Stultum videretur, Deum aliquid à nobis fieri velle, & simul id à nobis scire nolle.

Hæc opinor, est origo promissionum divinarum: stultum scilicet videretur, Deum velle à me aliquid fieri, & simul nolle id à me sciri. Propterea enim vult id à me fieri ut scilicet rei ipsa faciam: ad quod oportet ut sciam: unde implicantes vicissim, & stultæ, ete voluntates videntur, altera, ut faciam ego rem aliquam; altera, ut nesciam, quod sane per se notum est. Ex eo item Philosophorum ac Theologorum principio res ista demonstratur; nam ajunt voluntatem finis esse voluntatem salteram virtualem mediorum quæ necessitet etiam ad expressam & formalem voluntatem eorum erat voluntatis Dei, sive præceptivæ sive etiam consultivæ, quæ vult, à me aliquid fieri, finis immediatus est, ut ego rem eam faciam: cognitio autem illius est medium necessarium. Voluntas ergo quæ vult à me rem fieri, est voluntas qua velit, à me eam sciri: & quoniam voluntatem ejus humana ratio non assequitur ideo necessarium fuit, ut promitteret, se nos docturum voluntatem suam.

Inferamus: ergo prorsus implicat, & stultum videretur Deum velle aliquid à nobis fieri, Et simul nolle, quin non velle, sed à nobis sciri. Voluit ergo, ea omnia à nobis sciri, quæ voluit à nobis fieri. Ergo possumus ea omnia scire, & invenire, quæ Deus voluit, à nobis fieri. Peter hæc consecutio: nam Deus voluit ea nos scire: ergo voluit, ea nos posse scire & invenire; nam rursus stultum esset, si vellet, ea nos scire & invenire, quæ scire, & invenire non possimus. Possumus ergo. Deus ergo ipse dabit nobis posse & invenire, si non deficiamus.

Hæc probatio elidi nequit per facilia, & difficilia; per obscura & obvia. Etenim in omnibus, & singulis prorsus repugnare videtur, Deum à me aliquid fieri velle, quod ego scire nequeam. Non est scilicet cur aptitudines vel ineptitudines, & hoc genus alia obloquamur ipse nobis melius novit figmentum nostrum scit esse rusticos agricolas, barbaros indos, novit istas nostras exceptiones, atque omnia mensuravit. Quare si quid voluit ab aliquo fieri, novit, id supra vires illius non esse, nec nostrum hoc est mensuram. Ergo omnia & singula scire, invenireque possumus, quæ taxator virium Deus & adjutor fieri ab omnibus & singulis voluit.

Hinc nescio quid & illud sit quod dici tamen nescio quomodo, solet de legibus Dei satis vel non satis promulgatis. Homines quidem legem aliquam condere possunt quæ vires nostras excedat, quæ item inhonesta, & incongrua sit. Possunt item legem condere, & facti eos pænitere; & non promulgare: ac rursus promulgare velle, & tamen non satis promulgare.

Hæc de Deo omnipotente locum non habent, si vult legem ferre, finis est & secundum eam

vivamus: omnipotens autem in mediis non deficit, & quæ sua sunt adimplet: ergo si legem fert satis promulgat; & velle legem ferre, & nolle satis promulgare esset ludere ac sibi contradicere. Concludamus: ergo per ipsum nunquam abest, quod ea quæ à nobis fieri voluit, facere sciamus, & valeamus, ubi, & quando, & à quibus, & quæ sive magna, sive parva, sive hæc, sive illa fieri voluit.

Hęc porro universa ratio non solum probat, nos scire materialiter posse res eas, quas à nobis fieri voluit, sed etiam eas tamquam à Deo præscriptas & volitas: hoc enim potissimum est in actibus nostris, non quod has, aut illas res, sed Dei voluntatem faciamus easque ut à Deo præscriptas prosequamur: hoc ergo scire possumus. Ex eo vero id clarius demonstrari etiam, nobis videtur; quod voluntas legem ferendi de re aliqua non est voluntas solum, ut quoquo modo res fiat, sed est etiam voluntas obligandi. Vult ergo Deus nos obligare: Vult ergo nos scire legem, & voluntatem suam: Vult ergo nos eam scire posse. Et invenire. Possumus ergo scire & invenire: & idem est, sive lex sit faciendi, sive non faciendi.

Ea vero, quæ pro ignorantiis juris naturalis, & divini præter ea, quæ disjecimus, infra educemus, ubi agetur, an sint invenibiles: modo enim: ut sæpe noto, non quid debeamus, sed quid solum possimus, disputatur.

Ex his autem sine exceptione & limitatione quoad cognitionem etiam accipimus veterum proverbium *facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam*: sumptum est enim ex divinis promissionibus: & sicut de gratia sufficiente, & quoad vires tenetur, retinendum quoque quoad cognitionem, ut priscis Theologis factum est: de quo iterum erit sermo: nosque ut Semipelagianos caveamus illud *facienti* ex viribus non naturæ, sed gratiæ intelligendum arbitramur, qua sua gratia prævenit Deus omnes.

QUÆST. V.

Utrum ergo præceptorum Dei possibilitas demonstrat, eadem esse invenibilia? Ubi de Jansenismo.

Quidam Recentiores ultro citroque nobis Jansenismum objiciunt, si probabilium quorumcumque usum negemus, sive tutiora sectanda præscribamus, sive aliquid quoquo modo arduum faciendum constituamus, nec viam salutis omnibus, & singulis planam, ac expeditam dicamus. Nihil in his cum Jansenio; quod nescientes sane, utque odium conflent, objicere videntur; ac objicere salvatori possent palam mundo denuncianti angustam esse portam, & arctam viam, & paucorum quæ ducit ad vitam. His ergo spretis, nunc serio videndum est, num qui aiunt, nos multa Dei præcepta invenire non posse, nimium ad Jansenium declinent?

§. I.

Jansenii hæresis circa impossibilitatem aliquorum præceptorum Dei.

Hausit errorem suum ex Luthero Jansenius, qui prius decretulum, ut vocabat Hieronymi, derisit. Hausit, inquam, errorem, vel nesciens in eum prolapsus fuit; nec enim mihi consilium est adversus hominem, sed adversus errorem, hic aliquid dicere.

Dixit ergo Jansenius, aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus esse impossibilia secundum præsentes, quas habent, vires: deesse quoque illis gratiam, qua possibilia fiant. Atque hæc propositio sub his terminis hæretica declarata est ab Innocentio 10. Et ab Alexandro 7. Dicebant secundum præsentes, quas habent vires, id est, in natura lapsa, quasi eas modo non habemus, habuerimus tamen in Adamo. Declararunt vero dicti Pontifices, propositionem esse hæreticam, quæ sane hæretica etiam prius & semper fuerat.

Animus non est probare, in hanc ipsam propositionem eos labi, qui tueantur aliqua Dei præcepta inveniri non posse, sed intendimus nimium eos declinare in istum de impossibilitate præceptorum, Dei errorem. Jansenio quidem non de homine ignorante, sed sciente, & conante erat sermo, & in hoc prorsus illi discrepant quos hic impugnamus: at an in ipso formali punito impossibilitatis satis distent, est nunc discutiendum.

§. II.

Sacrosanctum est omnia, & singula Dei præcepta esse possibilia.

Hanc propositionem sub his terminis nulli Catholici quod sciam diffitentur: quam promde instituto consilio stabilire non eo; fecere id satis, qui contra Jansenium scripserunt; paucula ad refricandam magis memoriam significabo & videat quisque, quam sit omnino sine tergiversatione tenendum, omnia, & singula Dei præcepta esse plane possibilia, id est, tunc, & illi, pro quo, & quando illa constituta sunt.

Decretum Hieronymi, quod decretulum blatero ille vocavit, extat in explanatione fidei ad Damasum: *qui dicit, Deum præcepisse, & hominem implere non posse Anathema sit.* S. Basilius (loci non memini) *impium est dicere, impossibilia observatu esse Spiritus Sancti præcepta.* S. Augustinus, quem audire Jansenistas oporteret, libro de fide contra Manichæos cap. 10. *quis enim non clamet stultum esse, præcepta dari ei, cui liberum non est quod præcipitur facere.*

Quid hic dicitis, Jansenistæ? Quænam, quæso præcepta impossibilia comminiscimini? An ne præcepta castitatis? Dixi adversum patr. t. tunc bene custodiendas forte à vobis domos, & virgines. Sed forte majora alia intelligitis; dilectionem forsitam inimicorum; quin majora forte ac summum illud; *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Nihil sane terribilius injungi potuit. Hoc tamen, & illa, & altissima quæque non Adamo aut nobis in Adamo, sed nobis in nobis jam lapsis infirmis peccatoribus non cum nos creavit, sed cum libere venit, & sanare Redemptor noster & Medicus injunxit: & ad lapsos, & postquam lapsi eramus, locutus est. At à Deo aliquid præcipi, & à nobis fieri non posse, hoc anathemisandum Hieronymo hoc impium Basilio stultum Augustino visum est.

Verum nisi luberet cum Ecclesia etiam ipsa conten-

contendere jam demum magna Synodos Tridentina Ses.6. cap.11. ertorem evulserat: *nemo* (id est debet) *temeraria illa, & patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat ut possis.* Sunt hæc verba Augustini lib. de nat. & grat. cap. 43. Pudeat ergo Jansenistas se Augustinianos jactare. Rursus concilium can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Insanum autem est existimare, Concilio sermonem esse de nobis in alio statu in quo jam non sumus, sed fuissemus, si scilicet Adamus oon peccavisset.

Denuo Augustinus in Psal. 56. agens de difficillimo dilectionis mandato; quo scilicet facto cætera prorsus omnia implentur, inquit: *neque imperaret hoc Deus ut faceremus si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret, si considerans infirmitatem tuam, deficis sub præcepto confortare in exemplo: sed etiam exemplum tibi mutuum est: adest ille, qui præbuit exemplum, ut & præberet auxilium.* Hac quippe eundum est, velior, nolint quidam, qoibus placuit præcepta possibilia reddere difficiliora quæque tollendo, & dilectionem etiam per non odium eludendo quæ lachrymis magis quam argumentis vincenda sunt, sed Jansenistæ viderint num exemplum Christi ad statum naturæ integræ nobis ab Augustino proponatur? Nugæ sunt: ad nos nunc est sermo: & nobis nunc adest auxiliator Deus nostra omni infirmitate potentior.

Recte porro Hieronymus in breviatio ad utrosque ait: *multi præcepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus æstimantes putant, esse impossibilia, quæ præcepta sunt & dicunt, sufficere virtutibus odisse inimicos: cæterum diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur: sciendum est ergo Christum impossibilia non præcipere, sed perfecta:* & exemplo Davidis, Stephani, Pauli, ac ipsius in primis salvatoris ab actu ad potentiam arguendo rem demonstrat & lib. 1. Dialog. adversus Pelagianos: *possibilia præcepit Deus; & ego fateor.*

Sed vero ipsi etiam salvatori proposita, & quasi objecta fuit ista viæ salutis, ac præceptorum impossibilitas Lucæ 18 ubi tot, tantaque præscripsit; ut discipuli, eam vel interrogationem, vel admirationem intulerint: *& quis poterit salvus fieri!* Neque Dominus aot præcepta idcirco sustulit aut de viribus nostris consequutionem illegitimam habuit, nec tamen impossibilitatem concessit, sed eo ivit, quo sancti ejus omnes & vita & doctrina recurrunt: *at illis: quæ impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum.* Parum scilicet Jansenistæ Dei gratiæ vim meditati videntur: parum vel solos Psalmos attendisse: *Deus* (Psal. 17.) *qui præcinxit me virtute & posuit immaculatam viam meam: qui perficit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me, qui docet manus meas ad prælium, & posuisti ut arcum æreum brachia mea.* Sed quid plura prosequar: nam Psalmi pleni sunt his divinæ gratiæ præconiis; atque hinc præcepta Dei, & possibilia, & suavia etiam & existimanda & docenda sunt: sin minus errabitur. Ubi ipse David, qui adeo Dei gratiam deprædicavit: vita sua rem conficit, nam asseritur de eo 3. Reg. 15. eo, *quod fecisset David rectum in oculis Domini & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ excepto sermone Uriæ Hethæi.* Ecquis vero ambigat eum hoc quoque præceptum servare, sicut alia potuisse?

At forsitam in Apostolo ad Ro. 7. invenerint Jansenistæ suos illos justos volentes & conaotes; neque tamen potentes: quibus etiam gratia deesset, qua possent: *quod enim*, ait; *operor non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ego sed quod odi malum, illud facio &c. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Verum Jansenistæ credere ecclesiæ potuissent quæ hos peccati motus insultus, & opera (modo consensus absit) eo solum sensu peccata esse, & dici tradit quia à peccato sunt, & ad peccatum etiam inclinant: de quibus proinde noo habendis nullum est præceptum sed non eundi post istas carnis & peccati concupiscentias. Paulus quoq; ipse rem satis exposuit dicendo: *si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud:* non est ergo illud nostrum neque in iis peccare possumus, quæ nobis attribui nequeunt, & quæ nos non operamur. Sed & Augustini est ista sententia expressa ut lib. 1. ostensum fuit.

Paulum vero ipsum denuo consulamus 2. ad Corinth. 12. Ubi ter Dominum se rogasse ait, ut auferret à se Angelum sathanæ qui ipsum colaphizabat stimulum carnis suæ, eos, quos dixerat, motus, operaq; peccati. Dominus porro quid dixit? an ne impossibilia esse præcepta, defuturam etiam gratiam? non hoc dixit, sed *dixit mihi sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Peccando autem & per peccatum virtus non perficitur: de quo stolidi solum dubitent.

Non ergo in eis carnis & peccati motibus, & operibus peccabatur. Rursus non ergo paulo, atque aliis velut in typo expressis in eo gratia deest, sed sufficit.

Concludat rem totam Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 69. tam adversus Jansenistas quam etiam adversum eos, qui si superis placet aodene nobis Jansenismum objicere, dum ipsi non unde debent neque sane possunt suavitate scilicet doctrinarum suarum, volunt præcepta Dei & possibilia reddere & suavia: de quo par. 1. lib. 1. qu. 3 etiam tractatum est.

Valde autem bona sunt; inquit, *præcepta; si legitime his utamur eo quippe ipso quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonentur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus* (non ait, ea radamus) *omnia quippe sunt facilia charitati, cui uni sarcina Christi levis est; aut ea una est sarcina ipsa, quæ levis est: secundum hoc dictum est: & præcepta ejus gravia non sunt.* Multiplici authoritate, & ex illa. Deuter. 30. quam adduximus oiox doctrinam totam confirmat: & inter alia *quomodo est enim grave cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo grave est, aut diligit & grave esse non potest.* Quod dilemma omnibus quorumcumque machinis dissolvi nequibit.

§. III.

Ergo Dei præcepta invenibilia sunt.

Videamus modo quam facile se à Jansenismo expediant qui tam ultro nos aut alios

Jansenismi insimulant. Arguemus: omnia Dei, & singula præcepta sunt possibilia, sed omnia præcepta possibilia sunt invenibilia, & cognoscibilia. Quod pater, quia quod invenire & cognoscere non possumus nec observare possumus, neque implere. Ergo omnia Dei, & singula præcepta sunt invenibilia

Jam in Jansenismum contrarios adigendo: omnia præcepta non invenibilia, & non cognoscibilia sunt observara impossibilia, sed per vos aliqua Dei præcepra sunt non invenibilia, & non cognoscibilia. Ergo aliqua Dei præcepta sunt impossibilia. Minor est ipsa contrariorum opinio. Major autem facta solum indicatione videtur demonstrata, & est magis declaranda. Consequenria vero sequitur.

De majore itaque dicamus. Præcepta Dei possibilia sunt ut volentes atque volendo ea observemus, sed quod cognoscere non possumus, velle non possumus; nam nihil volitum, quin præcognitum. Ergo præcepta, quæ cognoscere non possumus volentes volendo, id est, libere, & tamquam homines observare non possumus. Sed sunt aliqua Dei præcepta, quæ cognoscere non possumus. Ergo aliqua quæ observare non possumus, tamquam hominea saltem, & observare volendo sunt; ergo aliqua Dei præcepta nobis impossibilia.

Rursus quia potestas implendi præceptum, & observandi requirit & virea ad implendum & cognitionem. Idcirco fatuum esset cognitionem dare & vires negare, quod Pelagiani faciebant, & in quod etiam Jansenistæ lapsi sunt; nam ponunt justum cognoscentem, & conantem, sed viribus destitutum, id est, conantem ad impossibile, atque intortura sine fine Par videtur causa vires dare ad custodiendum præceptum & cognitionem negare: frustra quippe ac prorsus in vanum vires ad observandum præceptum concedantur; si præceptum sciri nequit; suntque vires ad impossibile sicut virea & gratia ad custodienda præcepta, quæ Deus neque posuit neque ponere potuit. At adversarii ponunt præcepta quæ scire prorsus non possimus. Ergo indncunt primum præcepta impossibilia: & deinde in simile quoquomodo inconveniens cum Jansenistis labuntur; Pelagiani scilicet vires re ipsa negabant, sed sibi visi sunt negare; nam naturam sufficere arbitrabantur.

Dixi potestatem implendi ac custodiendi præceptum claudere cognirionem & vires. Non quidem cognitionem, & vires in actu, ut quidam male statuunt sed in actu vel in porestare nostra; nam per ignorantiam etiam, atque impotentiam consequentes & voluntarias peccatur, ut lib. 1. copiose ostensum est. Satis ergo est si cognoscas aut cognoscere possis & debeas: satis irem, si auxilium Dei actu habeas aut habere possis. Hic quippe est possibilitatis præceptorum à concilio præscriptus ordo. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Quid enim me excuset, si petendo possem; petere vero nolim? sicut autem de auxilio virium, sic etiam sancti decreverunt de cognitione, hanc scilicet concedendam si petatur *fidelissimus precibus*, aiebat Augustinus; *si quomodo & quantum res petenda est*, dicebat idem: ac rursus, *si pie caste & diligenter*: ac eodem modo alii ut visum est.

Aia forte Jansenistas non cognitionem quæ agenda cognosceremus sed grariam qua possamua denegasse, disparem proinde esse causam, sed distinguimus: disparem quoad modum impossibilitatis præceptorum concedimus, quoad substantiam & articulum impossibilitatis negamus. Nam ut demonstratum videtur, tam est impossibile ea præcepta nos velle observare quæ cognoscere non possimus, atque ea, ad quæ cognita vires desint. Authoritas porro irrefragabilis non restricte statuit nos observare posse præcepta quæ novimua, sed omnia prorsus Dei præcepta definit esse possibilia. Præter ea eriam Jansenistæ inducunt ignorantias invincibiles satis multas, sicut ipsi: etsi in eo turpirer insuper errent, quod nolint excusare: quare Jansenistæ non sicut nos amplissime de graria Dei arbritrati sunt, omnia Dei præcepta invenibilia constituendo, sed potius diminure multa inveniri non posse existimarunt Quare undique magis quam Adversaril à Jansenio absumus.

Sancti vero eodem modo nos de gratia virium, & cognitionis instituunt agnoverunr enim naturam humanam lapsam & in cæco illo nato & in illo semivivo relicto ex quo nos & lumine, & viribua opus habere constituerunt utrumque esse donum Dei ut quæst. 3. visom est utrumque necessarium; utrumque promissum ut patet ex quæst. præc. & nunc ex præceptorum possibilirate sumptum est. Quare quoad finem à Deo in præceptis suis intensum qui utique est ut secundum illa vivamus, mihi perinde est, sive præcepta faciat, & ea abscondat; nec scire possimus; sive vires ad ita vivendum deneget.

Ad istam gratia vim & cognitionn æquiparationem servandam aere erit, iterum Augustinum tantum gratiæ Dei doctorem audire lib. 2 de peccator. meritis & remiss. cap. 17. *jam ergo quod tertio loco posui videamus. Cum voluntate humana gratia adjuvante divina sine peccato in hac vita possit homo esse cur non sit, possem facillime ac veracissime respondere, quia homines nolunt, sed si ex me quæratur, cur nolunt imus in longum. Verum etiam sine præjudicio diligentioris inquisitionis dicam. Nolunt homines facere quod justum est sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectat*, &c. *Ignorantia ergo, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominum adjuvat voluntates; quæ ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.*

Credant ergo, si volunt Augustino causam ignorantiæ & infirmitatis esse unam eodem modo decidendam, Credant rursus, si volunt, quod non innotescat, quod latebat, nec suave fiat quod non delectabat in nobis causam esse non in Deo: causamque eam esse; *quia homines nolunt*. Possunt ergo si volunt. Mirum autem est quod hoc textu tam sæpe tam fidenter ipsi illi utantur, quos hic impugnamus, pro gratia sufficienti, utque probent, hominea posse si velint & non advertant, rextum eodem modo esse pro cognitione, *& ut innotescat quod latebat*, & Augustino mentem ex æquo directam contra ignorantiam, & infirmitatem.

§. IV.

Abs re esset probabilitates hic obtrudere.

Nescio sane, an illa hic quoque in mentem ventura sint, sicut in tot rebus aliis. Probabilitates autem eas loquor, quæ per contradictoria, & sic per vera & falsa vagantur, & quibus opiniones, & doctrinæ veræ, & falsæ probabiles sint. Hæ certe doctrinæ sic sumptæ nec gratia Dei sunt neque ex Deo; à quo nihil est falsum, ut par. 1. lib. 2. commonstratum est. His rursus doctrinis, quæ saltem parte falsæ etiam comprehenduntur, non innotescit, quod latebat, quin magis latet jam errore positivo falso, quod antea per ignorantiam delitescebat; prius enim ignorabatur; deinceps error etiam adjicitur, quo malum bonum, vel bonum malum habeatur. Abs re proinde esset has hic probabilitates obtrudere.

Dicetur tamen forsitan, vitari per illas præceptorum Dei impossibilitatem, arguunt enim, illis præcepta possibilia, quin etiam suavia reddi; Jansenitasque mox futuros, quotque illas everterent. Habebimus ergo hoc opinionum probabilium privilegio, nec contra præcepta peccemus: habebimus proinde, quod possibilia sin, suavia, facilia, & omnia.

Cæterum hoc prætendi nequit; nam falsa opinione probabili, quæ negat præceptum, non aiunt me implere præceptum illud, quod negatur, sed me excusari à peccato propter probabilitatem: ex quo etiam dicere solent, violationem, fore materialem, non formalem. Ergo falsa illa opinio non reddit mihi præceptum possibile, quod potius esse negat, sed me in ejus violatione excusat, quin, ut dicunt laudabilem etiam efficit.

Rursus fatuum, opinor, esset dicere præceptum restitutionis servari & impleri non restituendo, & contra ipsum re ipsa præceptum operando: ergo ex opinione probabili falsa non restituendo præceptum restituendi non servo: ergo posse ex illa falsa opinione non restituere non est esse mihi possibile præceptum restituendi: sed aliunde mihi illud possibile efficitur. Quin dicere etiam solent, in his probabilitatum casibus præcepta non esse satis promulgata. Probabilitates ergo potius faciunt, ne præcepta existant quoad nos, & nobis, & sint quasi non essent: non ergo ea nobis possibilia reddunt.

Pone novum Jansenistam, & consequentiorem, qui diceret homini justo volenti & conanti esse aliqua præcepta impossibilia; neque tamen violationem esse culpabilem ac formalem, sed pure materialem ut adversarii aiunt. Profecto non ideo immunis esset ab errore impossibilitatis præceptorum; nam aliud est præceptum servare, & implere; prorsus aliud propter potentiæ defectum in violatione non peccare. Sic in re nostra erit in qua propter defectum certæ cognitionis in violatione haud quidem peccabimus, ut aiunt, præceptum tamen ipsum tam non servamus atque in casu erroris novi illius Jansenistæ.

Hinc denuo cernitur quomodo via ista probabilium in Jansenismum ex suo etiam instituto vergat; eo enim illa it, & tendit ut ab ipsa re ipsa præceptorum adimpletione nos liberet & eximat: aliunde vero ait nisi ipsum admittamus, nos fore Jansenistas. Hoc autem quid quæso est, sane est, nos obligare ad impossibilia. Hoc vero rursus quid est? Non aliud, quam nisi ea via assumatur liberans nos atque eximens ab ipsa re ipsa præceptorum observatione nos fore obligatos ad impossibile. Ergo ipsa re ipsa præcepta servare, quin ab hoc eximamur beneficio probabilitatum erit impossibile, erit durum ac intolerabile. Hoc porro est præcepta Dei esse impossibilia, dura, intolerabilia, talia scilicet ad observandum re ipsâ, & in se. Ergo via probabilium ex suo instituto ad hoc tendent, ut nos ab ipsis re ipsa præceptis servandis eximat hocq; ita, ut sin minus ad impossibile homines obligati velint & ad dura intolerabilia, ut mitissime dixerim nimis vergit in Jansenismum nec præceptorum Dei & gratiæ dignam habet æstimationem.

A contrario etiam demonstrative patet neminem intelligendo, quod dicit, objicere nobis, posse Jansenismum. Nam universa totius nostri operis una sententia est solas veras doctrinas morum esse rectas doctrinas morum & rectam regulam. At hæc regula non magis de Jansenismo habet quam habeant ipsa præcepta Dei; nam evidens est illa frequens assumptio S. Thomæ: quod in rebus est esse, hoc est in intellectu verum. Ergo sic est impossibile secundum verum, & secundum veras doctrinas vivere, sicut vivere secundum & juxta ipsa præcepta. Ergo via nostra non plus de Jansenismo habet, quam habeant ipsa præcepta Dei. Quare quod esse nequit, aut Deus Jansenista est impossibilia præcipiendo; aut nos Jansenistæ non sumus solas veras doctrinas regulam vivendi constituendo.

At ais, nos non solum veras doctrinas regulam vivendi statuere; sed præterea part. 1. obligasse ad omnes opiniones æque, & magis probabiles pro lege: at earum plures, aut plurimæ falsæ sunt ergo præter veras doctrinas & præcepta addimus plures aut plurimas alias obligationes, quæ simul cum præceptis inducant impossibilitatem.

Responsio in via nostra est perspicua; nam nos per se & absolute ac directe ad nihil præter veras solas doctrinas obligamus: nunc vero præterea his quæstionibus probamus verum omnis præcepti naturalis & divini esse invenibile: quas absolute, & per se ad nihil plus, quam præcepta obligamus. Quod autem homo veritatem non inveniat, & opinionibus implicetur, & ligetur sibi imputet; nam in ipso causa est non in Deo, ut aiebat Augustinus; & ideo ex accidenti solum, & ex sua causa ad hoc amplius obligatur. Neque hæc additio sic saltem in genere nostra est, sed omnium: nam omnes aiunt, & dari, obligationem præceptorum; ac insuper aliam etiam obligationem conscientiæ erroneæ quæ juxta omnes ligat, vel obligat ex suppositione sui opiniones autem æque probabiles, & probabiliores pro lege sed falsæ solum obligant, quatenus inducunt consimilem sibi conscientiam erroneam obligantem. Sit etiam adversarii similem ablationem faciunt: nam plures opiniones æque, & minus probabiles contra legem sunt eodem jure falsæ: ergo eadem est illis & nobis causa additionis vel ablationis: quæ utraque eodem jure prohibita est.

Sed & est caput aliud amplissimum, ex quo hic abs re probabilitates obtruderentur. Etenim causa præsens, num verum omne juris naturalis, & divini inveniri queat, non est solum, nec

præcipue de vero, quod inter probabilia latet seu de vero probabilium, sed de vero utriusque juris naturalis, & divini; de quo sæpe nullæ sunt probabilitates, sed contraria sunt sæpe improbabilia nam etiam erronea, vel hæretica, qualia sunt contraria fidei Decalogi, Baptismi, & aliorum, quæ tamen præcepta sunt omnibus hominibus. De his itaque præceptis quid reponunt? Inveniri ne, ac sciri possunt vel non possunt? si possunt hoc contendimus; sin vero scire non possunt, ergo neque fieri, & servari: ergo sunt impossibilia, ac jussit Deus ea constituendo præcepitque, ut præciperet; non ut homines gubernarent de quo quæst. seq. Atque hæc nunc satis de præceptorum Dei possibilitate.

QUÆST. VI.

Utrum eadem invenibilitatem veri moralis alia quoque momenta Theologia statuant?

TAnti hanc invenibilitatem duco, ne homines in sua pigritia dormientes excusatos se putent si nesciant; atque non in se sed in Deum referant ignorantias suas, cum in ipsis, non in Deo causa sit ut quibus modis omnibus possim, statuendum existimaverim præcepta Dei sciri posse: rite scilicet clamat universalissime Augustinus, *nullum hominum permisit, excusare se de umbra mortis:* nam venit *illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

§. I.

Deus legem condens bene vidit uniuscujusque vires & omnia in contrarium allegabilia.

LOquimur in his omnibus quæstionibus de præcepto, & lege quam gloriosus Deus pro unoquoque tulit ac pro eo loco, & tempore, pro quibus tulit ut quæst. 4. præmissum est, & contendimus hoc sensu omne Dei præceptum, & legem esse invenibilem quod nunc est confirmandum.

Via scilicet contraria suis se ipsam primum probationib. videtur reddere suspectam. Etenim quasi nihil noverit Deus præcipiens opponit ineptitudinem & rusticitatem populorum, locorum distantias. Magistrorum inopiam, rerum sciendarum difficultatem, & si quæ sunt hoc genus alia.

Quærimus, an hæc omnia noverit Deus legem condens an eum in particulari hominem, pro quo præcipit in mente etiam habuerit, ac omnia impedimenta loci, & temporis præscierit? Stultitia esset dubitare. Hæc ergo comprehensa habens, tamen voluit, ut hic homo hoc, aut illud faceret, legemque tulit, & præcepit. Non utique ut præcipiendo præciperet, ac sic luderet: ergo ut rem illam homo ille ageret, legemque eam servaret ut quæst. 4. magis declaratum est.

Tu inquis: at hic homo existens v.g. in Thracia legem istam scire non potest. Deus autem dicit scire potest: siquidem eam faciat, ut servet: servare autem non potest, si scire non potest. An forte Deus ignoravit, quod tu magnus homo assecutus es, eum in remotissimis gentibus victurum, ubique summa esset ignorantia! Hoc ergo sciens vel pro eo legem non fecit? & non sumus in casu: vel fecit! ergo voluit, eum juxta eam vivere. Voluit ergo, quod eam scire posset.

At ais: ergo cogimus Deum ad miracula: sine miraculo enim instituere eum, & legis certiorem facere nequit. Sed de hoc inferius tractandum est; & dicendum, valde esse inconsideratum existimare, Deum, ista sine miraculo etiam peragere non posse: rursus valde item esse inconsideratum existimare absurdum Deum ex suis promissionibus, & gratia ad aliquod aliquando miraculum non posse: aut cogi, aut obligari, aut si quod est decentius verbum, sed de his inferius.

Videmur ergo quadam in consideratione sic de Deo glorioso philosophari quemadmodum solemus de quibusdam superioribus imprudentibus, qui multitudine præceptorum, & legum suos subditos obruant: unde illa quæstio est, an quoties præceptorum & legum multitudo tanta sit, quæ memoria retineri nequeat, obligemur? In hunc modum, per inconsiderationem utique, nescio quid irrepsisse videtur de glorioso quoque Deo, & locorum distantias ingeniorum ineptitudinem, ac cætera illa loquimur quasi vero gloriosus Deus hæc ignotaret quando pro inepto aliquo & inter barbaros etiam agente legem tulit, aut jussit arduum aliquid nesciens imbecillitatem nostram, ideoque per nimis durum non tam interpretandus sit, quam corrigendus à nobis mensuratoribus Deus magnus.

Ut porro ad singularia etiam descendamus, Deus legem baptismi tulitque utique pro omnibus: quæ certe omnes homines obligat post promulgatum satis Evangelium. Quid autem & quantum ad sufficientem promulgationem requiratur, inferius tractabo & determinationem, & quasi taxationem ejus judicio relinquam, cujus est. Hoc certe scire possumus Deum legem istam haud tulisse, quam numquam satis promulgare vellet, ut patet, & quæst. 4. constitit; nec item eum promulgare voluisse, nec potuisse aut pro omnibus, aut pro uno etiam aliquo; eadem siquidem ratio & de omnibus est, & de uno solo, voluit ergo & potuit. Ergo facit, ergo nec vel unus solus legem baptismi ignorat, si pro ipso facta sit; quia satis promulgata non est aut quia Deus quidpiam eorum prætermisit, quæ ad ipsum pertinerent. Ergo prorsus nullus est, pro quo lex baptismi facta sit; quam noscere non possit. Ergo vel sunt etiam modo gentes & homines ad quos legem istam Deus non direxerit, non proteriderit: vel nullæ gentes modo sunt, neque homines qui legem baptismi invenire nequeant. Sane S. Thomas, quo de tractabimus infidelitatem negativam posuit; Augustinus etiam dubitavit ac rem Dei judicio relinquit: hoc neuter docuit etiam modo dari infidelitates istas negativas. Sed hoc nunc relinquimus: illud certe sequitur, si quæ sint etiam modo gentes, quibus nondum fuerit Evangelium satis promulgatum, pro his legem baptismi constitutam non fuisse.

Sed dicis; fuit conditionate constituta, si qui scilicet Ministri Evangelii eo pervenirent & intimarent; non absolute, & si aliqui modo nondum pervenerint; atque denunciaverint. Verum ut alia hic omittam, quæ infra discutiendæ sunt,

sint, ubi de ignorantia invincibili veræ religionis agetur argumento nunc nostro insistendo, glorioso Deo improvisæ non sunt istæ conditionales nostræ, quarum etiam ipsarum purificatio ad ipsum maxime pertinent; ipso siquidem Authore & Adjutore ipsa etiam Evangelii promulgatio peragitur.

Iterum ergo quærimus, vel voluit & potuit Deus ad eam usque gentem & hominem prædicatores Evangelicos perducere, si hoc ad sufficientem promulgationem necessarium sit, vel aut noluit, aut non potuit? si dicas omnipotentem Deum voluisse quidem, nec tamen potuisse, blasphemas; nam fecit, quæcumque voluit in cælo & in terra: ergo dicendum est eum noluisse providere prædicatores Evangelii &c. hoc ad sufficientem promulgationem prorsus necessarium esse habuisset. Ergo absolute noluit legem istam satis promulgare. Ergo legem fecit ludendo & nugatoriam, & dixit; ego quidem volo, & jubeo, gentem istam baptizari; tamen simul nolo voluntatem istam meam, & legem ei intimare & ab ea resciri, & quamquam videam (ut hoc ex contrariorum sententia supponamus) ad satis intimandum necesse esse mittere qui prædicent, eos tamen mittere nolim. Aut sic dicit: ego volo & jubeo ut ipsi baptizentur, si audiverint; & simul nolo mittere quem audiant: quarum sane voluntatum nugas & repugnantias in schola prosecuti fuimus: atque hoc inter alia medio etiam demonstratur nulli prorsus hominum gratiam sufficientem à Deo denegari ad faciendam voluntatem suam, nec per Deum umquam abesse. Qui autem hinc pro gratia sufficiente eam acriter pugnant; Hinc simul nobis in præsentia resistunt, res istas satis comprehensas non habet, & ea quæ ad nos reposuerint, gratiam quoque sufficientem jugulabunt.

Atque ut hoc de voluntate conditionata applicem absurdum esset, Deum dicere: volo & jubeo. ab hac gente rem istam fieri si gratiam sufficientem habuerint, nolo tamen eis gratiam sufficientem dare. Ergo absurdum est, Deum dicere: volo & jubeo gentem istam, hunc hominem indum baptizari: & ad hoc video esse necessarium mittere aliquem: nolo tamen mittere. Sed vero, quo via Contraria ducere videtur, dicito Deum gratiam conferre posse quibus vult: prædicatorem autem vel hominem, vel Angelum non posse ducere, quo vult, & pro quando, & pro quo homine vult: quo nihil turpius insipientius nihil dici possit. Ubi alia mitto.

§. II.

Ex analogia providentiæ naturalis stabilitur invenibilitas præceptorum Dei.

HAc providentiæ naturalis & naturæ analogia veteres Theologi ad præsens usi sunt ut videbimus; & nisi prorsus fallor, rem à fortiori conficit; quamquam enim idem infallibilis gloriosus Deus naturam administret & gratiam, illam tamen, hujusque ordinem ducit, ad eumque naturam etiam ipsam ordinavit. Cætera quidem omnia materialia ad hominem; hunc vero ad sui visionem, & ad se. Quare quod esse non potest prius deficeret sibi Deus in totius naturæ administratione, quam vel in unius solum hominis ad gratiam & gloriam directione.

Quo constituto Philosophi satis sane accurati existunt circa naturam, ejusque ordinem rectum habent maximas multas, easque veras in natura nihil esse deficiens; perfectissimam eam esse ad suosque fines, & munia prorsus parem sufficientemque: siqui defectus accidunt, siquæ monstra contingunt, non Authori, Rectorique naturæ, sed causis secundis harumque defectui illa attribuenda: atque hoc genus multa sapientes de Deo Authore & Administratore naturæ accepta habent.

Eadem par est credamus à fortiori de Deo gratiæ & hominis maximæ Rectore; nihil frustra facit ergo neque præcepta sua & legem: at hæc frustra est, si sciri nequit: ergo sciri potest.

Deus rursus, & homo salutem hominis operantur: ergo quicumque defectus in has operationes serie incidunt, non Dei sunt, sed hominum, magis multo quam monstra sint causarum secundarum. At defectus est legem Dei etiam materialiter violare, & evertere, non sane moralis tamen physicus, & finem gratiæ magis impediens, quam finem naturæ impediant monstra. Si autem lex Dei sciri nequit Deo tribuenda erit violatio non homini; nam per Deum abfuit: quemadmodum si idem Deus sufficientem gratiam denegasset neque eam homo suis viribus sed ipsius Dei scire debuit ex quæst. 3. ergo lex sciri potuit.

Denuo in idem; natura non deficit in necessariis: ergo neque gratia: ergo sicut in natura constituto fine media deesse nequeunt, ita etiam in gratia. At finis legis est, ut secundum eam vivamus. Ergo media deesse nequeunt. At unum necessarium est, legem cognoscere, cognoscere ergo possumus & per nos abest si non cognoscamus.

Dices naturam non in singulis individuis, sed in aliquibus solum totius speciei explere munia sua; nec enim omnes partes materiæ anima rationali informantur sed aliquæ licet omnes sint aptæ; atque ita in aliis: qui aliquorum individuorum usus satis sit: ne aptitudo totius speciei sit frustra. Ergo in ordine gratiæ v.g in præceptis, ne hæc sint frustra, satis erit, si sciri ab aliquibus possine Sed facile hic non est, nos de loco aut argumento trudere; semper enim ne erremus, ob oculos gerimus exemplum gratiæ sufficientis quam similiter dixeris aliquibus, non omnibus impertiri. Ut ergo concilium. Milevitanum à scientia ad gratiam arguendo Pelagium evertebat, sic nos ex gratia sufficiente ad cognitionem, scientiamque arguendo, & argumenta, & solutiones abigimus. Respondemus itaque non totam materiam, ut tota subesset homini, quod esse non poterat, neque congruebat, fuisse conditam; atque ita in aliis. At homines conditos fuisse, non ut aliqui; sed ut omnes salvi fierent; nam Deus vult omnes homines salvos fieri: sic etiam vult, non aliquos, sed omnes voluntatem suam facere: alioqui satis foret, si quibusdam, non vero omnibus gratiam sufficientem conferret.

Natura itaque, vel naturæ potius Rector Deus metallis in visceribus terræ defossis, piscibus sub immensa Oceani mole immersis, rebus omnibus, hic, ibi, ubique, in extrema orbis plaga minutatim providet; non in magno, non in parvo, non in hoc, aut illo deficit. Et arbitramur, hunc

eundem Deum, cui potissimum curæ est regere, ac salvare homines defecturum alicui alicubi gentium; & dici ad Deum posse, per te Domine, abfuit, quominus scirem legem tuam! eam ut implerem, eaque reperer, effecisti: quam tamen, ut scire possem, neglexisti? Distantias loquimur. At Deus ubique & præsens. Ineptitudines opponimus. Sed potentior est Deus, qui etiam stulta mundi elegit, non quos doceret solum, sed quibus mundum etiam universum erudiendo confunderet sapientes. Desunt, inquis Doctores. At de quo dicemus. Angeli in primis non desunt. Doctorem deinde, quin & Regum corda, quos quo voluerit, dirigat, ducatque, habet Deus in manu sua. Omitto ex aliis naturæ analogiis ulterius differere.

§. III.

Recte ergo veteres Theologi persuasissimum habuerunt, facienti, quod in se est, Deum denegare cognitionem: quod ex oratione confirmatur.

HOc inquam persuasissimum majores nostri habuerunt; ac jure sane merito, ut ex Dei promissionibus tot; & tantis; ex præceptorum Dei omnium possibilitate, & ex modo constitutis videtur satis commonstratum. Multa veterum hac de re testimonia in his proxime sequentibus quæstionibus dabimus; nunc eorum sensa, mentemque videre licet apud Vazquez. 1. 2. disp. 10. & 121. & 122. contestaturque etiam ipse, hoc fuisse commune eorum fundamentum, quod facienti, quod in se est, Deus non denegat cognitionem suæ religionis, & legis, quod nos principium de faciente ex gratia omnibus provisa intelleximus ut tutius à Semipelagianis abessemus.

Et certe hoc idem principium retinet adhuc Theologi de gratia quasi virium, noluntque eam alicui deesse, qui quod in se est, efficiat. Et recte sane tum propter alia, tum quia habenti dabitur, & recte utenti iis quæ habet, gratia ad ulteriora conceditur ac bene negotianti duobus, aut quinque talentis alia mox duo aut quinque cumulantur, & in modico fidelis quisque super multa constituitur. Hæc Dei indoles est, hæc ejus misericordia, & gratia, hæ ejus promissiones copiosæ.

Vellem ergo erudirent nos posteri Theologi, ubinam præstius, multiplicius gratiam sufficientem, & quasi virium promiseris, quam cognitionis; ubinam promissiones ad vires dumtaxat restrinxerit: quinam sanctorum hanc distinctionem induxerint ut faciens, quod in se est, legem implere possit, invenire non possit? rursus quid plus interfit posse agere, quam posse cognoscere? aut quomodo utrumque prorsus necessarium non sit, ut in superioribus tot modis ostensum est? Quamobrem timendum erit ne periculose disputationi gratia sufficiens exponatur; nam si ex duobus ad legem suam faciendam denegare alterum Deus potest difficile erit ostendere sive autoritate, sive ratione cur alterum quoque denegare nequeat.

Sed ut undique rei hujus æquiparatio constet, nonnihil nunc ex oratione addere consultum est; ad quod alio sane libro opus non sit, quam Breviario; non enim erubescimus Breviarium, ex quo plura, quam ex libris quibusdam didicimus.

Superius quæst. 3. significavimus aliqua ex Psalmis, ut constaret, gratiam Dei hoc quoque esse, ut sciamus, quid facere debeamus. Nunc eadem ad hoc indigitamus ut constat, eadem spe consequendi, eadem fiducia, uno prorsus jure & indigentiæ nostræ, & promissionum divinarum postulari, postulatumque fuisse utrumque cognitionem scilicet & adjutorium.

Ergo Regius Propheta tam frequens tam multus est in oranda cognitione ut nihil forte postulaverit frequentius: *doce me justificationes: revela oculos meos: emitte lucem tuam, & veritatem tuam,* &c. *illuminet vultum suum super nos ut cognoscamus in terra viam tuam*; *doce me facere voluntatem tuam: vias tuas, Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me: qui docet homines scientiam: non abscondas à me mandata tua: viam justificationum tuarum instrue me: fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam & justificationes tuas doce me: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua; & sic sine fine.*

S. Paulus Apostolus ad Colos. 1. *Non cessamus pro vobis orantes & postulantes, ut impleamini cognitione voluntatis ejus in omni sapientia, & intellectu spiritali ut ambuletis digne Deo.* Nam ex zelo etiam Dei solo, sed non secundum scientiam digne Deo ambulari nequit ut Paulus ipse testimonium perhibet ex Jacobo autem adductum fuit quæst. 4. *Siquis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* His ego verbis Dei resistere non audemus: & dedimus etiam quæst. 4. Ecclesiam Magistram nostram unumque eodem modo postulatam.

Sanctus porro Augustinus Jacobum exponebat, *qui dat omnibus affluenter utique his omnibus qui sic petunt, quomodo, & quantum res tanta* (id est sapientia) *petenda est.* Item dicebat: *promissa tua sunt; & quis falli timeat, cum promittat veritas?* Item dicebat. *Fieri enim non potest quadam providentia divina, ut* &c. *facultas inveniendi desit.* S. Thomas dicebat: *& Deus, qui hoc promittit, verax est*: & versabatur in inquisitione veritatis in usuris: & Hieronymus, Chrysostomus & alii comprobabant. *Testimonium* quippe *Dei* fidele, sapientiam *præstans parvulis*, quibus nempe promisit.

Concludat itaque S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 15. ex Augustino: *non nos hortaretur, ut peteremus nisi dare vellet.* Et ex Chrysostomo: *nunquam oranti beneficia denegat, qui ut orantes non deficiant, instigat.* Nimirum in quibus rebus nos instigat, & hortatur; sæpe enim, ac multa oramus, & noscimus, quid petamus; de quibus saniter & sapienter S. Thomas ea quæst. 83 edisserit. At scimus sane, quid petamus quoties cum paulo postulamus, *Domine quid me vis facere*; aut cum Davide: *doce me facere voluntatem tuam.*

Haud vero somniamus, quod Corduba, aliique objiciunt ministerio prorsus omni Doctorum armato, orantes cælitus edocendos. Nihil somniamus hujusmodi; sed recte orantibus postulantibusque, & cætera, quæ sua sunt, exequentibus Doctores bonos à Domino providendos, sin minus, quod lib. 1. ostensum est, permittet aut permittere poterit, ut Doctor etiam bonus erret, ac nobis respondeat juxta immunditias cordis nostri ut ex Prophetis declaravimus. Certe sive Saulus, sive Paulus actu. 9. postulavit, *Domine,*

quid

quid me vis facere? Nec tamen Dominus respondit hoc, & hoc, sed dixit: *surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere:* atque per Ananiam Doctorem eum instruxit.

QUÆSTIO VII.

Utrum probatis etiam historiis constet, Deum legem suam edocuisse eos qui in quo poterant non defecissent?

NOndum, quod sæpe noto, legem Dei ita invenibilem dicimus, ut omnem ejus ignorantiam adstruamus vincibilem: sed quia eam inveniri non posse multi credunt, ac etiam nimis promovent, ac passim ex impotentia inveniendi in rebus plurimis, seu omnibus ignorantias invincibiles, aut dari, aut posse inferunt; nunc post tot, tanquam adducta ex factis ipsis arguendum est, constituendum denuo, fidem reliquamque Dei legem esse invenibilem.

§. I.

Generaliter quadam velitatio circa quæstionem.

Aiunt itaque, aliquas, quin plurimas, Dei leges ad unumquemque pertinentes, & quando, & ubi pertinent inveniri ab ipso non posse etsi faciat, quod in se &c. Doctor aiunt abest; si miraculo ducendus sit, derident: si Angelum memoremus, aut ab ipso cum Deo, instruendum multitemus, rident multo magis. Et interea aliqui saltem ita philosophantium multarum fœminarum privatas revelationes facile approbant, vulgant promovent, quibus eas revelationibus non de necessariis solum ad salutem suam, nec item ad perfectionem gloriosus Deus instituat, sed & de regimine, & successibus Regnorum de morte, de vita, de sobole futura virorum maxime Principum, de salute de periculo; quandiu in purgatorio passi sint; qua hora exierint & hoc genus plurima. Quid ergo absurdum habeant, quando media alia deessent omnia, si gloriosus idem Deus miserum Indum aut thracem, qui fecit, quod in se fuerat, de fide sua, de lege sua erudiret? si misso vel præsente Angelo instrueret? Ad homines scilicet argumentamur. Dedit Unicuique custodem Angelum: quid absurdi si aliquando etiam fecerit Doctorem?

Sed ad prædicatorem, instructoremque hominem veniamus. Hic & nunc (aiunt) est in extrema plaga mundi qui fecit, quod potuit: Deus eo hominem mittere sine miraculo nequit; miraculum ponere Theologi non videntur, & nescio qua præscriptione se hoc dicto vicisse, credunt. Primum vero hoc *hic, & nunc* scitum præscitum comprehensum est à Deo nostro, non uno sæculo sed tota æternitate; qui etiam habet magis in manu sua voluntates hominum, quam ipsi suas. Potuit ergo hoc *hic & nunc* prævenire, præoccupare, & sine miraculo habere eo loci non uno homine sed exercitum Catholicorum, quin universitatem erectam sapientissimam. Quid de Deo magno loquamur? Rex noster si viginti ante annos casum præscisset, & voluisset, decem ibi Doctores habere potuisset. Nimis ergo inconsiderate proceditur.

At miraculo etiam opus sit. Miracula sane frequentiora admittere, & nulla admittere æque à Theologia aberrat. Causa autem in hoc mundo potissima est salus hominum: salvat autem Deus, (hoc saltem nos ponimus & verum est) fide sua, lege sua, gratia sua: *voluit enim omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Quorsum ergo miracula tam aliena habeant; qui interea miracula satis multa suorum intercessione sanctorum pro salute corporis pro felici partu atque similibus peragi non gravate, aut ferunt, aut etiam credunt!

Ad facta nunc accedendo quam vellem ego, si vel una probata historia ostenderent, fuisse alicubi gentium barbarum aliquem qui accepta gratia debite usus fit: & tamen quasi à Deo neglectus sine fide (fide fidem intelligo) inquam sine fide, sine lege, quin contraria lege obierit, vel gentilis, hoc est, idololatria, vel Judæus, vel Mahometanus, vel hæreticus, id est, in hac professione & velut hostis Christi. Quod si nulla historia hoc factum sciunt, quin fidelium sensui, speique repugnat, unde habeant, hunc invincibiliter ideo ignorasse, quia invenire non potuit?

A contrario nunc in genere arguendo nos in Ecclesia dabimus non tot, quin plures sanctos & sanctas, qui nunquam, vel raro legem ullam Dei ad se pertinentem ignoraverint, nec vel materialiter, ut aiunt, legem transgressi sint, aut violaverint. Sed viros forsitan dabimus, & non fœminas ingeniosos forsitan solos vel doctores; non simplices non illiteratos, atque natura rudes. Quis eat cum Deo contendere? non potestimus respondere unum pro mille: surrexerunt surguntque indocti, & Cælum rapiunt. Non est ista scientia naturæ, sed gratiæ; non terræ, sed Dei, qui dat omnibus affluenter. At forte tu credas, hos sanctos, has sanctas sæpe etiam ignorasse invincibiliter & re ipsa legem violasse, & contra eam fecisse. Sed hoc nobis falsis falsius videtur atque lib. seq. Constabit, quam longe Sanctorum via absit à crebris saltem hoc genus violationibus; nam via regali charitatis incedunt, ut ex Jacobo vocem usurpem. Sæpe sane ne errem ob oculos pono sanctam Matrem Ecclesiam Magistram nostram, ejusque sensa. Constarent de aliquo dequo canonizando tractaretur, violationes hæ graves seu legum graviter obligantium, neque constaret ulla habitu conversio aut peracta pœnitentia. Allegares tu sane acute, eum extitisse natura rudem, rem sciendam esse difficilem: violationes materiales sanctitati nihil obesse, quin extra genus moris prorsus esse magis (saltem causative) quam motus primo primos ut part. 1. lib. 1. quæst. 7. Ostensum est. Haud opinor divino, si dixero, te canonizationem numquam consecuturum; de quo argumento iterum intra.

§. II.

Augustinus in hac causa cum Porphyrio disceptatio & Augustini conclusio.

ADeo mihi objicitur, ut tribus omnibus Deo adjutore, & Augustino toties sub Deo Doctore pugnandum sit. Disceptatio ista Augustini adversus argumenta Porphyrii extat epist. 49.

Dixi

(*Dixi in hac causa*; nam de religione saltem, & fide res est expressa; sed & tota salutis via, qua morum doctrina comprehenditur: disputatio est: quam nunc, quanta possim perspicuitate prosequat.

Ridebat ergo Porphyrius in quo & Julianum suum decepit, sed à Nazareno victus cecidit; inquam, ridebat, quod Christus se salutis viam constituisset: atque in hunc modum satis sane populariter, ac ad fallendum apte differebat.

Item alia proposuerunt (inquit Augustinus) *qua dicerent de Porphyrio contra Christianos tanquam validiora deserpta. Si Christus, inquiunt, se salutis viam dicit gratiam, & Veritatem, in seque solo ponit animis sibi credentibus reditum, quid egerunt tot sæculorum homines!*

Ut dimittam, inquit, tempora ante Latium regnatum, ab ipso Latio quasi principium humani nominis sumamus, in ipso Latio ante Albam Dii culti sunt: in Alba æque religiones, virtusque valuere temporum. Non paucioribus seculis ipsa Roma longo sæculorum tractu sine religione Christiana fuit. Quid, inquit actum de tam innumeris animis, qui omnino in culpa nulla sunt; siquidem is, cui credi posset, nondum adventum suum hominibus commodarat? &c.

Sed ne, inquit, dicant, lege judaica vetere hominum curatum genus, longo post tempore lex judæorum apparuit ac viguit angusta Siriæ regione; postea vero prorepsit etiam in fines italos, sed post Cæsarem Caium, aut certe ipso imperante. Quid igitur actum de Romanis animabus, vel latinis, quæ gratia advenientis Christi viduatæ sunt usque in Cæsarum tempus.

Hac summa difficultatis ex Porphyrio, quam etiam ipsam movet alias Augustinus, ut difficillimam forte Gentilium objectionem. Ecce de necessitate religionis, legisque Christianæ causa; neque enim religione Christiana sola fides invehebatur, sed lex præterea morum erat porro causa implexior, quam modo, & post Christi adventum atque promulgatum Evangelium sit sive de Indis Gentilibus, sive de hæreticis sive aliis quibusvis, minus enim tunc aderat, unde Romani aut Latini gentesve aliæ Christi fidem aut credere aut divinare possent.

Christus ergo se salutis viam, ac veritatem constituit: profitebantur id quoque Christiani: jam hoc Porphyrius negat & quid actum sit, quærit de tam innumeris animabus longo adeo tractu sæculorum? Profecto si modo religio Christiana lexque inveniri nequeat minus multo iis sæculis inveniri poterat sive expressior sive implicita fides ejus. Quid ergo tunc fiebat, quid modo fiat de ignorantibus animabus? Nostros hic adversarios de hoc rogo, justificantur ne, ac etiam salvantur. Quod si id Porphyrio concedatur Veteresque Romanos salvos esse potuisse sine lege, fideque Christi transmittatur: primum quidem eideant salvatorem, qui se viam, veritatemque præscribit; suppeterat quippe alia via sine ipso Romanis: ex quo deinde tum ipse, tum Julianus inferret, nihil sibi opus esse religione legeque Christiana, sine qua scilicet innumeræ quaqua verum gentes: ipsi nec non majores sui Romani, ritu, Diisque Patriis salvi esse potuerunt. Hoc etiam modo in Japonia, Christique Imperatores & infideles, ac hæretici quique reponant. At inquis: ex quo nos prædicavimus etsi antea fuerit, non superest alia via. Verùm nihil in primis hoc genus ullas veras annunciator ac præco Evangelii confessus est. Multum rursus inde stomacharentur quod ipsos cum in bona via exstiterent, interturbatum Ministri venerint. Sed hoc argumento xactius infra.

Nunc certè ut ad rem propinquius redeam, ab eo concedendo absuit Augustinus & primum quidem infugit instantius elidit que Porphyrianas molitiones. Deinceps verò sui divineque providentiæ memor ac promissionum, concludit, nulli, qui quod in se erat gessisset cognitionem Christi religionisque ejus etiam ante ipsius adventum defuisse.

Quandiu, inquit, parvus & infirmus est intellectus hominis, divina debet credere veritati. Quid ergo mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum. Christus prioribus sæculis noverat, ut ei prædicari, vel apparere merito nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat. Neque enim incredibile est tales fuisse tunc omnes, quales ab ejus Adventu usque ad hoc tempus multos fuisse, & esse miramur.

Et tamen ab initio generis humani alias occultius, alias evidentius sicut congruere temporibus divinitus visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent, defuerunt ab Adam usque ad Moysem, & in ipso populo Israel & in aliis gentibus antequam venisset in carne. Cum enim nonnulli commemorantur in Sanctis Hebraicis libris jam ex tempore Abrahæ nec de stirpe carnis ejus nec ex populo Israel, nec ex adventitia Societate in populo Israel, qui tamen hujus Sacramenti participes fuerint, cur non credamus etiam in cæteris hac atque illac gentibus alias alios fuisse quamvis eos Commemoratos in eisdem authoribus non legamus? Ita salus religionis hujus (& conclusionem Magistralem) per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit. Hæc est mens, hæc existimatio universalissima Augustini.

Quo autem modo veræ religionis fideique dignos vel non dignos nuncupet, cum Augustinus haud ignoraverit, quin sæpe statuerit, fidem semper indignis conferri, explicatu facile est; loquitur enim de ea dignitate vel non dignitate, cujus capaces sint fidei expertes & juxta subjectam, ut dici solent, materiam. Dignus ergo erat, non cui retribueretur, sed cujus misereretur Deus, omnis bene. Utens accepto lumine & gratia, agensque, quod erat in se, servato contrarie modo, quam gentes ad Romanos I. servasse perhibentur. Sic nullus peccator dignus est, cui justificationis gratiam retribuat, solvatque Deus; at qua porest diligentia se ad justificationem præparans, dignus est magnitudine divina misericordiæ considerata, cujus misereatur, & certissime etiam ex suis promissionibus miserebitur: quo plane sensu dignus omnis justificatur, omnis faciens, quod potest; & qui non justificatur, dignus non est. Ita intonat Augustinus ac decretorie statuit *nulli unquam defuit, qui dignus fuit; & cui defuit, dignus non fuit.*

Consultissima porro fuit Augustini dissertatio ex notis scitisque ad ignota; & ex scriptis ad non scripta; quod Philosophia omnis, & Logica docet: quam vim ratiocinationis nos paulo inferius prosequemur.

§. III.

Quod Magister Augustinus indubitatum etiam habuit Thomas discipulus quidem illius, sed Magister noster.

ERgo Sanctus & magnus Doctor Ecclesiæ Thomas ut multa nunc ejus alia documenta prætercam in disp. quæst. 14. de verit. at. 11. quærit utrum sit necessarium aliquid explicite credere? Et in argumento 1. objicit casum, ut videbatur, omnium excogitabilium difficillimum, & in quo, siquando

siquando alias defutura videretur institutio ac possibilitas veram fidem agnoscendi.

Arguit itaque: illud enim non est ponendum, quo posito, sequitur inconveniens: sed si ponamus, quod sit necessarium ad salutem, quod aliquid explicite credatur, sequitur inconveniens. Possibile est enim aliquem nutriri in sylvis, vel inter lupos, & talis non potest explicite aliquid de fide cognoscere; & sic erit aliquis homo, qui de necessitate damnabitur, quod est inconveniens: & sic non videtur quod sit necessarium aliquid explicite credere.

Statuit in corpore necessitatem; distinguit majores, & minores; distinguit tempora ante, & post adventum Salvatoris, & omnibus sapienter constitutis, non hæsitans, non opinans sed indubitata sibi doctrina ad argumentum respondet.

Dicendum, quod non sequitur inconveniens, posito, quod, quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in sylvis, vel inter bruta animalia nutriatur; hoc enim ad divinam providentiam pertinet. (Huc scilicet erigendum est caput; nec in humanis modo sistendum) *ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali certissime est tenendum,* (notanda clausula) *quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium Act.* 10. At nostris contrariis qui passim in suis Philosophis recurrunt ad Causam primam, quæ defectum, absentiamque causarum secundarum suppleat, & vel pro generando igne, ubi ignis alius abest ne fateantur, ab accidenti substantiam produci ad causam primam abeunt, quæ defectum absentis ignis suppleat, & sic sæpe, sic passim; mirum interea est, si Deus pro Prædicatore raro aliquando vices expleret quasi plus forte interesit, comburi ligna, quam hominem erudiri, & salvari, quem quippe salvari & ad agnitionem veritatis venire una olim Dominus Deus decreverat.

Objecerat etiam arg. 5 multos Gentiles, ut dicit Dionysius, salvos factos esse ante Christi adventum, qui nihil explicitum de Redemptore agnoscere potuere. Respondet, sufficisse eo temporis fidem implicitam: Et addit: probabile est tamen, multis gentibus mysterium Redemptionis nostræ ante Christi adventum fuisse revelatum: sicut patet ex sybillinis vaticiniis: quod intelligitur, nihil ipsis, quod in se erat etiam agere curantibus.

Ad 2. autem absolutissime dixerat, *quod quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea, quæ sunt fidei, ex nobis ipsis, tamen si nos fecerimus, quod in nobis est, ut scilicet ductum rationis naturalis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod est nobis necessarium.*

Multa etiam tradit 2.2. quæst. 2. Sed ubi de historiis & factis est sermo solum confero ar. 7. ad 3. ista: dicendum, ait, quod multis gentilibus facta fuit revelatio de *Christo, ut patet per ea quæ prædixerunt. Nam Jobi* 19. *dicitur: scio quod Redemptor meus vivit. Sibylla etiam prænunciavit quædam de Christo, ut Augustinus dicit lib.* 13. *contra Faust. cap.* 15. *invenitur etiam in historiis Romanorum, quod tempore Constantini Augusti & Helenæ matris ejus inventum fuit quoddam sepulchrum in quo jacebat homo laminam auream habens in pectore in qua scriptum erat: Christus nascetur ex virgine, & ego credo in eum ô Sol,* &c. *Si qui tamen salvati fuerunt quibus revelatio non fuit facta non fuerunt salvati absque fine Mediatoris.* Ideò concludebat Augustinus cur non credamus etiam in cæteris, hac atque illac gentibus alias alios fuisse? *Ita Salus religionis hujus*, &c. ut dictum est §. sup. Præterea alia in D. Thoma.

Iterum Augustinus lib. 1. de Doct. Christ. cap. 1. Urget necessitatem exterioris institutionis, & Doctoris, haud tamen ideo caras Dei has providentias, quibus suos erudiret, relegandas duxit. *Nec propterea sibi ab Antonio Sancto & perfecto viro Ægyptio monacho insultari debere, qui sine ulla scientia literarum scripturas divinas & memoriter audiendo tenere, & prudenter cogitando intellexisse prædicatur. Aut ab illo servo Barbaro Christiano; de quo à gravissimis, fide dignissimisque viris nuper accepimus, qui literas quoque ipsas nullo docente homine, in plenam notitiam orando, ut sibi revelarentur, accepit, triduanis precibus impetrans, ut etiam codicem oblatum stupentibus, qui aderant, legendo percurreret.*

§. IV.

Alexander quoque, & Gabriel idem Concluserunt.

QUi certe legem Dei, fidemque ipsam tam inventis multis impossibilem arbitrantur, avide arripuerunt Cidis historiam pro ignorantia invincibili indissolubilitatis matrimonii totius Hispanæ gentis: quam historiam multi negant, deinde id ex ignorantia factum; rursus ignorantiam, siqua fuerat invincibilem extitisse, non erat unde suaderetur. Interea vero erant in contrarium veriores historiæ in ipsam etiam Theologiam olim conversæ, quas cur præterivetint plane nescimus.

Gabriel itaque in 2. sentent. dist. 22. quæst. 2. at 3. dub. 1. inducit hoc dubium sit puer, qui in infantia includatur incarcere Saracenorum utrum ignorando fidem, & ea, quæ sunt legis Evangelicæ, peccet non credendo, aut servando legem. Quod non; quia ex conclusione ignorantia invincibilis excusat à toto: habet autem talis ignorantiam invincibilem. Sed in contrarium est illud Apostoli ad Hebræos 11. *sine fide impossibile est placere Deo.*

Ad hoc respondet Alexander de Ales part. 2. quæst. 129. mem. 8. (ait Gabriel) quod talis, cum pervenerit ad adultam ætatem, habet potentiam credendi, id est habet in se, unde se disponat ad fidei receptionem, si facit, quod in se est servando legem naturę, vel per Angelum, vel per hominem. Sicut enim natura non deficit, in necessariis, &c.

Sic enim Spiritus Sanctus interiori illuminatione quosdam utriusque testamenti viros, & mulieres erudivit ut manifestum est de Prophetis, & Prophetissis, sic beatam Barbaram B. Christinam, & plerosque alios, ut probatæ docent historiæ intus sine exterioris Magistro ad perfectę fidei cognitionem Christi illustravit.

Sic Patres in Eremo, rusticos littera eruditissimos Divina scientia perfecit, sed & Apostolos, & fideles missio visibiliter Spiritus Sancti in omni scientia salutari Erudivit. Propter quod & Joannes Epist. 1. cap 2. ait, non habetis necesse, ut aliquis vos doceat, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus. Non quod Doctores humani spernendi sint, sed non sunt sic necessatii ad salutis doctrinam, quin, eis deficientibus adhuc necessariam doctrinam Spirit. Sancti unctio supplet, sine quo in vanum Lingua Doctoris exterior laborat.

Sic

Sic per Angelos legem dedit; per Gabrielem, Danielem, Zachariam Patrem Joannis Baptistæ, gloriosam virginem de secretissimis fidei misteriis erudivit.

Denique Cornelium Centurionem, & Candacis Reginæ Eunuchum viros gentiles Deum quærentes, quos Judæorum Synagoga spreverat, hunc per Petrum Apostolum, illum per Philippum Diaconum tam mirabiliter, quam misericorditer instruxit, ut patet ex actis Apostolorum, ex quibus satis patet, Deum non deesse ulli hominum in necessariis ad salutem. Et sic intelligendum est illud Augustini in quæstione Novi Testamenti, &c. Hactenus ex Alexandro Gabriel docto satis Christiano, & Theologia Annæ hic Deus qui pro erudiendis hominibus tanta fecit, quæ memorari vix possint deinceps aut obstupuit, aut edocendi homines, dirigendique curam negligens, totus in natura administranda, causisque secundis supplendis occupatus est? Claudat orationem Chrysostomus in cap 16. Lucæ conc.3. de Lazaro *memento Eunuchi Reginæ Æthyopum, qui cum esset barbarus, &c. Nevit propensum illius animum Deus, studiumque amplexus: misit illi Doctorem illico. Verum non adest Philippus; sed spiritus, qui moverat Philippum, adest.*

§. V.

Aliis historiis indicatis, ac fidelium sensu eadem veritas comprobatur.

Divinas promissiones dedimus, quæ sufficturæ viderentur, & si nulla facta confirmantia scirentur: dedimus momenta Theologica rei huic stabiliendæ paria, & si promissiones nesciremus. Nunc vero, quamquam deessent cuncta alia, ipsa Dei facta ipsius erga nos misericordem providentiam satis superque persuaderet.

Ut vero adductas hactenus historias magis stabiliam, ubi omnia, neque evolvere potui, neque scio, constat, eodem genere providentiæ extraordinariæ Deum nostrum instituisse veritatis inquisitores optimos clementem Romanum, ut ipse lib.1. Recogn. cap.1. acceptum refert, & Gregorium Thaumaturgum, Irenæum, atque alios magnos in Ecclesia viros.

In historiis quoque indiarum aliqui casus memorantur, ut in vita indiarum Apostoli Xaverii, in vita novi Thaumarurgi Josephi de Ancheta, & in aliis ubi strenuis aliquibus luminis naturalis sectatoribus mixtis, sed veris modis provisum, & legimus omnes, & ubi contentio omnis abest, etiam credimus. Insignis est etiam ac valde rarus casus Alius, qui in vita illuminati Doctoris Joannis Fauleri narratur. Erat gentilis quidam, quod in se erat, peragens, quique quotidie Deum cæli, & terræ creatorem orabat, dicebatque: nosti creator Omnium Deus in ista me regione natum in ejus etiam religione educatum esse: habeant aliam Judæi, Christiani aliam. Oro ergo te, siqua est religio melior, eam mihi manifestes; quam libentissime acceptabo. Quod si illam mecum misericordiam agere recusaveris, meque in ista religione mori continget, magna mihi injuria fiet. Hoc orabat naturæ ductu gentilis. Horum prorsus inscius quidam vir Dei, ipso rotum disponente Deo Epistolam ad illum ut remotissima gente degentem ex Germania scripsit: accepit illam, legit, fidem Christi amplexus est; & lingua Germanica quam ignorabat, ad virum Dei respondit. Quid rursus rarius quam isto viro Dei administro ejusdem Joannis Faulerii mutatio facta dextera excelsi.

Profecto ista, ac similia præmulta & ed mensam audimus, & in cellulis legimus Nemo ibi spernit, contradicit nemo, & fideles quique valde consona ea divinis promissionibus, divinæ que providentiæ arbitrantur. At quæ alicubi vera sunt; & quæ in lectione spirituali etiam in schola: Et rursus quæ in libro spirituali, identidem in morali vera sunt. Videtur ergo omnibus ex institutione Christiana insitum esse per Deum numquam abesse, & facienti, quod potest in omnibus ad salutem necessariis providere. Sed vero inde magis ista credenda sint quod minimam eorum partem nesciamus, quæ nobis prorsus aliud cogitantibus, administro Angelo, directis hominibus, se etiam ipso pro salute nostra procurat Deus.

Quid Ægyptii, quid Hebræi ipsi in institutionem Ægyptiorum captivitatem suam ferebant. Et tamen Deo hic inter alios maxime finis: *qui inclusos custodiebant sanctos filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari* psal. 18. Hinc pugnæ illæ Angelorum Sanctorum Danielis 10. *Princeps autem Regni Persarum* &c.

Propria præsentia perfricemus. Nihil columbus minus vero Indi de sua institutione meminerunt. Vehit interea classes integras in Americam gloriosus Deus, plerisque sane Euntium alia omnia molientibus ipso autem in lucem salutemque Indorum dirigente universa. Infiniti homines hac illac per mundum vagantur navigant maria omnia alii bella quaqua versum invehuntur; errantes scientes commiscentur: Jura prædam cogitat captivus Christus servitutem dolet. At in cunctis gloriosus Deus omnes veritatem agnoscere salvos fieri omnes, hoc post gloriam suam primum habet.

Sed innumeris hoc genus Omissis misericordissimæ Dei erga homines providentiæ argumentis ista fecit facitque Deus quotidie non quidem pro agentibus, quod in se est, sed pro nihil minus cogitantibus, pro offendentibus, sceleratisque, nihilque veritatem curantibus. Fieri ergo nequit, quod eum, qui ductum accepti luminis sequitur ultro citroque destituat. Convertit passim ad veram fidem Calvinistas Lutheranos Gentiles etiam eos contra ipsum quod habent lumen & religionem. Ergo quodammodo justos & quod possunt agentes haud deserit.

Rursus quia natura & Deus minus deficere possunt in magis necessariis. Hinc iterum minus in pertinentibus ad nos ipsos, quam ad alios; quia sua unicuique salus, & recta institutio prima est ex justitiæ, Charitatisque Ordine, & deinceps aliorum. At negari nequit, multa multis in ecclesia Dei revelata esse, revelarique, quæ non quasi ad substantiam justitiæ, & salutis pertinerent, sed quæ ad perfectionem majorem ducerent, quæque proinde essent necessaria minus; deinde alia quoque revelata esse; revelarique, quæ ad alios spectarent, quin quæ ad temporalia etiam, & sic comparatione animæ quasi nulla pertinerent. Denuo multos servos suos in suam, aliorumque institutionem scientia infusa donavit, ac miris aliis modis erudivit, ut de Alberto Magno scitur; D. Bonaventuræ Crucifixus præcipua Bibliote-

ca

ea fuit; ac ſic de aliis: Thomas Sanchez vir in primis devotus ineptos humiliter conſulendo intelligebat: famula vener. Marinæ de Eſcovar ſcribere miraculoſe didicit: ipſa vero Dei ſerva non unum, aut alium, ſed multos Angelos, qui docerent qui juvarent, ſortita eſt; reſcivit etiam continuo mortem Guſtavi Adolphi Regis: & ita alia alii, & aliæ. Ergo ſi in minus neceſſariis profuſus eſt adeo Deus, & hæc creduntur, ac promoventur, unde hic idem Deus deficiat in magis neceſſariis. Hæc omnia & majora, ſuoque digna ingenio complexus Auguſtinus tam decretorie, tamque univerſaliter pronunciavit: *ita ſalus religionis hujus, per quam ſolam veram ſalus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit & cui defuit, dignus non fuit*: quæ eadem ex Proſpero qu. ſeq. iterabimus.

Abſurdum plane foret, Deum curare boves, & negligere homines; aut curare homines, quomodo ſaltare diſcere poſſent; at quomodo ſalvari deberent præterire: & ita in aliis. Videmus autem Deum glorioſum miſericordem adeo erga homines in minus neceſſariis ac minoribus; rurſus miſericordiam adeo etiam erga ſceleratos, quos vel propter devotionem aliquam erga ſanctiſſimam virginem vel propter aliam videmus miris etiam modis ſalvos factos, aut ſpe maxima ſalutis obiiſſe. Abſurdum eſt ergo hunc eundem Deum eos negligere, qui accurare viventes lumen, quo vigent ſequuntur & ſua eos fide, quæ ad ſalutem omni procul dubio eſt neceſſaria, non donare. Ex hoc porro fidei articulo, argumentum ad reliquam etiam legem præter dicta hactenus de novo etiam diducemus.

Hanc divinæ providentiæ, Deique indolem intellexit Petrus actu 10. viſique iis, quæ eo capite geſta narrantur ita concluſit: *aperiens autem Petrus os ſuum dixit: in veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Omitto hic dicere num ante prædicationem Petri ex fide implicita ſalvatoris Cornelius juſtificatus eſſet, & vere nec ſolum Philoſophicæ, ſed Chriſtianæ etiam, & Theologicæ juſtus, & juſtitiam juſte operans, ut S. Thomas & alii in ſententiariis tenent: cum quibus nunc ſupponimus, ſine ea ſaltem fide implicita nec ante promulgatum ſatis evangelium juſtificatum, aut ſalvatum eſſe prorſus ullum.

Nunc ad argumentum ex Petro, vel Cornelius jam vere juſtus erat vel non erat? & eo jam temporis fides explicita Chriſti neceſſaria ad juſtificationem, aut ſalutem ad ſalutem (quæ propter canum, & alios diſtinguo) neceſſaria, inquam, vel non erat? ſi jam Cornelius juſtus erat, nec fides explicita requirebatur; profecto minus neceſſaria fuerat Cornelio inſtitutio Petri: ergo in magis neceſſariis minus erga alios deficier Deus; nam Petrus in veritate comperit, quia non eſt aceeptor perſonarum, &c. Quod ſi Cornelius juſtus nondum erat & ad juſtificationem opus habuit fide expreſſa, ac Petri prædicatione, ſane Cornelius typus eſt eorum, quos verſamur, agentium, quod eſt in ſe. Petrus autem non pro uno Cornelio concluſit, ſed de omnibus prorſus: in veritate comperi, quia non eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni gente (etiam in India) qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi; non deſerit, non deſtituit, non præterit, qui attingit à fine uſque in finem fortiter & diſponit omnia ſuaviter.

QUÆST. VIII.

Quæ de invenibilitate præcipue vero rectæ fidei conſtituta ſunt, denuo Juſtini atque Ambroſii ſive Proſperi authoritate reſtaurantur firmanturque

NEſcio an in hac tanta re ubi prolixior etiam videbor ſatis tamen unquam dicturus ſim. Dedi hactenus ſcripturas ſanctas ſatis multas; ſanctorum eorumque magnorum Doctorum eccleſiæ cumulavi authoritates: his modo Juſtinum Martyrem & ſive Ambroſium ſive Proſperum juratos quaſi teſtes addere viſum eſt.

§. I.

S. Juſtinus quam indubitatum habuerit quod tradimus.

ESt liber hujus tanti Doctoris ad Chriſtianos in quo plurimæ quæſtiones à Gentilibus fieri ſolitæ proponuntur, diſſolvunturque; & hæc videbatur eſſe eo temporis fides Chriſtianorum.

Quæſtio itaque quarta eſt. *Si pro virili ſua ſtuduerunt hæretici* (ſectarum omnium homines intelligere) *ſcire, & tueri decretorum veritatem, nec potuerunt, qui non eſt iniquum, eos, qui à veritate aberrarunt, ſupplicus dedi?* Hæc eſt quæſtio; ſed forte Juſtinus eos per ignorantiam ſalvos faciet? Audiamus.

Reſpondet. *Hoc ipſo hæretici pro virili veritatem non quæſierunt, quod eam ab iis, qui eam inveniſſent, doceretur, accipere, ac diſcere nec potuerunt, nec ſuſtinuerunt. Quod ſi hæc vera eſſet excuſatio deberent ipſi alii aliis errantibus, ignoſcere, ut qui infirmitate, imbecillitateque poteſtatis, non ſententia improbitate hæreſes, atque ſectas invexiſſent, atque confirmaſſent, & inter ſe diſcrepantes & à veritate.*

Nunc cum ſe inter ſe condemnet aliena, abſurdeque ſententiæ nomine, plane declarant, à cupiditate gloriæ, aut à ſtudio in Principes ſectarum hæreſes omnes confirmationis ſui cauſas habuiſſe: quâ ex cauſa graves lupi ſectarum Principes ab Apoſtolo nominati ſunt.

Fieri autem non poſſe (oro audiant) *quin ſi ii, qui veritatem toto corde, atque pro virili, quærit, inveniat, Teſtis eſt Dominus, qui ait, omnis, qui petit accipit, & qui quærit, invenit, pulſantique aperietur.* Interpretor, inquis: & me etiam rogo interpretare.

§. V.

Proſper rem fuſe proſequitur, ſancitque.

IN his libris de vocatione gentium qui falſo Ambroſio tribuuntur nobis ipſis expreſſius diſertiſſimus Doctor rem iſtam proſequitur; atque ex multis aliqua procurrenda ſunt lib. 1. cap 2. argumentum eſt quod quamquam ſpecialem ſibi populum delegiſſet, nulli tamen nationi bonitatis ſuæ dona ſubtraxerit.

Et hoc cap. 2. *Cum enim quidam non ſolum ad inſtituta utiliſſimarum artium, &c ſed etiam ad inquiſitionem ſummi boni aciem intenderint & inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpexerint, non agentes tamen gratias Deo, nec confitentes, illum ſib*

esse hujus faculentiæ autorem, sed dicentes se esse sapientes, hoc est, non in Deo, sed in semetipsis, quasi ad veritatis inspectionem suis studiis, atque rationibus propinquassent, evanuerunt in cogitationibus suis: & quod illuminante Dei gratia invenerant, obcæcante superbia perdiderunt relapsi à superna luce ad tenebras suas. Paulus est totus, & hoc in causa, non Deus tantarum quaquaversum ignorantiarum, & errorum, ut lib. 1. latius dictum est.

Mox de electione populi, de quo privilegiis ejus aliqua ex divinis libris prosecutus, ait. *Quamvis ergo, & multa similia veritatis scriptura pronunciet, secundum ipsam tamen credimus, & piissime confitemur, quod numquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit. Qua licet exceptum sibi populum*, &c. *nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit. Unde inexcusabiles facti sunt, qui Deos sibi Dei dona fecerunt*, &c. Paulus iterum totus est. Describit continentur copiosa oratione malorum & errorum causam voluntatem nostram nos ipsos.

Cap. 3. de electis prædestinatisque multas scripturæ paginas elucidat: de iis vero, qui non audierunt de quibus infra futurus est sermo, ait: *& illi quidem qui audito evangelio credere noluerunt inexcusabiliores facti sunt, quam si nullum præconium veritatis audissent.* Inexcusabiles ergo etiam hi & inferius: *non ergo omnis Israel reprobatus, nec omnis electus est, sed partem cæcitas voluntaria avertit partem sibi illuminatio gratuita reservavit*: atque ideo illi inexcusabiles. Sed quidam haud intelligunt, cæcitatem esse, & voluntariam esse, & solum ea, quæ videntur voluntaria putant. Sed discant, si volunt.

Jam cum cap. 3. ad electos, prædestinatosque plurimas scripturas retulisset cap. 4. sibi objicit. *Sed cum legerint hæc, vel audierint, qui amant calumniosa certamina, dicent, nos per hujusmodi disputationes Apostolo contradicere desinenti, quod Deus omnes homines velit salvos fieri & in cognitionem veritatis venire. Quam particulam verborum Apostoli ita nos integre, pleneque suscipimus, ut nihil ei de præcedentibus, sive subjectis, quæ ad ipsam pertinent subtrahamus; quoniam, ut cæterorum divinorum eloquiorum testimonia sequestremus hic locus sufficit ad evacuandum, quod calumniose objiciunt, aut ad defendendum quod inique dissentiur.*

Universalis mox ecclesiæ regulam usurpans, & tenens tradit, quomodo ex Apostoli vel Domini potius præcepto orationes in ecclesia fiant pro omnibus prorsus hominibus, quo concludat, Deum, qui sic orare jussit, velle utique, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Supplicat ergo (concludit) *ubique ecclesia Deo non solum pro sanctis & in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus, & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus: pro Judæis, quorum cæcitate lumen evangelii non refulget: pro hæreticis, & schismaticis. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum; accipiant fidem: accipiant Charitatem & de ignorantiæ tenebris in agnitionem veniant veritatis?* Supponit certe, & supponimus, eos male consuetudinis pondere oppressos, & erroribus obcæcatos viribus suis liberari non posse, Deoque opus esse adjutore, & illuminatore: quem propterea ecclesia tota orat.

Deinde reliquo libro differit de occultis Dei judiciis, cur alios convertat; alios non convertat: supponit esse semper latens aliquod, secretumque judicium; quo circa multa subtilissime differit.

Lib. 2. plurima confert in argumentum nostrum; cap. 5. *Hæc autem fides, antequam veniret; hoc semen, de quo Abrahæ dictum est; in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, intra unius stirpis populum continebatur, vigente apud veros Israelitas spe redemptionis nostræ; quoniam etsi fuerunt ex alienigenis, quos temporibus legis veritas illustrare dignata sit, tam pauci fuerunt, ut vix cognoscantur, an fuerint.*

Neque ob hoc excusabiles sunt nationes, quæ alienatæ à conversatione Israel spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc mundum universum rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est universis hominibus quædam supernæ mensura, doctrinæ, quæ etsi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit sufficit tamen, sicut Dominus judicavit quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.

Cap. 10. in quo dicta recapitulantur. *Elaboratum est enim, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in nostris diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse providentia quidam pari & bonitati generali, quoniam sive occulte sive manifeste, ipse est, ut Apostolus ait, salvator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ sententia subtilissimæ brevitatis & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua egimus, controversiam dirimit.*

Et paulo inferius. *Sicut ergo de iis, quæ intra ecclesiam spiritus sanctus multiformiter operatur, impium est ullam querelam corde concipere; ita etiam de illa providentia, quæ infidelibus præsidet, nullatenus murmurandum est; quoniam, & justus, & bonus arbiter nec iniquæ, voluntatis est, nec discretionis incertæ, ut sub immensa omnipotentis Dei misericordia, atque justitia, putemus, quod quisquam pereat, qui perire non debeat.* Hoc aliud non est, quam quod ex Augustino recantavimus *nulli defuit, qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit.*

Deinde sicut nos quæst. præc. fecimus argumentum promovet. *Quidam ecclesiæ filii, inquit, ab hostibus capti Dominos suos Christi evangelio manciparunt: alii Barbari dum Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris didicere regionibus, & ad sedes suas cum christiana religionis institutione remearunt. Ita nihil obsistere divinæ gratiæ potest*, &c. *Ad quoslibet igitur rerum humanarum exitus se nostra convertat inspectio, nulla sæcula, nulla negotia, nullos generationum ortus, atque decessus ab æternis, inscrutabilibusque judiciis Dei vacare reperiet.*

Absoluit vero opus: *pro iis autem qui extra fidem sunt, postulat, ut credant. Nec ideo ab obsecrationibus cesset, si pro aliquibus exaudita non fuerit: Deus enim, qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire non potest quemquam sine justitia refutare.* Neque hæc justitia ex Prospero in peccato solo originali fundatur; nam eo non obstante, & quasi post illud Deus voluit omnes ad agnitionem veritatis venire: atque eo non obstante, & quasi post illud hanc Dei erga omnes providentiam tanta oratione S. Prosper prosecutus est. Est ergo in quocumque alio, qui ad agnitionem veritatis non venit, alia ratio justitiæ eum refutandi quod accepta Dei misericordia

recte

recte usus non sit. Et certe universalissimam istam Dei erga omnes homines providentiam qualem statuit Prosper, admittunt plerique libenter quoad gratiam sufficientem, quin de fide esse censent. At ostensum est gratiam sine gratia etiam cognitionis non sufficere: eamdem esse de utraque rationem.

QUÆST. IX.

Utrum ergo principium illud, facienti quod in se est *&c. omnes cogantur admittere de aliqua cognitione, in qua argumenta in contrarium infringantur?*

Opinor, ex eo tot de ignorantiis vincibilibus, aut invincibilibus fidei juris naturalis divinique multiplicatas esse sententias, quæ nec comprehendi queant neque recenseri: quod hoc ex divina providentia divinisque promissionibus depromptum principium ex integro servatum non sit; nam eo intemerate servato omnia cohærere expeditaque esse videntur: at eo tacto, ac alterato, nusquam pes tuto figatur, & sicut unus hoc alter illud Philosophari potest. Nunc itaque tractandum est, num de aliqua alicujus saltem fidei alicujus item juris cognitione omnes cogantur admittere, eam certissime a Deo conferri omni facienti quod in se est in quo vel multo, vel pauco admisso omnia ea argumenta dissolvantur, queis intenditur, hæc vel illa alia fidei, vel juris nos invenire non posse.

§. I.

Præmittitur, & declaratur alia esse necessaria necessitate medii, alia præcepti.

Hanc distinctionem ponunt Theologi omnes & exponunt: ubi breviter dicendum est, ea sine quibus justificatio, vel salus absolute non obtinetur, esse necessaria necessitate medii ad justificationem, vel salutem, sive ex culpa, sive sine culpa defuerint. Quidam apud eordubam lib. 2. de ignor. quæst. 4. §. & ad supradictas, addendum putant nisi per ignorantiam invincibilem quis excusetur. Sed hæc additio est falsa, ut patet in pueris, qui sine baptismo cum ignorantia, & impotentia prorsus invicta obeunt; & tamen regno privantur; quia baptismus est necessarius necessitate medii: & sic in gratia; & in aliis. Quemadmodum ergo comedere est necessarium ad vivendum & quacumque ex causa non comedas, non vives; ita nec justificatio, vel salus obtinetur quacumque ex causa iis careas, quæ ad justificationem, vel salutem necessaria sunt necessitate medii.

Ea porro sunt necessaria necessitate præcepti sine quibus ex præcepto solum justificatio vel salus non obtinetur. Unde breviter dicamus ea esse necessaria necessitate medii, quorum defectus etiam prorsus involuntarius finem impedit: ea autem necessaria necessitate præcepti, quorum defectus solum voluntarius impedit. Cui explicationi sic, vel sic propositæ Theologi plerumque concordant suo loco.

§. II.

Aliqua demum propria fides unius Dei, & Mediatoris fuit omni tempore necessaria necessitate medii ad justificationem & salutem.

Non loquimur de quadam nescio qua fide lata haud pridem inducta contra statuta Majorum: hoc est, de fide non fide: qua verbis abutendi, & contrarie etiam intelligendi una licentia quidquid sanctum est, aut prophanum, funditus convelli possit; & si obediendum sit, si servanda fides, & justitia, si dormiendum, aut vigilandum nescio quid aliud hic nominibus, quin contrarium significando, & perto *late* cuncta conciliando evertentur universa: Quod proinde nec impugnandum duxerim, & Author, qui id invexit late locutus est de fide lata; & sicut per fidem non fidem intellexit, & latam adjungendo fidem destruxit: ita ipsæ per fidem latam fidem strictam significavisse dicamus, & nugas prætereamus.

De fide ergo est sermo, quæ fides est, & sperandarum substantia rerum, & argumentum non apparentium qua scilicet supernaturalia, & superiora nobis innotescunt, constantque; qua qui non crediderit, condemnabitur; qua qui non credit jam judicatus est: ex qua etiam justus vivit, & qui ex ea non vivit, utique justus non est; à qua credentes, & fideles vocamur; cæteri vero infideles, & hæretici. Hæc fides divina est, hæc fidei notio cunctis manifesta: indeque fidelium omnium vox *est Credo*.

Jam prorsus certa & indubitata Theologorum sententia est saltem post peccatum Adæ aliquam propriam fidem, hoc est, fidem unius Dei, ac præterea etiam Christi Mediatoris necessariam fuisse omni homini rationis compoti in omni statu ad justificationem & salutem licet pauci ultro ad salutem limitent.

Ergndist. 25. in 3. & 2 2. quæst. 2. Theologi statuunt, quod diximus. Sententiarii Duce ipso Magistro usurpant testimonium Augustini, ut S. Thomas, Scotus, Albertus Gabriel &c. quod idem testimonium resumit S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7. quo idem omnes traderent.

Testimonium extat epist. 157. ad optatum *illa tamen fit fides salva qua credimus, nullum hominem, sive majoris, sive parvulæ quamlibet & recentis ætatis liberari à contagione mortis antiquæ, & obligatione peccati, quod prima nativitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum cujus hominis, ejusdemque Dei saluberrima fide etiam illi justi salvi facti sunt, qui prius quam veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides est & nostra & illorum; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Unde dicit Apostolus Paulus habentes autem eundem spiritum fidei;* quod idem fortissime denunciat, & veritatem christianam de eo non dubitare, adstruit lib. 2. contra Plag. & Cædest. de peccato orig. cap. 24.

Hoc ita Theologi intelligunt, ut ante adventum Christi sufficeret fides implicita Mediatoris, ut inter cæteros gravissime, ac sapientissime probat, & statuit Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis part. 10. c. 6. post adventum tamen requiratur fides expressa. Hoc inquam sapientium constitutu est etsi interea non desint, qui varient, tollant,

& addant, *ubi tamen multæ* (inquit Hugo) *sunt existimationes & opiniones hominum, & tam diversa fide, de recta fide disputatur; nec parvum esse hoc periculum putandum est* Scilicet ea Theologia nondum innotuerat; *Doctores utrumque dicunt, utrumque ergo tutum, & sine periculo est*: ut ex Scoto etiam hac ipsa dist 25, apparet.

Sed ad rem. Brevissime egi idem Hugo cap. 8. rem concludit: *duo igitur sunt in quibus constat vera fides, Creator, & Redemptor.* Hoc Magister, hoc S. Thomas utriusque vel unius Theologiæ Princeps præscripserunt, & tamquam rem indubitatam posteris consignarunt.

Magister pro tempore ante adventum Christi usus est Apostolo dicente *accedentem ad Deum oportet* &c. Sed quæritur ait utrum hoc credere ante adventum, vel ante legem ad salutem suffecerit. Nam tempore gratiæ constat certissime ait hoc non sufficere &c. Sed nec ante adventum sufficere probat adducto testimonio Augustini: item ex actu. 4. *& non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Item rursus ex Augustino: *nemo liberatur à damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi.* Iterum ex Augustino: *eadem fides Mediatoris quæ nos salvat salvos justos faciebat pusillos cum magnis*; in quo testimonio, quæ postea Augustinus subdit recte Hugo de S. Victore eo cap. 6. & alii de fide solum implicita pro pusillis minoribusque accipiunt, atque declarant. Demum Magister ex Gregorio rem statuit.

S. Thomas in hanc distinctionem 25. quæst. 2. art. 1. & 2. eadem accipit, & illustrat; atque ad argumenta respondet utendo eo principio, quod nunquam Deus deest in necessariis ad salutem homini quærenti, nisi ex culpa sua & divinitus providebitur, vel per prædicatorem, vel per revelationem: & rursus, quod si talis faceret, quod in se est, Deus provideret sicut supra qu. 7. certissime tenendum docuerat.

Idem S. Thomas in suo novo Theologiæ ordine 2. 2. quæst. 2. per totam necessitatem fidei universim & in particulari fidei unius Dei & Trini, & incarnationis consignavit tamquam indubitatum. Doctrinam confirmat ex Paulo ad Hebr. 10. *sine fide impossibile est placere Deo*: Joan. 6. *omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me*: Iterum ex Paulo: *accedentem ad Deum oportet credere* &c. Art. 7. de fide incarnationis resumit adductum testimonium Augustini *illa fides sana est* &c sic enim olim legebant: item ex actu. 4. *non est aliud nomen*, &c. atque alia tradit & magistrabilibus Theologicis momentis comprobat.

Quapropter propriam fidem explicatam unius veri Dei (nisi saltem scientia impeditetur) & aliquam præterea saltem implicitam Mediatoris qua Mediatoris fuisse omni prorsus homini usum rationis habenti necessariam ad justificationem & ad salutem Theologi certissimum habent.

Corduba quæst. 5. initio contrarium ait temerarium, & hæreticum, vel hæresim sapiens Sotus in 4. dist. 1. qu. 2. art. 3. & dist. 5 quæst. 1. art. 2. dicit esse hæreticum Canus quoque saltem quoad salutem cum aliqua formidine in relect. de sacram. Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 2. punct. 2. ait *renunciatur* ex dictis etiam error quorumdam Authorum Recentiorum, &c. & punct. 1. & 2. immensis authoritatibus statuit necessitatem fidei, & actus etiam ex objecto supernaturalis necessitate medii ad justificationem, & salutem. Idem supponit Vazquez tamquam indubitatum disp. 120. cap. 4. & ita alii.

Nunc ego directe non tracto de necessitate fidei ostendenda licet nihil quod sciam plenius, expressius, cumulatius ostendi possit ex scripturis, ex conciliis, ex sanctis; sed reflexe ex Theologis accipio, & usurpo eam necessitatem; ex quo omnes cogam ad argumenta instituto nostro principali contraria contemnenda: obiter autem aliqua ex ipsis Theologiæ Proceribus cursim etiam in digito, ex quibus omni syncere credenti palam fiat statuta fidei necessitas de quo alias etiam copiosius disserui.

Caput totum 11. Apostoli ad Hebræos rem aperte demonstrat. Quid vero de Paulo hoc aut illud adducamus? Universæ scilicet Apostoli epistolæ adeo necessariam fidem Jesu Christi ingeminant, ut nisi ex collocatione aliorum locorum tum scripturę, tum ejusdem Apostoli res aperte demonstraretur, ubi fidei, ut sectarii ineptiunt videretur ex toto tribuenda justificatio ad Rom. 3. *justitia autem Dei per fidem. Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum*: item *justificati gratis*, &c. *per fidem*: item *justificans eum qui est ex fide Jesu Christi*: item: *per quam legem? factorum? Non sed per legem fidei.*

Caput 4. ex quo sectarii arguunt, in idem argumentum expressum totum est: *non est autem reputatum tantum propter ipsum* (scilicet Abraham) *quia reputatum est illi ad justitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur, credentibus in eum* Cap. 5. *justificati ergo ex fide*: item: *per quem habemus accessum per fidem.* Cap 10 inter alia; *quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris*, &c. *salvus eris: corde enim creditur ad justitiam*, &c. Et sic Paulus totus percurri potest maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Philip. ad Titum, ad Hebræos: & ter saltem ingeminat textum ex Habacuc. *justus ex fide vivit.*

His atque aliis locis præcipue Apostoli hæresim suam sectatii effinxerunt, & uni fidei justificationem ex integro adscripserunt, gratis obliti ejusdem Apostoli, qui fidem quantumcumque nihil esse sine charitate deprædicat, majorem charitatem constituit, eamque fidem extollit, quæ per charitatem operatur: in quibus non est immorandum tam scilicet claris, tam perspicuis; & quo jure Jacobum, eodem sane totum Paulum recusare potuissent.

Sed vero sacrum concilium Tridentinum adversus has hæreses congregatum, quid quantumque deferendum fidei esset, quam nimis sectarii extulerunt, adeo perspicue declaravit ut mirandum sit, ac miraculum pariter superesse potuisse catholicos, qui dicerent, sine hac fide, de qua loquitur Apostolus, & cui justificationemque adscribit, & cui uni, & soli Sectarii eam attribuunt, justificari ullum unquam posse.

Etenim concilium sess. 6 cap. 7. pronunciat: *quod* (scilicet baptisma) *est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio.* Cap. 8. titulus est; *quomodo intelligatur, impium, per fidem, & gratis justificari?* & ait: *cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, & gratis ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium*

initium fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.

Ideo tes hoc sub aliis terminis tamquam de fide proponitur tit. de Hæret. *firmisse*, ut dicitur: *firmissime tene, & nullatenus dubites omnem hereticum, vel schismaticum cum Diabolo, & Angelis ejus eterni ignis incendio participandum; nisi ante finem vitæ catholicæ fuerit incorporatus & redintegratus ecclesiæ* &c. *omnem hominem qui ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem, neque baptisma, neque eleemosina quantumlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem.*

At nullus prorsus homo indus aut barbarus est intra ecclesiæ catholicæ unitatem sine fide, eaque recta, & jam etiam expressa Jesu Christi. Patet hoc, ubi apud homines est disputatio, nam omnis alius homo in mundo vel est nullius religionis, & fidei; vel est infidelis, & idololatra, vel Judæus vel Mahometanus, vel hæreticus, vel schismaticus aut similis: nullus autem vel harum religionum, vel nullus Professor est intra ecclesiæ unitatem, nullus idololatra, nullus Judæus, Mahometanus, Calvinista, Lutheranus nullus, & nullus talis est fidelis; nec de hoc est disputandum, ut etiam lib. I. dictum est: ergo nullus horum haud justificatur, aut salvatur. Et confirmatur: nam si quando aliquis, maxime is, quem proponit Pontifex: at non ille; ut definit Pontifex, nam tradit tamquam non fidei, quæ & Sanctorum doctrina, est maxime Pauli Cypriani, & Augustini & de sum. Trinit *firmiter* differitur: *una vero est fidelium universalis Ecclesia extra quam nullus omnino salvatur*, & similia sunt etiam in Decreto 24. quæst. 1. cap *alienus* & cap. *prophanus* &c. loquitur.

Sed ne quisquam scripturas & concilia, sanctos, juraque parum curans, aut legens excusari inde posset, aut vellet Sancta Ecclesia in ipso Breviario rem istam cunctis obviam proposuit Dominica infra octav. Epiph. S. Leo clamat: *hoc enim est, quod justificit impios; hoc est, quod ex peccatoribus facit Sanctos, si in uno, eodemque Domino nostro Jesu Christo & vera Deitas, & vera credatur Humanitas.* Ergo sine hac fide nullus justificatur peccator est: *nam in quo omnes peccaverunt.* Et Augustinus fer. 3. infra octava Penrecoste.

§. III.

Indelebilis persuasio fidelium assertam fidei necessitatem denuo Sancit.

Frustra scilicet est, quod hoc, aut illud quis ausit contra opinati; nam id corde saltem credit nemo: nec ipse etiam forte opinans: estque fidelibus omnibus firmissime persuasum non esse aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri nisi Jesu Christi: sine cujus jam cognitione, & fide etiam expressa justificetur aut salvetur nullus hic, aut ibi, aut uspiam gentium, aut barbarorum.

Etenim nullus fidelis est, qui gratias Deo non habeat aut habendas saltem non existimet, casque ingentes pro gratia fidei; qua fidelis, & credens, qua filius Ecclesiæ Catholicæ sit, & credat inter reliqua maxime in Jesum Christum tamquam pro gratia necessaria ad justificationem, & salutem &c. ergo nullus est, qui persuasissimus non sit, se sine ista fide justificari, aut salvari non potuisse.

Quod ut fiat potentissimum, ponamus, & fingamus aliquem persuasum esse, se sine ulla cognitione, & fide Christi, mortisque ejus, & crucis justificari inter gentes potuisse & salvari, aliquam ibi religionem, & legem recte servando; aut inter Judæos vel Mahometanos horum legem adimplendo: nam ex possibili posito in actu nullum, ut aiunt, sequitur inconveniens. Ponant ergo in actu in aliqua religione, aut nulla eum, qui sine recta fide Jesu Christi justificari, salvarique posse aiunt: sit ille Lutheranus, qui novit saltem Christum.

Hoc credens fidelis in primis nullas gratias habeat pro fide sua saltem tamquam pro re sibi necessaria; siquidem, ut ponimus, se inter Lutheranos etiam vel Gentiles salvari potuisse arbitratur: at nullum dabunt rite fidelem, qui ita existimet.

Hoc deinde admisso, nullas prorsus gratias habeat neque tamquam pro re sibi necessaria, neque tamquam pro utili & sic prorsus nullas: vel certe desipere insanireque cogatur. Veniet scilicet ei in mentem Mahometanorum vel Lutheranorum aut Indorum, barbarorum religiones & leges esse lege vera Christiana placidiores, hilariores, mundoque & carni magis consentientes; quod est per se norum notorietate facti, nec est probandum, supponuntque Theologi omnes tract. de fide inter argumenta credibilitatis, & indicavimus etiam part. 1. qu. 2. Infert: ergo facilius, expeditiusque servare aliquam legum illarum potuissem, quam servarim, servemque modo legem Christianam cum ea etiam gratia, quæ de facto mihi concessa est, aut conceditur vitæ communis hominibus. In ea autem, ut ponitur justificari potuit, & salvari infert, & delyrat: ergo melius mihi fuisset ad justificationem, & salutem si idololatra fuissem, aut solius rationis naturalis sectator sylvicola, aut Mahometanus Lutheranusve.

Profecto nullum saltem certum argumentum superest, quo sciat ille utiliorem sibi esse fidem, legemque christianam, si alibi justificari potuit, & salvari unde saltem dubitabit. & nesciet, utrum sibi fuerit melius. Dubitabit mox inde & nesciet, num gratias habere oporteat, num potius conqueri debeantque Deo magis barbari, ô Deus quanta nostra in mentem veniunt si explicare illa valerem.

Blasphemabit ille forsitan, & dicet. Quid oportuit nos Christianos fieri salvatoris vita & morte cruceque affligi ignem mitti in terram, & gladium, si citra tot hæc tanta justi esse potuimus, & alii nunc etiam possunt? Quid mortificationis, abnegationis humilitatis jejuniorum, votorum scire horrida nomina, quibus aut nobis atrox bellum inferre, ac in nosmet sævire necesse sit vel mæstos esse cruciariq; morsu conscientiæ? Ecce ait nil horum novit indus ille, & justificatur tamen, & salvatur: plusque sua ei ignorantia prodest, quam mihi mea gratia. Avertat Deus à cordibus fidelium stultas cogitationes; & immensas habeamus gratias omnes pro fide, qua in crucifixum mortuum, & sepultum credimus, sine qua nulli unquam contigit justificatio.

Nullus evangelizantium de hoc unquam dubitavit. Nullus dixit ad indos ullos, aut barbaros; legem fidemque vobis afferimus,

qua facilius, vel sic, vel sic justi esse posiris, & salvari; sine qua etiam possetis; in ea tamen tutius. Nullus inquam evangelizantium hoc aut credidit ipse aut aliis confessus est: qua una confessione nuspiam sane amissum fuisset evangelium. Hoc omnes annunciant, se fidem afferre, sine qua omnes pereant, & servetur nemo. Anne desipiemus & consultandum jam erit, sit ne melius, infideles, & hæreticos, deceptosque omnes in errore suo & ignorantia relinquere? Falsum verum putant & bonum malum scrupulus omnis abest: non ergo peccant quin si ex gratia omnibus quaqua versum concessa supernaturaliter operentur, vitam quoque promerentur æternam, ut quorumdam opinamenta vel somnia sunt: quæ satis lib. evertimus. Anne saltem ut dicebam consultabimus, num oporteat evangelizare siquidem sine fide, & evangelio justificari possunt: & videndum, quanto facilius & tutius, vel quanto difficilius cum fide, & evangelio justi futuri sint? Et quis precor tunc ista palma mensurabit, aut digitis dimetietur? Relinquenda prophanandaque sane venirent omnia. Passim de fidelibus pronunciant, eos in suis invincibilibus uti existimant, ignorantiis, ne plus peccent, relinquere tutius esse: at eodem modo infidelium & hæreticorum ignorantias invincibiles esse facile pronunciant: si ergo sine fide, & Evangelio justi esse possint Et salvi (si enim justi etiam salvi) relinquantur & cura de fide propugnanda, & orationes, & quidquid in regimine Ecclesiæ maximum est, prætermittantur. Teneamus ergo nos contra & clamemus etiam fortissime, *non est in aliquo alio salus Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri: nam fides est radix omnis justificationis.*

§. IV.

In hac ergo fide prorsus necessaria effringuntur argumenta contra invenibilitatem totius fidei & legis pugnantium.

TOtam nunc fidem totamque legem pro fidelibus eam voco, quam ecclesia sciendam agnoscendamque proponit fidelibus omnibus etiam idiotis,& ignorantibus, modo rationis existant compotes: nec enim ita Theologos agere volumus & rudimenta obliviscamur puerorum supra quę scilicet, & non contra, aut præter illa Theologia fabricat & ubique oportet nos sicut pueros, & parvulos effici ut scire possimus. Præscribitur itaque Christiano & puero cuique, quatuor scire, nosseque teneri omnem Christianum ubi rationis usum assequitur, quid scilicet credere & agere; quid petere & accipere debeat? modusque, & regula ea noscendi designatur.

Nos in superioribus quæstionibus plura postulare, præscripsisseque videmur; nam voluimus omnem prorsus legem naturalem, & divinam ad unumquemque pertinentem, & ubi, & quando pertinet, esse ab eo invenibilem, Dei, utique adjutorio non suo tanti facto ingenio. An etiam invenire teneretur, nihil hactenus constituimus; sed seq. quæst. hanc causam agrediemur. Plura inquam postulasse videtur verum in primis nihil, ut modo advertebam postulavimus: nam de possibili, non de debito tractatum est. Deinde etiam omne postulando nihil postulatemus amplius; nam quod attinet ad agenda, & vitanda, omnibus necessarius esse præscribitur Decalogus cum suis principiis de lectinne Dei & proximi, ostendemus autem lib. seq. in his duobus rite scitis & servatis scire quidquid pertinet ad unumquemque.

Nunc ad argumentum & scopum nostrum universales Dei promissiones sanctorum explicationes fundamenta Theologica: omne genus historiæ & experientiæ ut late ostensum est commonstrat omnem hujusmodi legem, & veritatem esse ab unoquoque invenibilem: nec est promissum de rebus magnis, & non de patvis, aut de facilibus & non de difficibilibus aut ingeniosis promissum est; non vero ineptos præstaret alioqui ineptos esse, ut §. præced. de barbaria disserebam. Sed quidquid adversus istam omnium ad unumquemque pertinentium invenibilitatem quidam moliuntur, instatur manifeste & effringitur in ista fide, quam hac quæst. necessariam demonstravimus omni omnino homini ad suam justificationem & salutem. Ergo frustra ac prorsus inconsiderate ea objiciuntur & moventur, quę omnibus solvenda sint.

Rursus sic: omnibus nisi prorsus à Theologia aberrent accipiendum est quoad istam fidem necessariam, principium illud solemne facienti quod in se est, Deus non denegat hanc cognitionem: ad quod si miraculo opus sit miraculum admittendum est: si rara aliqua providentia indigeatur rara ista providentia admittenda est; si Prædicator ducendus per aerem; si revelandum, revelabitur; si adhibendus Angelus, Angelus adhibebitur. Hoc quoad aliquid omnes firmiter tenere ac velint, nolint deglurire coguntur: nam si des prædicta est necessaria ad justificationem, & salutem at. nulli rationis compoti est impossibilis sua salus, nec proinde sua justificatio: ergo nulli impossibilis ea fides: ergo nulli ininvenibilis.

Hinc adversus paucos eos, qui sine fide justificationem, vel salutem possibilem esse adstruxerunt sapientissime Valentia disp.1. qu.2. punct. 2. inquit secundo fundamentum, quo illi Doctores utuntur infirmum est. Nam primo eadem facilitate posset Deus per se vel per alium supernaturaliter illuminare eum, qui juxta cognitionem, quam haberet, faceret, quod posset; atque posset eum salvare absque alia cognitione: & perinde benignitatem exercere. Hæc valentia, quæ à nullo cordato negari queant. Nunc loco cognitionis fidei ponamus aliquam alicujus juris cognitionem, qua quis careat, & adversarius dicat, eum sine cognitione salvandum; atque hoc ad Dei pietatem pertinere. Sed nos ex Valentia reponamus, qua cum facilitate salvare potest Deus eadem, si habita cognitione recte utatur illuminare ulterius potest modis infinitis omnipotentiæ obviis, & par, quin major etiam esset benignitas. Ergo in primis hoc manifeste elidirur, ac sapienter etiam infringitur in necessitate fidei.

Cætera etiam quæ adversus invenibilitatem totius juris naturalis & divini ad unumquemque pertinentis, & quæ adversus necessarissimam fidem struuntur, atque moventur, ferme communia sunt ex eisdemque locis deprompta.

Movent enim adversus ininvenibilitatem illam rusticitatem ineptitudinemque plurimorum; movent locorum distantias, Doctorum inopiam rerum

rerum sciendarum difficultatem, obstrusa jura; contrarietatem Magistrorum, in qua verum discernere nequeas: & siquæ sunt alia hujusmodi.

Verum hæc ipsa ad verbum moveri possunt, motaque sunt adversus necessariissimam illam fidem, sine qua nulla sit justificatio, salus prorsus nulla. Nam infideles pariter inepti, quin ex educatione saltem magis etiam barbari sunt; locorum distantiæ in immensum longioris Doctorum inopia & ignorantia major: mysteria fidei scienda Deus Trinus, & unus; Jesus Christus Deus, & homo crucifixus obscuriora supra comparationem modumque omnem, & contrarietas de fide, & religione tanta, & major quam contrarietas de jure hoc vel illo.

Hæc ergo cuncta mente complexus quid demum statuis? Anne tot difficultatibus cedas, & asseras, barbaros sine fide justificari posse, aut salvari? Vere enim ut jam multo ante timui, & notavi facile non est, his in rebus aliquas excipere, & dicere ininvenibiles; & in aliarum invenibilitate pedem tuto, firmoque gradu & argumento figere; nam obstacula sunt communia promissiones itidem communes & universales: & sic alia. At plane ineptis, si fidem eam non esse necessariam concesseris ut ostensum est. Est ergo ea necessaria. Ergo in ea tibi solvenda sunt ea, quæ movebantur, omnia, & de viribus gratiæ, Deique magis cogitandum quam de nostris.

Ergu inquis, inveni plurimas multorum jurium ignorantias sine scrupulo; alius sese pollucbat: alii bella movent: exercent alii usuras nihil opinantes, neque dubitantes. Sed & ego inveni Calvinistas & Lutheranos, atque in triremibus non tot, quin Mahometanos sine scrupulo, qui errores suos veritatem ipsam credant. An ergo veram fidem invenire hi nequeant? Possunt utique. Ergo & illi veritatem jurium. De quibus actum est lib. 1.

Hi, ais, in fide errantes, quos memoravimus veræ fidei habent rationem aliquam ex qua quærere eam possint: At multi multa jura ignorantes unde ad quærendum moveantur, nullam notionem, speciemve habent quærere ergo non possunt neque ergo, invenire.

Sed hæc inconsiderata sunt. Nam horum loco Calvinistarum vel Mahometanorum apud nos degentium, in Scytiam te duco ubi nulla sit notio Christi & de his te convenio: atque vel eos sine fide Christi salvare, aut tua te argumenta dissolvere cogo. Valde rursus inconsideratum est, quod dicitur Calvinistas istos, vel Mahometanos habere notionem aliquam veræ fidei ex qua eam quærant, sed qua falsam eam habeant & contemnant magis, quam ex ea persuasione & cognitione ad quærendum moveri possint; nam existimatio falsi impedit magis inquisitionem, utque lib. 1. Ostensum est, longius à vero absunt errantes, quam ignorantes. Postremo quantorum jurium notionem aliquam fideles habent, sciuntque contrarias adesse opiniones, & pugnas: cur ergo non plus inquirunt ac bene videant, & in rebus hujus mundi? Opinionem, ais habent Doctoris vel magni, vel qui sibi magnus sit. Sed hæc contraria sunt. Rursus Genevensibus Calvinus, & Turcis Mahometus magni & maximi videntur, & ut Augustinus lib. 1. exponebat, hæreses non nisi magnæ animæ magnique montes invexerunt. Ostensum præterea fuit lib. 1. hæc argumentorum genera supponere quidpiam in Theologia falsissimum; quod scilicet ea dumtaxat quæri possint quæ directe inquiruntur, & solum directe voluntaria sint: de quo iterum quæst. seq.

Movent etiam contra invenibilitatem veri moralis: quid si quis utens recte cognitione habita & faciens, quod in se est; habens autem aliorum jurium ignorantias, obeat, antequam erudiri possit? Quid si ferro aut veneno eum tollant? Num eo tempore immortalem eum effingamus?

Certum hæc, & similia contra invenibilitatem & necessitatem fidei pridem mota sunt. Moventur autem nimis inconsiderate; nam ut ait Vazquez disp. 120. cap. 4. quod est sane peremptorium, idem argumentum fieri potest de prædestinato, quando est in peccato; aut de reprobo quando est in gratia.

§. V.

Sapientibus ergo antiquis, & posteris admissum fuit illud principium de faciente quod in se est quoad aliquam cognitionem.

HOc principium ex divina providentia, divinisque promissionibus depromptum nobis velut regia clavis videtur qua controversiæ hic omnes expeditæ fiant, & apertæ: nam eo admisso omnia sunt facilia: eo negato omnia redduntur voluntaria, incertaque.

Ut ergo sanctos patres prætercam quorum tot expressa testimonia cumulavi ex Theologis S. Thomas vi hujus principii de enutriro in sylvis & inter lupos eum de necessariis erudiendum non opinandum existimavit, *sed certissime*, inquit, *est tenendum*. Idem resumit in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 1. & alias, Alexandri quoque & Gabrielis testimonium luculentum, & probationem dedimus quæst. 7.

Albertus magnus ea dist. 25. art. 2. testatur pro se atque aliis; nam ait aliud dicunt communiter quod impossibile est, quod aliquis fuerit qui quod in se erat sufficienter ad præparandum se fecerit & revelationem à Deo, vel doctrinam ab hominibus inspiratis, vel signum Mediatoris non acceperit: & puto, quod hoc verum est propter Dei providentiam, &c. Atque eadem via veteres philosophati sunt.

Ex posteris eidem principio innituntur ea disp. 25. qu. 1. nu. 13. Commentatoris scoti Valentia allegato punct. 2. ut supra dictum est rursus etiam agens de enutrito apud barbaros respondeo, air, ad hos, & similes casus, Deum tunc temporis per se, vel per Angelum, aut per hominem illuminaturum, &c. nec id futurum miraculum, quia est quid consequens ad providentiam & legem ordinariam Dei, ut recte, inquit, advertit Durandus.

Vazquez. disp. 120. cap. 4. rem indubitatam habet: primum propositio illa facienti quod in se est intelligenda est, ait, non de faciente ex propriis viribus ut 1. part. disp. 19. cap. 10. ostensum est, sed auxilio gratiæ: sed eo qui sic facit quod in se est, Deus non denegat auxilia majora, & notitiam eorum quæ ad salutem sint necessaria quod probat etiam, ac promovet idem Vazquez

disp.121. cap.2 non verum modo, sed verum omnibus fidelibus notum & creditum existimat extra ipsorum Congregationem salvari neminem: & reducit ad articulum *Credo sanctam Ecclesiam*. Qui certe Theologi in reliquorum specimen sufficerent, ea scilicet de causa hoc de Theologis significasse oportuit ut quidam, qui decem ferme ab hinc annis natam clausamque Theologiam arbitrari videntur, novumque id omne credunt & peregrinum, quod in suo lib. non est nos vexare desinant, quibus non nova inducere, sed antiqua & prima restaurare consilium potius est.

Certe omnis scientia morum sive Philosophica sive Theologica circa actus humanos tota versatur. Quare quod lib.1. etiam animadverti, haud licet loco scientiæ hujusmodi quamdam nescio quam Metaphisicam inducere rationibus quibusdam quasi in abstracto, & in aere totam constantem. Metaphysica quidem illa vera jure utique suo abstrahit à materia prorsus omni sensibili & intelligibili; insaniret autem Mathematicus aut Physicus, si imitari vellet. Multo potero magis in scientia morum si à scripturis Dei & Ecclesiæ, si à doctrina, vitis, gestisque Dei, & sanctorum, & hominum abstrahere velit: quin his, ex locis ministrante, inservienteque ratione totam compingere oporteret, ut inter Gentes Aristoteles exemplo fuit; & nisi expertos, nec discipulos quidem idoneos existimavit: experientia vero, nisi in usum, & scientiam ipsam convertatur frustra est, & quemadmodum si citharizares architectus.

Nunc porro in eo puncto versamur, quid gloriosus Deus facturus cum eo esset, qui agens, quod est in se, fidem tamen suam, & alia ad se pertinentia ignoraret? Historias multas congessi quæst. 7. sed vero miramur, quod in his quidam tantopere obiterentur. Legimus namque quotidie in libris spiritualibus ac in vitis servorum Dei non tot, quin pluresexperientias taræ hujus ac extraordinariæ providentiæ Dei non modo in pertinentibus ad animam, sed ad victum etiam, vel ad iter. Nos autem in Theologia, non de alio Deo disserimus quam de ip o isto, de quo in libris spiritualibus vitisque servorum suorum tam multa, tam mira leguntur, & tunc etiam creduntur; quæ proinde non ibi relinquenda sint, nec in Theologia quasi non essent statuenda.

His diebus quæ qualiaque Athanasius, Hyeronimusque scribunt de Paulo eremita? sexaginta integris annis corvus, unde vivere posset, dimidium ei panem quotidie detulit: adveniente Antonio annonam Christus duplicavit: iter faciente Antonio monstra ipsa eum dirigunt: Paulum sepulturo leones inserviunt. Hic Deus est, his etiam diebus erga Felicem Nolanum rum ut vivere in latebris posset, tum ut subtrahi periculo qualem providentiam & miramur, & amamus, credimusque. Ubi circa probabilia obiter annotaveris uno teste Autonio ecclesiam in sanctorum numero habere paulum; centum alias testibus nihil eam moveri: adeo momentum omne est qui probent verique existant. Qui vero Dei erga homines minutum, exactam, præsentissimam singulis, & omnibus providentiam tepide nimis atque dormientium adinstar credere videntur, libr s. quib. is excitentur Chrysostomi de Bovid. ad Stagirium legant: in præfatione vero ad epist. Pauli: *quapropter si & vos quoque lectioni diligenter attendere volueritis, nihil amplius erit vobis requirendum: verax est enim Christi sermo dicentis, quærite & invenietis: item testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis.* Est ergo hoc Dei testimonium, hæc promissio. Toto rursus lib.4. constabit, quo pacto universa lex Dei sit invenibilis saltem à Christianis.

QUÆST. X.

Quid ergo veteres & posteri Theologi censuerint de ignorantiis vincibilibus fidei, ac juris naturalis, & divini?

HActenus constitutum est, quid invenire possimus: jam dicendum est quid etiam invenire nosseque teneamur. Theologorum nimirum, opinor omnium ea est sententia, ut ignorantiam vincibilem quæque à peccato non excuset definiant negationem scientiæ & cognitionis quam tenemur habere; vel ut ad consiliorum etiam ignorantiam sermonem protendamus, quam oporeet habere. Quare etsi constitutum fuerit, nos adjutorio Dei jam promisso invenire posse, omne verum juris naturalis, & divini, non continuo efficitur ejus ignorantiam esse eo sensu vincibilem, quo hac voce Theologi utuntur pro ignorantia non excusante saltem ex toto: & plura scire possumus, quam teneamur, & quæ ignorare crimen sit. Cogimur autem de Theologorum hic sententiis signate tractate propter quosdam, qui omnem aliam præterquam sui ævi, vel etiam domus Theologiam taxant & ipsi interea nova & mira impune vulgant.

§. I.

Nihil hic cum Jansenio vel Jansenistis.

NIhil inquam ei saltem parti, quæ ignorantias invincibiles diffitentur: de Jansenistis autem formalis est sermo; nam de cætero ipsi illi homines, qui Jansenistæ re ipsa sunt etiam Deum Trinum, & unum fatentur; quod non ideo ut Jansenistas caveamus est à nobis diffitendum sic etiam ipsi illi homines alia vera tenere potuerunt in doctrina morum.

In præsentia vero pars illa, quæ ignorantias invincibiles rerum plurimarum diffitetur, prorsus ignoraretur, ut superius etiam dictum est notari de Jansenismo posset. Nam omnium in primis orthodoxorum Theologorum, sive admittentium sive negantium eas ignorantias invincibiles constans, & perpetua sententia est ignorantiam invincibilem excusare à culpa ex toto invincibilem autem, vel vincibilem non in Adamo, sed nobis in nobis intelligunt. Contrarium ineptire placuit Jansenistis, sed hoc, ut patet neutrius partium crimen est.

Jansenismus proinde non est, non posse dari ignorantias dicto modo invincibiles, vel fidei, vel juris naturalis: quin admittunt plurimas in quo magis cum parte altera consentiant. Differunt tamen, quia hi eas excusare; Jansenistæ non excusare tutantur.

Nihilominus quod part. 1. & etiam lib. 1. animadverti, infirmio e n quam par esset reddunt causam

causam orthodoxorum. Etenim Jansenista producit ex scripturis ignorantias plurimas ut ex levit. ad Rom. 1. &c. & eas, ait, esse invenibiles. Tu hocei fateris. Mox subsumit, eas tamen non excusare: & te scripturarum, sanctorumque authoritatibus obruit ut satis ex lib. 1. accipitur. Exempli causa ait ignorantiam esse invincibilem; quoties actu nullus subest mali scrupulus: magis autem quando malum existimatur bonum arbitratur quis se obsequium præstare Deo. Et tu hoc concedis, subsumit, ita existimaotem nihilominus non excusari: & habet pro se evangelium, babet sanctos opinor, omnes qui de eo scripserunt. Concludit: ergo ignorantia invincibilis non excusat. Rationem ioquis, habeo; & sanctos interpretabor; id est detorquebis, & rideberis.

Præteres qui Ignorantias invincibiles præceptorum Dei eo saltem sensu ponunt, ut ea velint esse ininvenibilia nimis declinant in impossibilitatem Jansenianam præceptorum ut qu. 5. commonstratum est.

Hæc cum ita sint, adeo tamen confusa omnia videntur, ut quidam, qui Jansenium, aut hæc dogmata nihil forte oorint, si audiant minus probabulia sequi minime licere Jansenismum mox occlament; & iterum Jansenismum etiam objiciant, si audiant juris naturalis aut divini nullam esse ignorantiam invincibilem: qua sic facta accusatione & voce multos sibi concilliant & odium contrariis conflant. Haud pridem quidam amicus meus vir egregius & quem inter paucos colo, Jansenista si superius placet audiit, quia Dei ignorantiam invincibilem dimissus est.

§. II.

Præmittendum est in discordia veteres Theologos posteris præhabendos esse in doctrina fidei, & morum.

LOquor quando ecclesiæ authoritate, vel lege alia, vel consuetudine nihil objecta commutata sunt, & in vi doctrinæ procedendo. Hoc porro, quod præscripsi licet posteris Theologis; maxime vero Recentioribus odiosum videatur non ita est: nam nisi brevi finiendus sit mundus recentiores & præsentes diutius veteres erunt, & antiqui quam novi. Timendum vero, ne qua mensura nos nobis priores meosi fuerimus eadem nos remetiantur etiam posteri adeo non veterum modo, sed præsentium quoque caosam agimus. Quoniam vero prolaturi sumus dissidentes sane sententias priscorum & sequentium Theologorum: oos autem plerumque ad antiqua propendemos, hic ut in seqnentibus non tam facile notemur præmittendum fuit in discordia præhabendos veteres in doctrina fidei & morum modo explicato: cæterum quippe artium alia omnino est ratio.

Neque vero eo imus ut antiquos, recentioresque Theologos aut in ingenii magnitudine, doctrina ve methodo & copia: aut io Aristotelis modique sciendi cognitione, aut in scriprurarum, sanctorumque usu conferamus; odiosa sunt hæc nimis & à nobis prætereunda, ex quo itaque offendi nemo possit, collatio est instituendo.

Certum est, atque exploratum, nostra solum cooſiderata natura nostrisque ingenijs, & viribus, nihil magis repugnare, omnes illos, qui ecclesiæ & in ecclesia Magistri sunt & docent, omnes, inquam simul errate fallique & fallere in fidei morumque doctrina, quam repugnarit errare, fallique & fallere gentium Philosophos aut omnes Arianos aut alios maxime parisque multitudinis hæreticorum Magistros. Quo ergo & unde Magistri ecclesiæ præstant totum ex Dei ergà ecclesiam suam fidelesque providentia curaque promissa desumendom est. Inde est quod ecclesia, inde quod Doctores, Magistrique ecclesiæ simul errate nequeant in fidei morumque doctrina. Adeo omnibus necesse est his divinis promissionibus providentiæque his in causis inhærere, ne cuocta vel singulorum vel omnium pessum eant. Habet ergo Dei ecclesia hoc privilegium ex Dei utique munere, non ut Doctores sortiatur qui ab ingeniorum magnitudine, sed qui à Dei providentia, & gratia omnes una errare ac deficere infatuarique nequeant: aliqoi saoe possunt, plurimi etiam possunt ut ex Paulo constat: omnes non possunt & Timotheus aliquis, at aliqui supersunt supereruntque semper, qui arguan, obsecrent, increpent in omni patientia, & doctrina increpatio enim sine doctrina, aut doctrina sine patientia impar est.

Ex hoc principio accipitur, veteres Theologos posteris præhabendos esse in fidei morumque doctrina & difficilius esse aut impossibilius erravisse omnes priores, quam omnes sequentes. Ratio quam etiam part. 1. lib. 2. significavi videatur aperta, nam impossibile, vel impossibilius est omnes ecclesiæ & in ecclesia Magistros errare, quam aliquos, vel quam etiam plurimos. At veteres sua ætate non sunt omnes; nam veteres etiam modo in ecclesia docent scriptis sois & libris; posteri autem non docebant olim magis quam nonc doceant futuri. Erant ergo olim posteri quasi non essent; nunc autem veteres omnes non sunt; quasi non fuerint, & modo etiam sunt ecclesiæ Doctores Sancti Apostoli: item Augustinus Hyerooimus; Chrysostomus Thomas, & suo modo etiam docent nunc cæteri prisci Theologi. Quare dato per impossibile, quod omnes nunc viventes, qui Magisterium exercent, errarent ecclesia nihilominus & fideles discere ex prioribus possent, & priscis errantibus ecclesia tunc, & fideles ex posteris qui futuri erant, & nondum erant, institui non poterant. Ergo impossibile, vel impossibilius est, erravisse veteres. Ergo præferendi sunt.

Hæc cum non prorsus caperet amicus quidam, rem exemplo declaravi, quod tum rei manifestandæ, tum scopo etiam nostro præcipuo inserviet legetamus paulu ante, ego quidem plura uterque vero aliqua in insigni viro Joanne Taulero in vulgarem sermonem converso ex cap. 10. viæ ejus in quo concio quædam ad populum habetur. Dicit autem multa nude & aperte vir Dei de statibus omnibus de confessoribus vero, atque concionatoribus eaque prudentia quæ ex Deo est magis quam prudentiæ sæculi congruerent: De plerisque itaque, nec de raro aliquo confessore disserens tradit nude ut Deo promiserat, & aperte, quo pacto & libenter divitum, ac Principum confessiones noo ita miserorum excipiant; & subtilibus mox glosis & argumentis dicant nihil eorum vitam scriptoris Dei repugnare quod falso sane dicitur; quia nuspiam ait in

scriptura

scriptura habetur superbiam avaritiam luxuriam, ac similia permittenda esse. Ex quo deducit & confessores similes ac pœnitentes, nisi resipiscant damnari. Hæc in summa vir Dei.

Hoc ergo exemplo rem amico declaravi. Ecce his contraria multi nunc docent superbiam, avaritiam vix peccata existimant, & in praxi raro vel numquam mortalia. Id insuper multi arbitrantur se suos confessores & Theologos auscultando, & sequendo damnari non posse; & tantumdem etiam confessores de se ipsis sæpe præsumunt Dixi: Taulerus olim fuit; hic tamen ejus libet superest & nunc etiam docet & sicut nos nuper ita alii legere eum possunt: sic etiam in libris suis vivunt supersuntque summi alii viri obvii qui legantur; quos etiam memoravi.

Hoc proinde argumento efficitur veteres sub his terminis, & quando omnium vel fere omnium ad omnes, vel fere omnes est collatio, ut in causa præsenti de ignorantiis videtur eos anteferendos esse. Eodem porro jure veteres illi priores alios anteferendos habuere usque ad doctrinæ originem, & principium caputque qui in Ecclesia est Christus Jesus idemque olim apertiens ora Prophetarum, quæ apertius denuo lib. seq. constabunt ubi tractandum erit, & statuendum, doctrinam morum perpetuam fuisse, semper in ecclesia viguisse, nec defuisse magis quam fidem; & quo pacto utraque crescere nec prorsus alia fieri potuerit, aut debuerit ut Hugo de S. Victore de fide subtili oratione prosequutus est.

Ex his itaque illud discuti posset unum Deus promiserit atque ex Dei providentia certum sit, omnes privatos Doctores alicujus unius ætatis aut paucorum saltem v. g. decem aut viginti annorum errare non posse dum dogma omnium simul de infallibilitate priores etiam involuat compendatque; quod sane cum ab aliis sub hac distinctione & terminis determinatum non invenerim omittere consultius arbitratus sum. Certe Dei ecclesia magis indiget Pastore universali; certoque judice controversiarum fidei & morum, qui est Romanus Pontifex & tamen peccatis utique nostris cogentibus (absit à verbo calumnia) præmisit Deus schismata, & navim Ecclesiæ aliquandiu sine certo Romano Pontifice jactari ita ut Mergi etiam videretur; sed exurgens Christus imperat mari, & ventis & efficitur tranquillitas magna. Videbunt ergo sapientiores an in hunc modum ob magnitudinem sane peccatorum nostrorum deserere aliquandiu possit Deus privatos Magistros, quin fatuentur & evanescant & corruptum populum magis etiam præcipitent obcæcentque. Loquor vero de exercentibus magisterium; nam de cætero compertum habeo superesse semper in Ecclesia servos Dei qui norint, sequanturque viam salutis.

Duo sunt quæ hæc circa certius sciam, ac præscribere possim primum, illud Doctorum in numero conscribendos esse ac numerandos Authores librorum spiritualium; hi nimirum pnefse Theol gi mihi sunt, qui viam Dei & salutis ex scriptoris Dei sanctorumque demonstrant, si Theologiæ definitio retinenda est, & Theologus is habendus, qui est: quos inter recensendi etiam sint proculdubio viri quidam spirituales, qui libros nullos edunt. Alterum quod ex sup. lib. con[illegible] tarium est & ibi etiam statutum, illud est, ab hoc doctorum, & Theologorum, alvo & numero delendos eos esse, qui raro vel nullo scripturarum, conciliorum, sanctorum testimonio doctrinaque utuntur quare horum citatione apud intelligentes nihil obtinebitur, ut satis super lib. ostensum fuit.

His aperte quidem, sed Christiane credo, vereque præmissis & præscriptis, Theologorum nunc præcipuorum suo vel communi etiam aliorum nomine contestantium sententias audiamus, nec præsentes Theologi ægre ferent, si sibi repugnetur, si constiterit, ipsos quod minus oportuerat, repugnavisse prioribus: & qui primus vel qui primi antiquis dissentire cœperunt antiquiores alios secuti non sunt: qui autem modo præsentibus contradiceret, veteres habet, quos sequatur; nec innovat, sed restituit.

§. III.

Theologorum sententia de ignorantiis circa fidem.

IN quatuor velut membra distribui possunt, ignorantiæ de quibus agimus. Primum de ignorantiis fidei infidelium, & quorumcumque extra ecclesiam existentium. Secundum de ignorantiis fidelium circa ea quæ nosse, credereque saltem ex præcepto tenentur, ut Deum Trinum, & unum, Deum hominem factum & cætera quæ in simbolo utroque & Apostolorum & Niceno continentur.

Tertium est de ignorantiis juris naturalis quod etiam divinum est, postremum de ignorantiis juris positivi divini, ut de Baptismo, quod etiam in simbolo continetur & de aliis sacramentis ad omnes vel ad unumquemque pertinentibus: de obediendo Romano Pontifici atque de aliis quàm plurimis.

QUÆSTIO XI.

Quid ergo Theologis visum sit de ignorantiis vincibilibus & invincibilibus fidei, & juris naturalis, & positivi divini?

HActenùs de possibilitate inveniendi veritatem moralem, & quid invenite possimus, disputatum est, jam est dicendum, quid etiam invenire, sciteque teneamur. Quamquàm enim ex rigore vocis ignorantia vincibilis, & invincibilis solam possibilitatem præseferant, quasi ignorantiæ vincibilis sit, quæ rem ignotatam cognoscendo vinci possit invincibilis, quæ non possit, Theologi tamen non hoc sensu his vocibus usi sunt, sed per ignorantiam vincibilem intellexerunt ignorantiam rei, quam possemus, & teneremur scite; vel ut ad consilia etiam sermonem extendimus, ignorantem rei, quam possemus, ac etiam oporteret scire: per ignorantiam verò invincibilem significarunt ignorantiam rei, quam quam ant non possemus scire, aut saltem non teneremur. Hinc altera negatio, privatio altera est; una culpabilis, alia secùs; altera excusans à toto, altera saltem non à toto, ut lib. 1. explicatum est. Quapropter ex his, quæ hactenùs hoc libro, ubi quid possimus, disputatum est, non habetur, quæ, & quarum rerum ignorantiæ sint vinci-

vincibiles, vel invincibiles. Quoniam verò experti quosdam sumus, qui ævo suo, paucisque libris recentioribus universam Theologiam claudunt, & quod in eo, vel in eis, vel in schola sua non audiunt, mox aut novum, aut antiquatum, aut paradoxum censent, & taxare etiam non erubescunt oportuit, hac quæstione de sensu Theologorum dicere.

§. I.

Ignoranter in primis huc Jansenius, Bajusve obtruditur.

Ei parti, quæ ignorantias invincibiles fidei, juris naturalis, & positivi divini vel omnes, vel ferè omnes diffitetur; indè moderni quidam odium apud multitudinem conflant, quod eos negare Jansenismus sit vel Bajanismus. Hoc autem, opinor, dicunt per ignorantiam; nam alioqui à gravi calumnia excusari non possent; & pariter objicere Arianismum, aut quidvis aliud possent.

Jansenius itaque non dixit, non dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, vel partis ejus; sed potiùs cum Moderni ipsis hoc objicientibus admisit ignorantiam invincibilem; & in eo à tota Theologia deflexit, quod eam nihilominùs non voluerit excusare, recurrendo semper ad peccatum Adæ, propter quod non excusaret. Rursùs juris positivi divini non negavit, sed cum Modernis his oppugnatoribus admisit ignorantiam invincibilem, quæ etiam excusaret: & prætereà juris quoque humani, & factorum cum omnibus Theologis. Atque hæc publica sunt, notoria in quocumque libro de causa Janseniana tractante. Quorsum ergo obtrudere audent Jansenianum esse negare ignorantiam invincibilem vel fidei, vel juris naturalis, vel positivi divini.

Rursùs, quod lib. 1. notavi, hæc facillima admissio ignorantiarum invincibilium valde juvat partem Jansenianam. Etenim Moderni largiuntur ei non tot, quin plures ignorantias invincibiles etiam pertinentes ad jus naturæ. Mox facilè Jansenistæ omni authoritate, qui in his causis arguendi ferè locus omnis est, evincet, eas non excusare; & falsa majori ultrò concessa, aptè errorem suum concludit. Sed de his satis actum est lib. 1.

Impingunt etiam semper, & impingent in puncto libertatis, & omnem ex quacumque suppositione necessitatem, vel impotentiam Jansenismum, Bajanismumve arbitranter & summis Theologis inventi sunt, & eos, quod cavendum erat, Jansenio, Bajoque concedunt, concedereve cogunrur. Et hæc, si superis placet, obloquuntur; cum nihil sit notius, nihil magis scitum, quam Jansenium, Bajumque naturæ lapsæ negasse libertatem indifferentiæ; quæ tamen necessitas nihil impedit peccata nostra; quia & necessitas ex suppositione peccati Adæ, & nostri illius: sicque libertatem nostram explicant per libertatem illam, quam peccando amisimus: & hic, ut omnes sciunt, est nidus totius Jansenismi, & Bajanismi. Quod porrò hoc, quod contra catholicos omnes est, nesciant dicti Moderni impugnare, nisi involvendo, & impugnando doctrinas magnorum Doctorum inscitia sua est, & dedecus, & causæ catholicæ præjudicium.

§. II.

Constituendum est deindè in doctrina fidei, & morum in discordia præferendos esse posteris priores Theologos.

Quoniam in hac, & aliis plerumque controversiis ad priores, & antiquiores inclinamus, e re nostra est hoc, de quo etiam part. 1. tractavi, hic præstituere. Loquor autem de prælatione, & processu in vi doctrinę, quando authoritate ecclesiæ, vel alia lege nihil objecta ipsa commutata sunt, nihil derogatum, aut declaratum, nihilque detractum.

Quamquàm verò odiosus videri possim posteris, præsentibusve Theologis, non ita est; nam nisi brevi finiendus sit mundus, posteriores, præsentesque Theologi diutius antiqui erunt, quam Recentiores, & præsentes; & quo jure priores posteris antefero, eodem planè posteriores, ac præsentes futuris, venturisque præpono. Plus proindè posteris, ac præsentibus defero, quam detraho. E contra qui noviores exaltant, ac veteres posthabent, venturis Theologis mensuram tribuunt remetiendi, & docent modum se præsentibus omnibus, ac præteritis anteferendi. Tractamus verò de doctrina fidei, & morum; non de arte bombardarum, & similibus; id est tractamus de Theologia, & de Theologis, & in gravissima longè causa puerilia omittant.

Solent aliqui nimis odiosè rem istam tractare: barbariores imaginantur antiquos, pinguiores, & nescio quomodò etiam rudiores; posteras verò cultiores, & delicatiores. Sed in eo maxime pedem figunt, quod Recentiores, & noviores videnrint & ea, quæ veteres viderunt; ac multa prætereà alia acutissima de novo excogitata. Cæteris autem non valdè imparibus jure merito anteferuntur, qui plus viderunt. Et ita sanè est, si factum verificarent, & fortius aliud non obstaret. Nos itaque in genere nihil loquimur: libri ipsi experti loquuntur; cæteris quasi somnia loquerentur. Non ingenia, non doctrinæ copiam, dictionis concessionem, scripturarum, sanctorumque, doctrinæ peritiam, & usum, loquor, neque contero, qui quibus emineant.

Unicè ergo præscriptionem probo ex promissionibus, providentiaque, Dei erga suam ecclesiam, qua eam ab omni errore in fide, & doctrina morum infallibiliter custodit, & servat. Hoc ablato, nihil repugnaret, veterum, aut noviorum Theologorum quantacumque ingenia, & quantamcumque multitudinem non solùm errare, sed etiam delyrare; quemadmodum tot sæculis universus pænè orbis cum sapientibus suis acutissimis sanè ingeniis & erravit, & delyravit; & sicut etiam post nationes etiam christianæ, & politiores hæresibus desipuerunt. Adeò in viribus solùm nostris & ingenio, vel labore, vel robore, multitudineve nullum est momentum: indefectibilitas proinde omnis, & prærogativa ab ea Dei speciali erga ecclesiam providentia resumenda est, & idcirco Magistros, Doctoresque in ecclesia omnes repugnat errare, quia ecclesiam errare repugnat; quod cum communiter ita tradatur, & constituatur, ulteriùs hoc loco probandum non est.

Superest verò sciendum, qui sint hi omnes, quos

quos errare repugnat, an omnes uniuscujusque ætatis decem, vel viginti annorum, an omnes unius sæculi, an omnes præsentes Theologiæ Magistri? num omnes, qui libros edunt? nam sub omnibus comprehendendi etiam sint Authores librorum spiritualium, quin etiam qui non libris, sed verbo docent? an etiam huc revocandi sint concionatores evangelici, maximè verò Missionarii Apostolici? an demùm nomine omnium non modò præsentes Magistri sed præteriti quoque, qui operibus nos suis nunc docent, includendi sint? Nullibi invenio hæc omnia sic distinctè determinata: certe id determinare supra vires meas est, & scientiam.

In genere ergo dicitur repugnare omnea in fidei, morumque doctrina. De eisdem itaque omnibus loquendo constituimus, magia repugnare priores errare, quam sequentes, ideoque in discordia illos esse præhabendos. De modo inveniendi fidei, ac morum veram doctrinam ad originem suam eam censendo, & reducendo, erit nobis fusior disputatio lib sequenti. Nunc breviſſimè probatur, quod constituimus.

Etenim magis repugnat, omnes errare, quam aliquos, aut partem, ubi specialis aliqua providentia parti promiſſa non est (quod cavemus propter adversarios sedis Apostolicæ) sed si priores errassent, omnes errassent; si sequentes, & posteri errent, non omnes errant. Magis ergo repugnat, priores errasse, quam posteros. Cætera clara sunt. Minorem sic probo; nam veteres, & priores illi Doctores nunc etiam docent; nam ut antiquiores prætercam, nunc docent Thomas, & Bonaventura; quibus etiam Ecclesia ipsa Magistra dicimus, quos, vel *quem Doctorem vita habuimus in terris*: nunc similiter docent Theresia virgo, Avila, Puente; & sic alii: ergo hi pars sunt nunc etiam decentium salutis viam: ergo etiam si vivi nunc omnes Magistri errarent (quod non concedo, sed explicationis gratia transmitto) non tamen omnes errarent, fideleſque ex libris, & alii ex aliis institui poſſent. Sed verò si erravissent priores, erravissent omnes; quia posteri, deincepsque secuturi Doctores priorum tempore non erant pars docentium neque verbo, neque libro, magis quam nunc pars fiot, aut doceaot futuri, quos ignoramus, quinam futuri sint, & quoad hoc sunt quasi non entia. Ergo si priores erravissent, omnes erravissent, secùs verò, si sequeotes.

Hinc omnis veritatis indagator sive ecclesia, sive Romanus Pontifex cum concilio, aut absque concilio; Theologiæ Professores, sive alii quilibet haud putant, solùm vivos, ac præsentes, præteritosque simul evolvunt, & auscultant. Quod supervacancum videretur, si præsentibus neceſſariò alligata esset veritas. Quidquid verò de hoc sit, illud constat, pro omni inquirente veritatem sub omnibus Doctoribus comprehendi etiam priores; nec præsentes esse omnes, sed partem ergo magis ex genere suo repugnat falli priores, quam sequentes. Non itaque causam ad vetustatem quasi vi temporis, annorumque, ut quidam docere videntur, revocamus; tempus enim, & anni in discentibus ut proficiant, sapientesque fiant ad rem faciunt; in mortuis vero ad rem non faciunt, quasi qui magni non fuerunt, ex vetustate, & ætatis velut canitie magni fiant. Hæc, & similia, quæ utroque dici solent, nihil probant. Causam proindè universam non ad annos, sed ad indefectibilitatem ecclesiæ; & hanc rursùs ad Dei promiſſiones, providentiam, aſſistentiamque deducimus: de cætero quippè vetustiores sunt Philosophi Gentium, quam Doctores ecclesiæ.

Unde quorumdam quidem cogitationes non satis intelligimus; qui est uns parte veterum opiniones facilè derelinquunt, easqus antiquatas, vel etiam improbabiles à se reddita jactant: aliundè verò si ipsi tangantur, vix non credunt ecclesiam ipsam quati, & notant, & taxant, quasi veteres evertere nihil sit; ipsis verò repugnare crimen: & ecclesia falli modò non poſſit; olim potuerit. Hæc non ita sunt, & faciliùs est ipsos falli, quam priores, ut est ostensum: & quo jure ipsi ab antiquis defecerunt, eodem, ac meliori ab ipsis ad veteres redire licet, & antiquatum nihil significat, nisi jure, antiquatum ostendatur. Nec refert major numerus Authorum: nam veteres pauciores omnes fuerunt; sequentes verò etiam plures non omnes, sed pars sunt: & deindè plures verè Theologi non sunt, ut ex lib. præc. constat; & postremò quod sæpe notavimus, multi Theologiæ morali prorsùs impares, quique vel in logicam scribere non auderent, sese moralis Theologiæ Doctores constituerunt: quorum proindè numerus nihil ponit in esse. De cætero via illa universaliſſima omnes conscientias per probabile regendi apud veteres ignota fuit, & visum est. quanto jure excogitata fuerit. Universaliſſima etiam illa via peccata tollendi ubicumque remorsus abesset, apud priores non extat, sed contrarium: & visum est, quam verè indocta sit; & sic in aliis. Hoc itaque Recentiores benè credamus, neceſſe est, nullo nos præantiquioribus privilegio esse quæ nunc ceperit esse, aut nunc primùm infallibilis effecta sit. Quare si modò quidlibet defendere licet cum Diana, Barbosa, Bonscina, vel tambutino, hoc ego, fateor, vix ferre poſſum, neque intelligo, ut ad impunitatem vel doctrinæ, vel libri magna illa nomina Thomss, Bonsventura, Gulielmus, Hugo de Sancto Victore non sufficiant, & Recentiunculos quisque sufficiat. Ad quod jus, ad quam rationem, vel rationis umbram, revocari hoc potest nisi ad injuriam temporum, multitudinisque Principatum? cum hoc firmiſſimè tenendum sit, ecclesiam non magis olim, quam modò, falli potuiſſe.

§. III.

His ergo præfixis, refertur communis sensus Theologorum posteriorum de ignorantia invincibilibus fidei, & juris naturalis, & positivi divini.

In quinque quasi partes universa hæc causa, & quæstio dividi potest. Primò itaque quæri potest de ignorantia fidei eorum, qui non audierunt, ut aliquorum gentilium distantiſſimorum. Secundò de ignorantia eorum, qui audier int quidem, sed ineptiſſimi, rusticiſſimique sunt, ut populus fermè totus hæreticorum, Mahometanorum, & Judæorum Tertiò de ignorantiis non totius fidei, sed articulorum aliquorum, quos credendos sancta ecclesia universis fidelibus proponit, ac præscribit, respectu fidelium simpli-

eium, qui aut propter simplicitatem, aut decepti ab aliquo credunt, vel quatuor esse personas Trinitatis, vel in Christo esse unam solùm naturam, vel esse duas personas, & non unam, vel in sacramento altaris superesse panem, & vinum, & similia. Quarto de ignorantia juris naturalia, & partium ad illud pertinentium. Quintò de ignorantia juris positivi divini, & cessationis legalium, necessitatis baptismi, pœnitentiæ, &c. & si hæc etiam ad fidem pertineant De jure porrò humano, & de factis vix ulla est discordia. De his itaque quinque velut generibus, seu modis ignorantiarum, verum vincibiles, vel invincibiles sint, causa tota est.

Jam ignorantia eorum, qui non audierunt, communis sensus Theologorum posteriorum est, post promulgationem etiam olim factam evangelii extitisse, vel etiã existere nationes, aut homines, qui non audierunt; & eorum ignorantiam esse invincibilem Omnes eadem ad verbum afferunt ad hoc ostendendum. Arguunt ex illo Joannis, *si non venissem, & locutus eis fuissem*, &c. qui tamen locus, ut qu. seq. videbimus, parum probat Afferunt deinde tria testimonia Augustini. Sed alterum nõ est Augustini; in altero loco contrarium docet, in altero rem indecisam inscurabili Dei judicio relinquit, ut qu. seq. constabit; quod certè ostendit, hujus partis Authores nimis celeriter alios, post alios invenisse. Afferunt etiam autoritatem mihi sanè magnam S. Thomę Postremò arguunt, quia qui non audierunt, certa, & determinata intentione quærere fidem non possunt. Sed hoc contritum est lib. 2. & ostensum, hanc inquisitionem ex certa intentione non esse omnium voluntariè ignorantium, sed solùm ignorantium directè voluntariò: inconcussum autem Theologorum omnium dogma est, voluntarium indirectum sufficere ad vincibilitatem ignorantiæ. Atque de his dicetur qu. seq. & pars hæc prætermisit ea, quæ hoc libro adducta sunt, & quæ adducentur qu. seq. & ut fatear ingenuè, præter authoritatem gravium adeò Theologorum nihil roboris pro hac sententia reperire potui.

Jam non hi graves Theologi, sed recentiores quidam assumunt illud suum omnium quæstionum moralium principium de salvandis pluribus, quasi admissa ignorantia invincibili fidei, non solùm in hoc non peccent, sed salvari etiam possint plurimi infideles, & hæretici per actum amoris Dei super omnia. Verùm hoc, ut ex qu. sup. constat, est ut minimum erroneum.

In secundo articulo de ignorantia eorum, qui audierunt quidem, sed ineptissimi sunt, ut est multitudo simplicium, & idiotarum hæreticorum, & similium, plerique omnes censent, eam esse invincibilem. Et vix aliud fundamentũ afferunt, quam eorum idiotismum, & ineptitudinem, & non remorsum. Quod si opponas, ecclesiam matrem, Magistramq; nostram non ita judicare; quia hos ipsos ineptissimos hæreticos, siquandò convertuntur, antequàm eos ad gremium suum recipiat, prius ab excommunicatione absolvit; ubi autem culpa non est, nec excommunicatio locũ habet. Respondent, sanctam ecclesiam procedere in foro exteriori, non interiori. Est sanè ista distinctio qua plurima confunduntur, valdè mirabilis. Dictũ est de ea par. 1. li. 4. & ex omnium Theologorum consensu constitutum, concordare utrumq; forum, quoties interiori aliquid non constat, quod in exteriori probari nequ at: hęc porrò ineptitudo, rusticitasq; populorũ, qua una invincibilitas ignorantiarum statuitur, notissima est ecclesiæ; neque tamen inde præsumit invincibilitatem. Ergo vel ipsa, quod dicere nefas est, errat, vel ab his Theologis res hęc non satis examinata est. Deinde ille non remorsus eversus est li. 1. & item ostensum, simpliciores etiam, & ineptos mactari, & perdi per hæresea à venientib. in vestimentis ovium, intrinsecùs verò lupis rapacibus: atque hanc fuisse persuasionem ecclesiæ, consiliorumq; omnium: & multa in eo libro ostensa sunt.

Ex his in tertio puncto gradum faciunt ad fideles simpliciores, & ignorantes: atque in his multi admittunt ignorantias invincibiles mysteriorum, quorum fides necessitate medii, vel necessitate præcepti est necessaria ad salutem, si propter ignorantiam suam, vel ab aliquo maximè verò à Parocho suo decepti credant, vel personas Trinitatis esse quatuor v. gr. Patrem, & Filium, & spiratorem, & Spiritum sanctum, quemadmodùm quatuor sunt relationes; vel in Salvatore nostro esse duas personas, vel Beatissimam Virginem non permansisse Virginem post partum, sed alios filios Domini fratres genuisse; vel panem, siquidem non annihilatur, superesse in Eucharistia. De his, inquam, aliqui Recentiores facilè, & vix non ludendo ponunt ignorantias invincibiles. Et processus suus, seriesq; doctrinæ eò deducit, primò propter eum remorsum, murmurque conscientiæ, quod ad omne peccarum requirunt; & deindè quia, licet nullus Author gravis id tradiderit, sed contrarium omnes etiam Probabilistę asseverantissimè docuerint, jam tamen paucis abhinc annis excrevit imperiũ Probabilium, & re vera, & praxi Parochum quemque etiam indoctissimum constituunt regulam indefectibilem fidei, & morum, i. e. quem sequendo oves suas peccare repugnet. Sed hæc novissima, & miseranda satis utroq; lib. superiori, & par. 1. eversa sunt.

Pro ista simplicium impunitate adducere solent eorum in primis ineptitudinem. Sed hoc à fortiori instatur in populis hæreticorum, & dicta sunt multa hoc libro. Rursus dicent, eos credere articulum sanctæ ecclesiæ catholicæ; in quo universaliter credunt; quidquid ipsa credit; ac proindè nõ peccant credendo aliqua ei contraria in particulari. Verum hoc dictum est li. 1. & trium summorum Pontificum Innocentii, Siricii Celestini in reliquorum specimen adductis testimoniis commonstravimus, indoctos ignorantesq; à Nestorianis, Pelagianisq; intra ipsam etiam ecclesiam deceptos non fuisse à peccato immunes, sed peccavisse Quare opinio ista, vel existimatio probationib. suis magis se reddit de inconsideratione suspectã; & ut patet ex insinuatis in 2. art. est contra perpetuam solicitudinem, & curam pastoralem ecclesię, & pastorum omnium, ut lib. 1. satis ostensum est; & cura illa omnis eò referebatur, nequis oves deciperet, & decipiendo mactaret, & perderet.

Eunt etiam ad mare magnum peccata tollendi: quod lib præc. destructum est, & sæpe alias: & dicimus, hac intentione scribere, seu hoc facere peius esse, quam occidere, & mæchari. Credunt etiam, hoc esse magis pium. Sed falluntur maximè; nam si hæ ignorantiæ re vera invincibiles sunt, nobis contrarium opinantibus vincibiles, noxiæque non redduntur, & nemo damnabitur. Sin verò vincibiles essent, quantocumque numero contrarium dicente invincibiles non fiunt; aliundè autem id dicendo populos reddunt negligentiores, peccataque minùs sana-

bilia. His nos quoque reddere animas nimium folicitas, & timidas. Verum fcriptum in primis eft beatus vir, qui femper eft pavidus; item qui timet Dominum; item cum timore, & tremore falutem operandam, & folum lætandum in Domino, & hoc genus alia fine fine. Hunc ex evangelio fructum fancti una omnes collegerunt: non ergo exceptio doctrinæ eft, quod ad folicitudinem, timoremque inducat, qui eft initium fapientiæ. Deinde notorium eft, multitudines non in extremum nimiæ folicitudinis, fed negligentiæ declinare. Qui ergo docerent, ignorantias eas vincibiles effe, & fi invincibiles re vera effent, nihil nocerent; nocerent vero, qui eas invincibiles ftatuerent, fi re vera vincibiles fint: ergo leviffima inconfideratio eft exiftimare, hoc magis pium, illud autem durius effe. Poftremò noftrum non eft, in doctrina duros effe, vel mites, fed veros; nec addere peccata, neque tollere; ut commonftratum fuit.

De jure naturali communiffimè diftinguunt illud in quædam quafi prima principia, ut bonum effe faciendum; quod tibi non vis, alteri ne feceris, & fimilia, & horum, aiunt, non dari ignorantiam invincibilem; atque in conclufiones; & harum, multi aiunt, dari ignorantiam invincibilem: fed communiùs has ipfas conclufiones diftinguunt in quafdam maximè omnibus obvias, & patentes, ut funt ea, quæ in Decalogo noftro exprimuntur, *non occides, non mæchaberis* nullis adjunctis circumftantiis, & horum dicunt non dari ignorantiam invincibilem faltem diuturnam; & in alias obfcuriores, & difficiliores, de quibus ipfi etiam Theologi diffentiunt, & contraria judicant; ac in fpecimen memorare ufuras folent, de quibus fcilicet adhuc controvertunt Authores, utrum fint contra jus naturæ atque harum rerum ignorantias invincibiles communiffimè admittunt.

Poftremò de jure pofitivo divino, quod totum fide traditum eft, philofophantur, ficut de fide ipfa, & tam in iis, qui non audierunt, quam etiam inter hæreticos, & fideles admittunt ignorantias invincibiles. Atque hoc, ut arguit corduba, ex eo vinci videtur, quod ante concilium Apoftolorum ipfi Apoftoli, cætetique fideles invincibiliter ignorare videbantur, utrum, qui ex gentibus convertebantur, ad circumcifionem, cæteraque legis tenerentur, ut aliàs tractavi, & refpondi. Sed eam etiam lidis hiftoriam, quem filias fuas aliis primùm matrimonio junctas aliis denuò locavit, de libro in librum transferunt, ut indè probent, in magnum certè gentis noftræ dedecus indiffolubilitatem matrimonii rem fuiffe eo temporis invincibiliter in Hifpania ignoratam. Verùm in primis id non factum, fed fictum, & fabulam peritiffimi hiftorici cenfent. Deinde qui ipfis revelavit, facto conceffo in primo matrimonio nullitatem aliquam haud interveniffe? Quis rurfus id non fcienter, fed per ignorantiam factum fuiffe? Leviter fanè ifta confiderata effe videntur, & incredibile dictu eft, nullum tunc in Hifpania oculos habuiffe, nullum Latinam linguam intellexiffe, nec legiffe epiftolam Apoftoli 1. ad Corinthios, in qua clarè adeò indiffolubilitas matrimonii traditur.

§. IV.

Reflexio in hanc propofitam viam.

Eos in primis hic mittimus, qui omnem verè ignorantiam, & confcientiam non remordentem invincibilem confingunt, confunduntque ignorantiam vincibilem cum dubitatione; qui fatis toto lib.1. diffecti funt. In hanc ergo reliquam propofitam viam nunc reflectendo, videtur quidem illa humanas folum vires vel unicè, vel maximè confideraffe, refpexiffeque, atque pro illarum modo, ac menfura de ignorantiis vincibilibus, & invincibilibus ftatuiffe. Huc nimirùm pertinet tanta ea cura diftinguendi in quærentibus aptos, & ineptos; ac in rebus ipfis quærendis faciles, & difficiles, patentes, & latentes, ac pro virium noftrarum, rerumque differentia, & modo de ignorantiis dijudicare; ficut etiam multi de rebus agendis pro earum in facilitate, vel difficultate quoad nos, & vires noftras & quod maximum eft, Dei adjutorio prætermiffo, aut non valdè computato, per nimis durum obligationes tollere non raro folent.

Ignorantia itaque Profectò fi hac menfura de vincibilitate, & invincibilitate ignorantiarum tutò ftatueretur, ego libentiffimè toti huic propofitæ viæ fubfcriberem, defenderentque hic, & ibi, & ubique ignorantias invincibiles non tot, quin plures. Cæterum modus hic videtur deficiens, & menfura diminuta non minùs, quam fi loco ulnæ palmo dimetiremur, diceremusque centum effe ulnas panni, & tamen non effent.

Ignorantia itaque invincibilis definiri non poteft dicendo eam effe, quæ vel folis, vel maximè viribus noftris fuperari poffit, fed quæ à nobis adjutorio, & gratia Dei poffit vitari: quæ eft menfura incomparabiliter major. Hunc in Pelagio defectum videtur notaffe, figillaffeque Auguftinus lib. de nat. & grat. cap 17. dicens; *tractat etiam ifta,* (id eft Pelagius) *de peccatis ignorantiæ, & dicit hominem prævigilare debere, ne ignoret; ideoque effe culpandam ignorantiam, quia id homo nefcit negligentia ua, quod adhibita diligentia fcire debuiffet: dum tamen omnia potiùs difputet, quam ut oret, & dicat; da mihi intellectum, ut difcam mandata tua.* Confultiffima fanè alicui videretur ea pofitio Pelagii, fed non Auguftino; qui probè fciebat, negotium hoc non quafi humanæ cujufdam diligentiæ, & induftriæ effe, fed gratiæ Dei, qua innotefcit, quod latebat, ficut fuavefit, quod non delectabat; oratione proindè, aliaque diligentia chriftiana pænitentiæ, purgationis animæ, & fimilium opus effe: quibus planè prætermiffis ignorantia vinci nequibit; invincibilis tamen non erit; ficut illis prætermiffis multa Dei præcepta impoffibilia fuut; abfolutè tamen impoffibilia non funt.

Idcircò lib.1. menfuram diligentiæ adhibendæ examinando improbavimus modum humanum, modum communem, & fimilia, per quæ menfuram illam aliqui taxant, quæ fanè deficientiffima eft. Similiter etiam hoc libro, cum tractandum effet, utrum veritas moralis inveniri poffet, præfcripfimus, & declaravimus, cui, & quibus viribus illam invenibilem effe tractaremus, non certè homini femivivo relicto, & fuis viribus, fed auxilio, adjutorioque gratiæ Dei per Chriftum. Sic porrò fumpto hoc negotio parum ad rem eft ea tanta cura

cura distinguendi aptos, & ineptos; & omnes cum Christo, & gratia ejus ineptissimi sunt, & desipiunt. Et sic, quod velimus, nolimus fateri cogimur, vidimus homines de cæterò rusticos, & fæminas in via Dei, & salutis scientissimas; & è contra homines ingeniosissimos in stultitiam versos, hæresiarchasque factos: *fallax quippe est equus ad salutem*, fallax ingenium quantumcumque; *in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur*.

Hinc toto hoc libro eo discursum direximos, & probationem omnem, ut ex Dei gratia, & promissionibus verum morale ostenderemus invenibile omnibus pusillis, & magnis sine distinctione viri, & fæminæ; ingeniosioris, & tardioris; rerum facilium, & difficilium; quemadmodùm de potentia, & impotentia omnes, velint, nolint, philosophari, statuereque tenentur; quia sine distinctione promisit, qui potens, & verax est; & qui potenter non est ad adjuvandum, quam ad docendum. Videtur ergo, viam propositam in hoc defecisse, respexisseque, quid homines suo modo, quid viribus suis, & facultate, quid ingeniosi, vel tardi; quid in facilibus, & difficilibus invenire possint, & scire: quo certè considerato consultissimè de ignorantiis vincibilibus, & invincibilibus statuebat. Sed in hoc ipso, ut dixi, defecit illa via.

Quare amicum plurimarum ignorantiarum quaquaversum invincibilium Assertorem, cuique insanire fermè videbamur dicentes, verum morale inveniri posse, rogavi amicè, ut doceret, quo pacto intelligeret, nos veritatem invenire non posse, num viribus nostris, & ingenio, an etiam ex gratia Dei Respondit, ò ex gratia Dei omnia nobis prodi... scientia scire possumus, sciveruntque sancti de cætero idiotæ, & ineptissimi. Tunc ego: jam nulla superest dissensio; nam ego quoque firmissimè censeo, viribus nostris, & ingenio, & seorsim à promissionibus Dei, & gratia loquendo, non solùm ea, quæ communissimè conceduntur, sed ipsa etiam expressissima Decalogi invincibiliter ignorati posse, id est, tali ignorantia, quæ viribus suis, & ingenio à nullis vinci non possit.

Verè ergò nescimus, quo sensu posteriores Theologi præcesserint; nam si ignorantiam invincibilem eam existimarunt, quæ naturali virtute vinci non possit, optimè tot ignorantias invincibiles posuerunt: sed defectuosè ignorantiam invincibilem intellexerunt. Sin verò ignorantiam invincibilem eam intellexerunt, quæ attentis etiam divinis promissionibus, & gratia vinci nequeat, nec debeat, rectè quidem de ignorantia invincibili judicarunt; ipsi tamen hoc in primis non distinxerunt, neque expresserunt; & deinde cum Dei promissiones, ut vidimus, nullas ejusmodi exceptiones, & limitationes, aptorum, & ineptorum &c. habeant magis in docendo, quam in adjuvando, necesse fuisset, ut has limitationes aliunde stabilivissent; quod tamen non modò non fecerunt, sed nec quod sciam, tractarunt. Et postremò quia durum dictu videtur, nos attentis etiam promissionibus, & gratia Dei præcepta ejus ad unumquemque pertinentia cognoscere non posse, & sic nec debere; sicut durum absurdumque dictu esset, nos ea jam scita implere non posse. Cum ergo posteri Theologi ista, quod sciam, non distinxerunt, nec sic distincta tractaverint, vixque constet, ad quas vires, & facultatem ignorantias comparaverint, & vincibiles, vel invincibiles constituerint, quin præsumptio sit, eos diligentia, & facultate quadam humana rem istam dimensos esse, eorum sanè authoritate parùm lædi posset, qui non hoc sensu, sed prorsus alio ignorantias istas invincibiles diffiteretur.

Deinde jam hoc libro qo. 2. ostendi ipsos saltem respectu sui nihil existimare ininvenibile: ab ipsis verò discere cæteri possunt. Nam notorio facto librorum suorum patefeci, ipsos in omni, & in qualibet quæstione morali affirmare, & negare: nusquamque in libris moralibus inveniri verbum illud, *nescio* vel *ignoro*. Atqui ostensum ibi manifestissimè fuit, omni affirmanti, vel neganti etiam opinativè videri, se invenisse, cognosceteque verum, & falsum. Ego juxta hos Theologos earum rerum omnium, quarum ponunt ignorantias invincibiles, ab ipsis vincibilis est, & vincitur ignorantia; & ipsos consultando vinci ab aliis quoque potest: quod si potest, cur etiam non debeat, non ostendunt; & communiter arguunt ex impotentia.

Jam verò illa communissima distinctio expressorum, & non expressorum in Decalogo à nobis sæpè rejecta est. Nunc paucula addam ex Hieronymo lib. 2. adversus Jovinian. paulò post principium: verè enim proposita hæc via ad pauca respexisse videtur, & per nos cælitus institutos christianos totum mundum censuisse; cùm tamen ipsa expressa Decalogi tam latuerunt multas nationes, quam nos lateant usuræ, vel alia, quorum ignorantiæ invincibiles ponuntur: & sicut adeò accuratè inter nos distinguunt aptos, & ineptos, & montanos; & rusticos, & res faciles, & difficiles; ita & multò magis distinguere oportuisset gentiles, & barbaros.

Multa memorat loco citato Hieronymus ad hoc confirmandum apposita, inter quæ: Massagetæ, inquit, & Dervices miserrimos putant, qui ægrotatione moriuntur; & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, jugulatos devorant, tectius esse ducentes, ut à se potiùs, quam à vermibus comedantur. Tibareni, quos dilexerint, senes suspendunt in patibulis. Hircani volucribus, & canibus semivivos projiciunt. Et paulò antè. Scotorum natio uxores proprias non habet, & quasi Platonis politiam legerit, & Catonis sectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria est, sed ut cuique libitum fuerit, pecudum more lasciviunt. Persæ, Medi, & Æthyopes regna non modica, & Romano Imperio paria cum matribus, & aviis, & filiabus, & neptibus copulantur. Scythæ eos, qui à defunctis amati sunt, vivos infodiunt cum ossibus mortuorum, &c.

Coge Ægyptium, *ut*, ovium lacte vescatur: impelle, si vales, Pelusiotem, ut manducet cepe. Singulæ pænè in Ægypto civitates singulas bestias, & monstra venerantur; & quodcumque coluerint, hoc juviolabile, & sacrum putant. &c. Concludit jam sapientissimus Doctor: *pervides igitur, quid non solum in esse, sed & in sepultura, & in connubio, & in omni conversatione, unusquisque gens suo ritu, & proprietatibus vivitur, & hoc eam natura legem putare, quod didicit*. Jam ponite remorsus, & murmura conscientiæ, in quo ipsi naturæ legem esse putant. Abite, & dicite.

Ad rem jam nostram vel ex his à Hyeronymo significatis patet, si humana modo, & ingenio negocium hoc conficiendum est, nullam superesse

regulam, & nihil esse, quod hic, & ibi, ab his, & illis faciliùs invincibiliter ignorari nequeat, quam à nostris ignorentur omnia, vel plurima quorum ignorantiæ invincibiles adstruuntur. Contra probabilistas verò hic est notandum, his omnibus nationibus hæc, quæ didicerant, visa esse probabilia, quin naturæ legem ipsam vi educationis, communitatis, diuturnitatis, &c. & rectius putabant, si senes à se potiùs, quam à vermibus comederentur, & hæc ipsis erat ratio gravis, & gravissima: hoc prudens, & prudentissimum. Similes multas nationum consuetudines, & errores, contra expressa Decalogi refert Alphonsus de Castro lib. 2. de leg. pœn. c. 14. qui tamen clavem illam regiam Apostoli ad Rom. 1. sequens eas non excusat, & omninò retinet nostræ doctrinæ seriem.

§. V.

Veterum Theologorum sensus, & sententia de ignorantia fidei.

IN eo primùm veteres hac in re anteferendi videntur, quòd non ex humana quadam industria, virtute, & scientia, sed ex Dei maximè gratia, & promissionibus philosophati sint; & ut demùm quæst. super visum est bravissimè causam omnem deduxerunt ad illud principium ex divina bonitate, providentia amplissimisque promissionibus depromptum *facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam*, sicut virium, ita & cognitionis.

Rursùs contra Modernos quosdam, qui sese quasi indefectibiles quasdam regulas fidei, morumque comminisci videntur, & sibi repugnare quasi ecclesiæ repugnare arbitrantur, notandum est, posteriores Theologos graves deseruisse quidem, nec tamen notasse, aut censurasse veterum hac in re doctrinam: & præterea §. 2. statutum est, in discordia veteres, antiquioresque esse præhabendos.

Quibus animadversis, communissima, ut loquitur corduba, & solemnis veterum sententia fuit, post promulgatum evangelium, uti de facto promulgatum olim fuit, nullam usquam superesse ignorantiam invincibilem fidei explicitæ Christi. Refert lib. 2. de ignorant. quæst. 4. §. & cum omnibus, pro hac sententia D. Thomam, D. Bonaventuram, Scotum. Durandum, Alexandrum, Altisioderensem, Gabrielem, Gersonem, & Alphonsum de Castro, id est, Scholas, & scholarum Principes omnes. Ipse verò Corduba proposit. 3. problema esse, ait, utrum detur, vel non detur ignorantia invincibilis: & de D. Thoma seorsim infra tractabo.

Vazquez 1. 2. disput. 120. cap. 1. addit virum insignem Guillelmum Parisiensem, Adrianum, Albertum, & omnibus priorem, & velut Doctorem Hugonem de Sancto Victore. Moderni fortè hos omnes in dubium revocabunt, & suos etiam esse volent: quod si de eo disputare incipiamus, hoc uno libros implebimus: nobis opinor, satis est, quod duo Theologi adeò graves corduba, & Bazquez, cum ipsi illius sententiæ non essent, eos pro illa retulerint, & loca dederint, nec consilium his contentionibus carthas implere. Ut porrò notat ignoranter Vazquez cap. 2. omnibus ad hoc tenendum illud fuit principium, facienti, *quod est in se*, &c. jam vix ferri potest, quod Modernè quidam, quorum tam alia est doctrina, & tam nulla, ut vidimus, fundamenta, tot summis viris & prævalere, & eorum doctrinam notare etiam audeant. Vazquez cap. 3. suam, & posteriorum opinionem probabiliorem dicit; & ex quo spiritus ille, & non profutura benignitas, ut loquitur Augustinus, seu indulgentia peccata tollendi multorum animos occupavit, omnium ea calculo probari cæpit.

Dei ignorantia similiter, & errore in fide, & in contentis in symbolo fidelium etiam simplicium prorsùs discordant veteres, & posteri, & illi quidem inconstanter tales ignorantias vincibiles esse tenuerunt, & ecce si modò, quod illi Theologiæ Principes sentiamus, paradoxi extravagantesque audimus hæc.

Est hæc sententia expressa S. Thomæ in cap. 1. ad Corinth. cap. 11. lect. & quæst 3. art. 10. & alias à lect. 4. ait: pertinet autem aliquid ad disciplinam fidei dupliciter. Uno modo directè, sicut articuli fidei, qui credendi proponuntur; undè error circa hos secundum se facit hæreticum, si pertinacia adsit. Non possunt à tali errore propter simplicitatem excusari, &c.

In eo autem art. 3. quod l. adducit probationem inevitabilem, quam nulla multitudine confringent. Titulus art. est, utrum discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris? Arguit, quod sic Sed contra est, inquit, quod dicitur Matth. 15. *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Respondeo dicendum*, inquit, *quod diversæ opiniones* &c. in his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores (distanc Moderni utriusque doctrinæ inclusionem) *nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri; in talibus enim ignorantia non excusat*; *alioquin* (esse fatalem probationem toto libro præc. demonstratam) immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arii, Nestoril, & aliorum Hæresiarcharum. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur.

Hoc est, quod adversarios hic omnes strangulat. Fuit enim Nestorius non Patochus quisquam, sed Patriarcha Constantinopolitanus, Dioscorus Eutychiani erroris fautor Patriarcha Alexandrinus secundæ post Romanam sedis Episcopus; Arius presbyter quidem, sed mons magnus, ut loquebatur Augustinus, & quantus vir, multisque Episcopis, & Episcoporum Conciliis, & Regnorum, Imperatorumque consensu celeberrimus: atque hæc, & alia multa Thomas simplici oratione respiciebat, & comprehendebat. Consensus verò sensus, fideique ecclesiæ supposuit, horum tantorum aliorumqui hominum sectatores à peccato immunes non fuisse propter simplicitatem, hoc enim tamquam primum principium ecclesia, & concilia supponunt; & propterea lupos arcent, & ejiciunt, ne oves decipiendo mactent, & perdant: qui verò ista aut nesciunt, aut prætermittunt, quod momentum opinionibus suis dictisque conferre possunt? intulit S. Doctor evidentissimam ex his consequentiam, unumquemque à Recentioribus dissolvendam, peccare omnes sequendo erroneam opinionem Magistri in doctrina fidei, & morum; neque propter simplicitatem excusari.

Idem

Idem tradit Altisiodot. lib. 3. tract. 3. quæst. 3. agens de rustico, & vetula decepta : & in casu vetulæ omnes concordare, si pertinacia, adsit testatur Albertus magnus in 3. dist. 25 art. 4. Sed ut sapienter distinxit S. Thomas, pertinacia, non ut quis peccet, sed ut hæreticus sit, postulatur.

Sed alter scholæ Doctor Scotus in eam dist. 25. in casu proposito simplicis plus dicit : ad primum harum, inquit, nego consequentiam; quia quilibet simplex tenetur cavere non solùm omnem errorem contrarium articulis numeratis, sed etiam omne, quod est contrarium scripturæ, scilicet canonis, Bibliæ. Et probat non sanè leviter; quia non posset aliquis, ait, pertinaciter adhærere contrario alicujus veritatis in Biblia, quin judicaretur hæreticus. Hæc scotus, sed tu vel tiges, vel magis rides : verùm opinor, doctrina, & ingenio te, & similes longè scotus excelluit. Jam porrò lib. 1. ostendi, per quod in errore peccatum tolluntur, per id ipsum tolli à pertinacia, omnem rationem culpæ, nec peccatum hæreticis est pertinaciæ, sed hæresis, & si ut quis hæreticus sit, pertinacia requiratur juxta sacros canones.

Neque verò S. Thomas à toto dicto scoti quidquam obfuisse videretur. Scilicet hi Doctores, dum tenerent, non omnes obligari ad omnia, quæ sunt fidei, explicitè credenda; illud argumentum sibi objecerunt; tenentur omnes vitare errores omnes, & quoslibet fidei contrarios: sed nisi omnia, quæ sunt fidei, explicitè norint nequeunt errores omnes vitare; quos quippe nisi per ipsam fidem vitare non possunt. Ergo tenentur ad omnia, quæ sunt fidei, explicitè agnoscenda, & credenda, & qui nescit, de fide esse epistolam Jacobi esse canonicam, non habet, quo, & unde vitet errorem, quo credat, eam non esse canonicam : & sic de aliis.

Hoc argumentum sibi objecit S. Thomas qu. 14. de verit. art. 11. & in 3 dist. 25. quæst. 2. art. 1. ad 2. quæstionem; & respondet, sicut Scotus, non sequi, omnes teneri ad omnia explicitè credenda. Difficultatem verò removet, non quidem admittendo eum, qui aliquid fidei contrarium crederet, non peccaturum; sed dicendo, quòd sicut reliqui habitus obsistunt suis contrariis, *ita habitus fidei inclinat ad resistendum omnibus, quæ sunt contra fidem.*

Ubi iterùm ad casum de simplici ad qu. 4. in respons. ad 3. *& propter hoc,* ait, *Prælato contra fidem prædicanti non est assentiendum; quia in hoc discordat à prima regula, nec per ignorantiam subditus excusatur à toto; quia habitus fidei necessario facit inclinationem ad contrarium, cum necessario doceat de omnibus, quæ sunt necessaria ad salutem* 1. Joan. 2. atque alia subdit. Et in summa 2. 2. qu. 2. art. 6. excipit solùm ea, *quæ ad subtilitatem fidei pertinent*; in quibus simplicitas, si pertinacia absit, excusat à culpa. Et in hunc modum illustrium aliorum Doctorum dicta referre possemus.

Quod si tantorum virorum dicta non te moveant, nec communis sensus veterum, permoveat saltem ecclesiæ sensus, ac Judiciorum ejus : nam illa, non Recentiorum, sed veterum adhuc doctrinam servat, & sectatur; quam proindè pro hac parte numerare sanè possumus. Etenim casus vetularum, & non vetularum satis in ecclesia frequentes sunt, quæ fama sanctitatis, revelationumque apud multos vigeant, & celebrentur. Non hoc sicut Recentiores, ecclesia supponit, & dicit: simplices sunt: fœminæ sunt; ignorantes, rudesque sunt; & sive eas revera Deus alloquatur; sive Dæmon in Angelum lucis se transformans ipsas fallat, & per eas dein alias, vel alias in doctrina fidei, & morum, nihil est, non peccant, sed per simplicitatem excusantur. Nuspiam ecclesia, non nunc, non prius; nunquam ejus tribunalia hoc dixerunt, sed contrarium supponunt, & factis suis toti mundo loquuntur; nam examinant diligentissimè, utrum Angelus etiam de cælo aliter doceat, quam traditum est; probant, spiritus, an à Deo, sint, & similia Apostolica præcepta servant: & si errorem in fide, vel in doctrina morum deprehendant, plectunt, levius quidem, si tractetur; severissimè, si retineatur, quamquam à deceptis ipsis ipsissima veritas esse existimetur. Et idem cum hæreticis, qui extra ecclesiam sunt, servat, sentit, & docet, ut demonstratum fuit. Quòd si his non obstantibus placeat Recentioribus aliter docere, & Parochum quemque eo privilegio donare, quo magni ecclesiæ Patriarchæ carent, & caruere, & sive hæreses populo tradat, sive in moribus fornicationem, adulteriumque gravissimæ saltem infamiæ vitandæ causa licere doceat populum & credendo immunem esse; permittant nos contrà sapere, & ecclesiæ vestigiis, sensuique cum summis Doctoribus inhærere. Cur verò pientissimi de cætero ipsi litterarorum etiam, & ingeniorum, sicubi aliquandò errant, non miserentur? nam in quo errant, & ipsi ignorantes sunt, & fortius decipi solent; & simplices quidem, unde interrogare, & discere possint, agnoscunt se de ignorantium ordine esse : illi verò, cum sibi, & alii sapientes videantur, longius à vero distant, majorique miseriæ immerguntur. Oporteret igitur, horum etiam misereri, & omnes salvare.

Sed verò quid, aiunt, vetulæ, & simplices faciant, qui inter verum & falsum, inter fidem, & non fidem non discernunt. Novissima sanè, & occultissima difficultas, quam Recentiores è tenebris eruerint, & quam oculatissimi Doctores S. Thomas, & scotus, & cæteri videre non potuerint, vetulas scilicet esse vetulas, & simplices itidem simplices. Hoc sæpe contritum est : hoc scit ecclesia; nec indè colligit ignorantias invincibiles; instantiam apertam habet & in populis ab Hæresiarchis deceptis, & in populo decepto Judæorum S. Thomas respondet, ut visum est. Antiquitas omnis clamat, facientem, quod est in se, Deum non deserere in necessariis ad salutem, sive in viribus sive quod æque facile ipsi est, in cognitione. Hinc lib. 1. statutum est, numquam primum peccatum esse ignorantiæ, & erroris, ut D. Augustinus, & D. Thomas docebant, & Chrysostomus lib. 1. de providentia advertit dicens, *neque enim dicere possumus, illum* (id est, Cain) per *ignorantiam primò deliquisse.* Jam ergo Deus, qui custodit diligentes se faciet, vetulam, si culpa sua non deseratur, ad concionem non ire, in concione ipsa distrahi, vel dormitare, vel advertere; per sacristiam, vel per vetulam, si oportet, aliam Prælato erroneè prædicante de veritate edocebit, & mille modos alios habet, ut hoc libro declaratum est : *neque enim accidit* inquit Chrysost. hom. 25. in c. 7. Matt. ut homo rectè, honesteque vivens, atq; ab omnibus vitiis liberatus,

aliquando despiciatur à Deo, *sed etsi in aliquo errore teneatur* (quem quippe antea contraxisset) *cito illum Deus ad notitiam tradit veritatis.* Qui porrò tam nihili ducunt errare, Augustinum etiam audiant lib. 2. de anima, & ejus orig. cap. 2. *Et si ab isto didicisti, ait, quod anima Dei portio non sit, age Deo gratias, quantas potes; quod non antè quam hoc didicisti, de corpore existi; exiisses enim magnus hereticus, & blasphemator.*

§. VI.

Sensa veterum Theologorum de ignorantia juris naturalis, & divini positivi; quod utrumque nomine legis Dei significarunt.

A Joanne Gerson ordiamur, qui lect. 4. de vita spirituali corol. 3. pro omnibus contestatur: quidquid sit, inquit, de ignorantia facti, & juris humani, aut naturalis positivi, concors tamen Doctorum sententia est, nullam in his, quæ legis divinæ sunt cadere ignorantiam invincibilem; quin facienti, quod est in se, &c. Hic nimirum fuit cardo, christianus, hoc principium ex Dei promissionibus elicitum pri co-rum omnium. Ut porrò clausula Cancellarii integra constet, voce illa *naturalis positivi* intelligendum est jus illud positivum, quod legislatores ex ipso jure naturali deduxerunt, & reductivè ad naturale pertinet, jam gravis Theologus longam disputationem texit de mente Gersonis, & ejus loca varia affert: quæ certè, & alia perlustravimus; nec tamen, ut dixi, consilium est de mente cujuscumque Theologi folia complere; ficretque hoc, pacto controversia interminabilis; & nos quosque contendemus Dianas etiam, & caramueles pro hac parte censuisse. In his itaque Doctoribus hæsimus, & hærebimus, quorum authoritas in schola saltem aliqua est probativa, & quorum dicta pro authoritate afferuntur.

Hujusmodi fuit vir ille magnus, & Bernardi amicissimus Hugo de S. Victore; qui id docuit lib. 2. de sacram. part. 6. cap. 2. cujus titulus est, quando homines cæperint obligari præcepto baptismi, ex quo Recentiores discere possent mentem Bernardi ep. 77. ad ipsum Hugonem, de iis, qui non audierunt.

Hugo itaque post rem declaratam concludit: siquis autem pertinax esse velit (notam accipite) & adhuc ejusmodi aliquos in ignotis regionibus, & remotis terrarum sedibus degere contendat, qui fortè mandatum divinum de percipiendo baptismatis sacramento non acceperint; ego vel neminem talem esse, vel si fortè aliquis est, si ejus culpa non obstiterit, audire, & scire potuisse, & debuisse, sine cunctatione affirmo, maximè cum scriptura evidenter clamet, *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum.* Si igitur in omnem terram sonus eorum, & in omni terra quidem vel auditi sunt, & contemptores condemnantur; vel auditi non sunt pro culpa sua, & ignorantes ignorantur, & non salvantur. Hæc Hugo; qui tamen, quis sit, aliqui nesciunt, & pluris facient, ita Barbosa, quam ita Hugo. Quæ porrò de jure positivo divino, quo præceptum baptismi pertinet, tradit, à fortiori jus naturale comprehendunt; & prætereà cum baptismo jus naturale, & evangelium intimantur.

Alter magnus Præceptor Gullielmus Parisiensis, quem maximè inter Theologos legendum Avila vir Dei proponit, tract. de legib. cap. 71. gravissima disputatione, contendit, ignorantiam fidei, & utriusque propositi juris esse culpabilem, quin etiam facti, quando contra legem Dei est; quem ægre hoc loco non transcribo. Gratianus 1. quæst. 4. cap. *turbatur* §. ult. dicit de jure naturali, hujus ignorantiam adultis omnibus, esse damnabilem. Scotus expressè contestatur in 4. dist. 9. quæst. 8 §. *si autem*: S. Bonaventura in 7. dist. 22. art. 2. quæst. 2. & ibidem Ægidius, & alii: Hadrianus quod l. 4. Simancas tit. 76. num. 11.

Jam prætereà veteres omnes illum casum proposuerunt de conscientia errante, contra legem Dei sive naturali, sive positiva; nam utraque sub lege Dei comprehenditur Et in hoc casu conscientiæ sic errantis non distinxerunt, utrum ignorantia esset vincibilis, vel invincibilis, nec dixerunt, peccari conscientiam sequendo, si error vincibilis esset; non peccari, si esset invincibilis; quod faciendum fuerat, si existimavissent, dari conscientiam erroneam invincibilem contrariam legi Dei supposuerunt itaque, semper esse vincibilem; & sic omnes concorditer in eo casu dixerunt sine distinctione, peccari conscientiam sequendo, & juxta eam operando.

Hunc casum proponit, & sic respondet S. Thomas in omnibus suis operibus, ut videbimus; S. Bonaventura in 2. dist 39 art. 1. quæst. 3. cujus verba dedi lib. 1. Doctor solemnis. Quodl. quæst. 18 Gabriel in 2. dist. 39 art. 3. dubio 2. & alii. Sed solus, quem sciam, Gabriel mox quærit, quid si error sit invincibilis? Et respondendum esse ait juxta dicta dist 22 ubi art. 3. dub. 1. non admittit ignorantiam invincibilem, sed potius proponit puerum illum à Saracenis carceratum, qui à nullo instrui potuerit; & quærit, utrum ignorando ea, quæ sunt fidei, & legis Dei peccet? & respondit affirmativè cum Alexandro, & probat graviter & Theologicè, ut superius hoc libro visum est. Jam longè abfuerunt ab ignorantiis invincibilibus ubique admittendis contra legem Dei, ut nec puerum illum excusare & sciverint; & de enutrito in sylvis, vel inter lupos, eum, si faciat, quod est in se à Deo instruendum *certissimè tenendum esse* censuit S. Thomas, & veteres communiter. Ubi verò hanc tantam certitudinem collocarunt? Num in ingenio sic enutriti, vel carcerati pueri? Non certè, sed in promissionibus Dei: cui tales pueros, & vetulos erudire, & sine miraculo quidem, ut quæst præc. notabat, tenebatque Valentia, promptum est. Sotus ex posteris Theologis s per illud ad Rom. 7. *ego autem vivebam aliquando sine lege*, satis dubitat, utrum detur ignorantia invincibilis in pertinentibus ad jus naturæ Corduba, Valentia, Vazquez, & similes Theologi referunt quidem has veterum opiniones negantes ignorantias invincibiles; & contrarium tuentur; nec tamen eas taxant, vel notant: & soli Recentiores volunt, sapientiæ possessionem omnem, & jura sibi deferri.

Quamquàm verò §. 2. ostensum sit, veteres in discordia esse præhabendas, hoc apud Theologos scholasticos prætereà proponam; quod siquidem, sicut etiam nos, tanti faciunt Theologiam schola-

scholasticam, haud contemnent, hos sanè omnes, de quibus locuti sumus, veteres fuisse insignes scholasticos; modò autem, & si superfint etiam gravissimi Theologi scholastici, qui de re morali scripserint, major tamen numerus scribentium ex alio ordine hominum est quorum in Academiis sit tacere, & audire; nec vel logicam commentari ausint valdè sanè impares magnitudini sapientiæ suis ingeniis pertractandæ.

§. VII.

De D. Thoma seorsim.

QUantum sit in uno Thoma momentum, norunt sapientes, & quò sapientiores, eò magis, & quibus ille nihil est, mihi ipsi nihil sanè sunt; & quanta universim sit Doctorum ecclesiæ authoritas, ipso duce Thoma 1. part. quæst. 1. art. 2. lib. præc. ostensum est, & sæpè aliàs.

Fatendum ingenue in primis est, D. Thomam 2. 2. quæst. 10. art. 1. & in epist. ad Roman. cap. 10 lect. 3 admisisse ignorantiam invincibilem fidei. & infidelitatem negativam in iis, qui non audierunt. Etsi ubique firmissime retineat facientem, quod est in se etiam intet lupos, à Deo fide esse donandum. Ut porrò quæst. seq. magis exponemus, in quæstione, & dissensione illa, utrum Apostolorum tempore completum sit, omnes satis audivisse, ipse partem affirmativam magis probat. Neque verò aliquorum more mundum ignorantiæ invincibilibus fidei implet, sed in eruditie in sylvis,& similibus exemplificat ea lect. 3. ubi latiùs rem istam explicavit, ostensum est præterea apertè §. 5. S. Doctorem, in his, qui audierunt, etiam simplicibus, & rusticis, ac intra ecclesiam ipsam degentibus nullam admittere ignorantiam, vel errorem invincibilem saltem articulorum, qui credendi universis fidelibus à sancta ecclesia proponuntur.

Cut verò S. Doctor non sicut Hugo de S.Victore, & aliis philosophatus sit, & siquidem facienti, quod est in se, fidem certè dandam tuetur, tenetur autem quilibet facere, quod est in se; & sic videtur posse, & teneri indirectè fidem innuere; undè ignorantia omnibus consideratie sit demùm vincibilis; cur, inquam, hoc modo philosophatus non sit causa obvia non est. In primis mihi pro magno est, quod ipse dixerit. Deindè horum sylvicolarum fidem inveniendi hæc possibilitas adeò remota est, ut ad voluntarietatem ignorantiæ fortè non sufficiat, ut D. Thomæ visum est; & fortè sufficiat, ut cum Augustino Hugo, & alii censuerunt, de quo infra.

Jam porrò agendo de lege Dei jus naturale, ac divinum positivum comprehendendo, nec de iis loquendo, quos nuper excipiebat, sed de cæteris omnibus, indubitata, & continua D. Thomæ sententia videtur omnem ignorantiam invincibilem legis Dei denegare.

In primis enim casum illum conscientiæ erroneæ, & contrariæ legi Dei proponit in omnibus suis operibus in 7. sent. dist. 39. quæst. 3. art. 2. & quæst. 17. de ver. art. 4. & quod l. 3. art. 23. & in cap. 14. ad Rom. lect. 2. & in summa 1. 2. quæst. 19. art. 6. quid scilicet futurum sit, siquis talem conscientiam sequatur? & perpetuò respondit, peccari eam sequendo. Ergo supponit, hujusmodi ignorantiam, & errorem semper esse vincibilem. Patet; quia juxta S. Thomam evidentissimè omnis ignorantia, & error invincibilis excusat à peccato ex toto: sed semper, & perpetuò quodam doctrinæ ordine de errore contrario legi Dei docet non excusare. Ergo censuit, omnem talem errorem vincibilem. Rursus quia in eo casu toties à se proposito nuspiam distinxit errorem vincibilem, nec dixit, si vincibilis sit, peccatur; sin minùs, non peccatur; quod non tantum, tamque scientificum, & formalem Doctorem, sed vulgarem quemque facere oportuisset; sed semper dixit peccari talem conscientiam sequendo. Supposuit igitur, ignorantiam, & errorem talem semper esse vincibilem. Et alioqui sanè deficientissima, fallacissimaque fuisset S. Doctoris doctrina. Hæc illis, qui S. Thomam norunt; clarissima erunt; cæteros non curo.

Superest verificandum factum, scilicet S. Thomam semper sine ulla distinctione tradidisse, in tali casu peccari conscientiam sequendo. Primò probo ostensivè ad citata ea omnia allegando. Secundò quia plures legere nolunt, & tamen libertinè desinire audent, aliqua dicta hic breviter percurrendo.

In sententiariie sic respondet, *quod simpliciter nullus & perplexus absolutè loquendo; sed quodam posito, non est inconveniens, illo stante, aliquem perplexum fore, sicut, &c. Similiter etiam stante conscientia errenea* (nempe de qua agit, contraria legi Dei) *quidquid fiat, peccatum non vitatur*, id est, sive juxta, sive contra conscientiam agatur. Hoc Jansenismum censetis, sed desipitis. Optimè deindè Jansenium oppugnabitis, divo Thoma, ac summis tot Theologis ei concessis. Salva itaque Theologia, non Theologiam involvendo, & evertendo errores destruendi sunt. Sed pergamus.

In quodlibet respondet: *illud autem, quod agitur contra legem Dei, semper est malum; nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam*. In summa affert exemplum ex syllogisticis, quòd uno inconvenienti posito, alia sequi, necesse sit: sicut posita usitata via Probabilium nihil non sequitur: & concludit, *& ideò ad hoc, quod dicatur malum id, ad quod fertur voluntas, sufficit, quod sive secundum naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum.*

In Disputatis eo art. 4. ad 3. dicendum inquit, quòd conscientia errans. in his, quæ sunt per se mala, dictat contraria legi Dei; sed tamen ea, quæ dictat, dicit esse legem Dei. Et ideò transgressor ejus conscientiæ transgressor efficitur legis Dei; quamquàm conscientiam, sequens, & eam opere implens contra legem Dei faciene mortaliter peccet. Ecce denuò, iterùm, atque iterùm Jansenizat Doctor. Sed o vos.

In sententiar. in 2. dist. 22. quæst. 2. art. 1. post explicatam ignorantiam privativè acceptam, concludit; *nihilque enim est peccatum est ignorantia eorum, quæ ad bonos mores, & fidei veritatem pertinent: sed altera in officio constituto etiam est peccatum ignorantia eorum, quæ ad suum officium pertinent*, ut

v. g. ad munus episcopale pertinet scite utrumque testamentum, ut lib. præc. habitum est. Idem eodem modo docet super Paulum. Ergo verum est factum à nobis propositum, quod scilicet S. Thomas perpetuo doctrinæ ordine tradiderit, peccari semper sequendo conscientiam erroneam legi Dei contrariam.

Secundò idem sensus D. Thomæ probatur; quia in omnibus similiter operibus suis tractavit plurimas quæstiones de ignorantia, an, & quando sit voluntaria, an à peccato excuset, an diminuat, an sit peccatum, an etiam causa peccati, &c. Ecquoties ignorantiam legis Dei ponit, perpetuo tradit, eam non excusare, & eam causalem ubique recantat, *quia est ignorantia ejus, quod scire tenetur.* Contra verò quoties exemplo, aut aliter ponit ignorantiam facti, ut siquis non suam putet esse suam, sicut Jacob. quæ veritas cuilibet innotescet percurrendo ea omnia loca in quibus de ignorantia tractavit.

Tertiò ex eo constat, quam contraria Recentioribus via S. Doctor processerit, nec eam distinctionem principiorum, & conclusionum; nec item expressorum in Decalogo, vel non expressorum in mente habuerit, sed contrarium, & quam longè ab ea inconsideratione adeò practicata abfuerit, qua circunferunt, quoties Doctores utrinque adsunt ignorantiam esse invincibilem: quod unum ad relaxandum orbem terrarum implendumque infernum sufficeret.

Etenim ad eas conclusiones, ad ea non expressa usuræ pertinent; quin ipsi Recentiores eas in exemplum afferre solent. Transcripsi part 1. proæmium opusc. 73. quod est de usuris, & nunc iterum transcribam: *omnis homo*, inquit, *à natura non degenerans veritatem amat, & eam scire super omnia desiderat Quam siquis concupiscit vero corde, & eam quæsierit in simplicitate cordis sui, ipsa se ipsam manifestabit, & Deus, qui hoc promisit, verax est: quod probat ex Sap. 6. & ecclesiastici 1. nempè quod promiserit. Invoco ipsam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum, sed illuminare dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere. Amen.* Ecce quid de Dei promissione, de luminis ejus necessitate, de invincibilitate ignorantiarum in usuris judicaverit Doctor ille, cui ecclesia Magistra ego saltem verissimè dico, & dicam; quem Doctorem vitæ habuimus in terris, & orabo Deum, ut concedat, quæ docuit, intellectu conspicere.

Pergit dicendo: quoniam verò in dubiis, quorum veritas agnita salutaris est, incognita periculum ingerit humanæ saluti, admodum utile est veritatem investigare; & temporibus nostris audivimus multas controversias inter Doctores, non solum in naturalibus quæstionibus, verùm etiam in moralibus, in quibus periculum est diversa sentire, & opinari, & præcipuè in illa parte justitiæ, quæ commutativa dicitur, & in ista parte ejusdem, quæ vitium usuræ cohibet; ideò circa hanc materiam veritatem declarare, & dubia elucidare, quantum Deus donaverit, & noster labor conamine pauperis investigationis nostræ attingere poterit, in hoc opere propositum nostrum est. Hæc Doctor ubi non clausula non verbum est, quod Recentiorum plurium modum philosophandi, & sentiendi non evertat; & quod præsens liquet, quid de ignorantia, & errore in usuris existimaverit. Patet verò totius proæmii hujus veritas ex toto hoc libro, & præced. quando nempe non ingeniis nostris, sed omnipotentis, veracisque Dei promissionibus innitimur, probè S. Doctor novit, non oportere inter facilia, vel difficilia; inter principia, vel conclusiones, quæ tamen ejus lege prohibitæ sint, distinguere: ut patet in viribus, quod exemplum semper torquebo; possunt alioqui etiam in promissionibus ecclesiæ factis distinguere, & aliter de Romano Pontifice magno Theologo, aliter de minus docto disserere: quinimò ea est Religio christiana, in qua omnium obscurissima Deus Trinus, & unus; Deus homo, crucifixus, mortuus, & sepultus, sint omnibus in primis ad salutem necessaria. Undè videbunt alii, utrum via contraria socinianismo, naturalismoque præludat.

Postremò sententia, ac mens S. Thomæ commonstratur; quia constanter tradit, ignorantiam universalium juris neminem excusare ex toto, ut Aristoteles etiam docuit; quia ea scite tenemur. In 1. 2. quæst. 6 art. 8. quærit, utrum ignorantia causet involuntarium? Et res ignoratas distinguendo: *& secundum hunc modum*, inquit, *ignorantia universalium juris, quæ scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proveniens.* Idem tradit quæst. 3. de modo art. 2. *unde*, inquit, *ignorantia juris ad negligentiam reputatur*: & in 2. dist. 22. quæst. 2 art 2. *& ideo ignorantia universalis excusat peccatum sequens, non ex toto, sed à tanto.* Frustra verò distingues alia universalia clara, & quæ sunt principia; alia obscura, & quæ sint conclusiones, nam S. Doctor non distinguet, & hoc est corrigere. Deindè quia ea quæst. 6. sibi objecerat textum Pauli 1 ad Corinth. 4. qui de præceptis est non naturalibus, sed de positivis, & obscurioribus Et tamen S. Thomas per doctrinam à se datam eo art. 8. censet solutam esse objectionem. Ergo in doctrina sua inclusit universalia omnia juris. Et rursùs quia si quæ essent excipienda, maximè illa, quæ Paulus eo loco ponit, sed S. Doctor ea non excipit, sed includit; nulla ergo excipit.

Hanc Aristotelis, & S Thomæ doctrinam de ignorantia universali viderunt adversarii, & dicunt, eam ab omnibus esse exponendam; quia claudunt etiam jus humanum; cujus tamen juxta omnes dabilis est ignorantia invincibilis. Respondeo, hanc exceptionem juris humani etiam Pontificii alibi, ut quod l. 1 art. 19. factam esse à S. Doctore, undè doctrinam universalem limitemus: nullibi verò similem exceptionem facit de jure naturali, & divino. Quin quoties etiam incidit in consuetudines, quæ ignorantiam causare solent, legi naturali, & divinæ cuilibet contrarias, supponit, eos non excusare.

Consequenter, ut paulò ante notavi, 1. 2. qu. 19. art. 6. volens ostendere, quæ ignorantiæ ratione materiæ excusent, & quæ non excusent (scilicet à toto) exemplificat sic: *puta, si ratio errans dicat, quòd homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala eò, quod error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur. Si autem ratio erret in hoc, quòd putet, aliquam mulierem submissam esse suam uxorem, &c. excusatur*: intellige, quand ignorantia facti ex negligentia non provenit, & adhibita est diligentia, ut expressit 1. 2. quæst. 6. art 8 Quæ universa

universa S. Doctoris doctrins etiam constat ex quæst. 76. art. 2. in corpore, & quæst. 3. de malo art. 8

In toto D. Thoms solùm unam clausulam repetire potui, quæ opponi quoquomodo posse videatur in ea quæst. 3. de Malo art. 8. Est autem considerandum, inquit, *quod ignorantia voluntarium sequens tollere potest; non autem voluntarium præcedens:* quod probat ex necessitate cognitionis ad voluntarium. *Undè subdit, si in eodem actu aliquid sit ignoratum, & aliquid scitum, potest esse voluntarium quantum ad id, quod est scitum; semper tamen est involuntarium quantum ad id, quod est ignoratum, sive ignoretur deformitas actus, puta cum aliquis nescit, fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè* facit peccatum; sive ignoretur circumstantia actus, sicut cum aliquis accedit ad mulierem, quam credit esse suam, &c. & quamvis semper ignorantia causet non voluntarium, non tamen semper causat involuntarium Hic est textus.

Jam videamus, quid ex eo inferunt. Inferunt, si superis placet: ergo potest dari ignorantis invincibilis, seu involuntaria alicujus pertinentis ad jus naturale; nam talis est malitia fornicationis, & hujus ponit ignorantiam invincibilem dicendo, *semper tamen est involuntarium quantum ad id, quod est ignoratum*, & exemplificat in malitia fornicationis. Verùm qui in his offendunt, sanè in floribus ipsis offendent. Non enim ex ipsorum intellectu hæc particularis de fornicatione inferebatur, sed universalis de omni ignorato; nam resolutio S. Doctoris universalissima est, sive deformitas actus, sive circumstantia ignoretur, & de ignorato in genere dicit, quod semper est involuntarium. Num ergo hinc totam doctrinam Doctoris, num eam ipsam hujus quæstionis, ac hujus articuli delebimus, & numquàm ignorantia, nec peccatum erit, nec causa peccati? Cur ergo in hoc ipso articulo docet, ignorantiam aliquandò diminuere peccatum; aliquando secus! Deinde quid subtilissimi interpretes non advertunt, in ipso hoc exemplo fornicationis à S. Doctore supponi peccatum, dum dicit, *voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum?* Ergo peccatum facit. Quamquàm verò peccatum latiùs pateat, quam culpa, & malum morale, at S. Doctor notatum habet à Theologis pro eodem utrumque sumi; non ergo Theologiæ oblitus est, nisi quod sæpè notatum est, sunt qui vocibus quidlibet intelligendi facultate potiuntur. Cur demùm non advertunt, in textu proposito concludi à S. Doctore ignorantiam non semper causare involuntarium? cujus contrarium ex superficiali sensu sequi videbatur.

Itaque S. Doctor clarus est: distinxit voluntarium præcedens ignorantiam, & voluntarium sequens: & hoc dicit semper tolli per ignorantiam, non autem præcedens; ex quo solo malitiæ, & deformitas, & deformitas actus puta fornicationis voluntaria redditur, ut toto lib. 1. declaratum est: & sic malitia est involuntaria quoad actum sequentem ad ignorantiam; non quoad antecedentem; & hic est sensus planus, & est, quod Augustinus distinxit de voluntare facti, non voluntate peccati: & alia diximus lib. 1. quæst. penult. & sic continenter exponit, quot modis ignorantia, scilicet ex præcedenti, voluntario, reddatur voluntaria; & tradit, quod semper: & ait: *undè negligentia juris ad negligentiam reputatur:* ergo non excusat. Dent ergo locum aliquem, ubi S. Thomas admiserit ignorantiam alicujus pertinentis ad jus naturæ, & legem Dei nisi in sensu statim ponendo?

§. VIII.

Conclusiones nostra, ubi, & quandò, & de quibus dari possint ignorantia invincibiles?

QUæcumque hoc libro, aut alibi à nobis de ignorantiis istis dicta sunt, omnino volumus, juxta has conclusiones, thesesque intelligi: & siquid contrarium affirmare alicubi videbimur, id arguentis, non affirmantis, asserentisque esse cavemus.

Quo præmisso, sequentes nunc conclusiones ponendæ sunt. Et in primis quidem utrinque his in rebus contrarias sententias affirmantes, & negantes ignorantias invincibiles fidei, & legis Dei sive naturalis, sive positivæ liberas, immunesque ab omni censura, notaque Theologies, videtur ex hoc libro, & hac ipsa quæst. constare, maximè verò partem negativam, quæ quoniam veterum, & jam mortuorum est, magis defensore indiget. Atque hæc est nostra quasi prima conclusio.

Secunda sit; si respectivè ad vires naturæ, & humanum ingenium vel unicè, vel maximè caussa ista determinanda est, possibiles sunt ignorantiæ invincibiles fidei, & legis naturalis etiam expressorum in Decalogo, & legis positivæ divinæ, illæque non solùm pro aliquo tempore, sed etiam pro tota vita; & non solùm in sylvicola aliquo, sed in integra etiam natione. Hoc totum liquet ex hac quæstione, & ex hoc toto libro, & etiam ex 1. Idem dicimus, si omnis ignorantia expers remorsus particularis conscientiæ ignorantiæ invincibilis esse dicatur. Idem etiam censemus, si quicumque putat, suas rationes, quibus fallitur, esse probabiles, hoc est, graves, & dignas assensu, jam hoc ipso invincibiliter ignorat, & errat. Idem demùm, si ad invincibilitatem ignorantiæ sufficit decem, vel etiam centum Doctores consultare, qui consilium petenti Doctores graves, dignissimique videntur. Cum ergo Recentiores his fermè sensibus in præsentia causam definiant, nihil quoad præsens ab iis discere videmur.

Tertia conclusio sit; tam fidei, quam juris naturalis, & positivi divini potest dari ignorantia invincibilis ad tempus. Hanc conclusionem notanter posuit Alphonsus de Castro lib. 2. de leg. pœn. cap. 24. quoad jus positivum, probavitque concludenter; sed in eo defecit, quod eam sensui veterum contrariam censuerit, & solùm in jure positivo admiserit.

Est itaque ea ad mentem veterum omnium; nam illi unà omnes locuti sunt de faciente, quod est in se; S Thomas de enutrito inter lupos, & in sylvis; Alexander, & Gabriel de puero carcerato à Sarracenis; quæ omnia, & ipsum facere, quod est in se in ipsorum sensu, tractu, temporis constant. Hic ergo, qui pergit facere, quod est in se, hoc modò tempore, & quamdiu à Deo providebitur, invincibiliter ignorat, quæcumque ignorat, sive fidem, sive aliqua Decalogi, sive

five quidlibet aliud Idem veterum sensus patet ex alia ipsorum constanti sententia, ut lib.1. visum est; nam tenuerunt, manente ignorantia, posse per pœnitentiam tolli peccata ignorantiæ, reddique involuntariam, & invincibilem priorem ignorantiam: ubi tamen excipienda est ignorantia fidei, sine qua nulla est possibilis vera pœnitentia, & justificatio,

Hæc sententia est tota expressa Augustini lib. 6. contra Jul. cap 16. & Chrysostomi in hac qu. §. 5. & ejusdem Chrysostomi, & aliorum Patrum, hoc libr. quæst 4 nam promissiones Dei, *qui quærit, invenit*, & cæteras non de indivisibili momento intelligunt, sed tempore, & labore, consultatione, oratione, & pœnitentia, & similibus constant. Quamdiu ergo in his quis non deficit, quæcumque ignorat, involuntarie omnino, invincibiliterque ignorat. Idem concludenter probat Castro ex Cornelio, qui erat vir religiosus, &c. & quamdiu Petrum accersivit, & Petrus venit, & fide instruxit, invincibiliter, & involuntario fidem etiam ipsam ignoravit: execramur enim illud novum dogma, quoad voluntarium, & liberum in Adamo recurritur, de quo lib.1. Distulit etiam, cum tamen posset, Dominus erudire discipulos ad Adventum Spiritus sancti, qui doceret de omnibus juxta illud; non potestis portare modò: ex quo textu arguit Augustinus eo cap.16. Patet etiam, quia Theologi duce S. Thoma in credendis ordinem ponunt, nec omnia simul, & uno momento discuntur: & sic etiam est de operandis. Patet ex praxi catechizandi eos, qui ad fidem convertuntur; quamdiù enim sensim, & per partes instruuntur, nisi saltem negligentiores sint, invincibiliter reliqua posteà addiscenda ignorant. Patet postremò quia siquis fidem, & multa Decalogi ignorans in articulo mortis ad fidem convertatur, & de necessariis necessitate medii doceatur, & verè conversus statim baptizetur, & cætera ignorans obeat, salvatur. Ergo omnes reliquæ ejus ignorantiæ sunt invincibiles saltem post conversionem. Et sic etiam in pueris, quandò ad usum rationis perveniunt, quamdiu doctrinam Christianam addiscunt, dantur ignorantiæ invincibiles, & si aliquandò ex incidente negligentia tum sua, tum Parentum vincibiles reddi queant.

Jam illa puerilitas est, qua quærunt, quid si ille faciens, quod est in se, vel iste in articulo mortis conversus moriatur, antequam fide instruatur? Puerilitas est indigna, quæ inter Theologos proponatur. Non morietur; nam alioqui vel sine fide salvabitur, vel existens in gratia damnabitur: & utrumque, vel hæreticum, vel erroneum esse, jure ubi supra constituit Castro, & dicebant alii quæst. præc. Sed quid si faciens, quod est in se, nondum tamen justificatus, quia sine vera fide, nulla est vera justitia, ut ait Augustinus, nulla justificatio, ut determinat Tridentinum, quid, inquam, si intereà moriatur? & quid, si ut è te reponit Vazquez prædestinatus, dum est in peccato mortali, sclopeto repentè collatur. Iterum dico, puerilitas est, non morietur. Videntur ignorare, Deum esse Dominum vitæ, & mortis; sclopetorum, & cordium; & nihil ipsi casu, nihil improviso, repenteque contingere.

Ex his fit 4. conclusio; nullus faciens, quod est in se, moritur cum ignorantia eorum, quorum fides, & cognitio est necessaria necessitate medii; potest vero cum ignorantia reliquorum: quare possibilis est horum ignorantia invincibilis etiam pro tota vita. Hæc tota conclusio sequitur ex præcedenti. Ponimus verò inter necessaria necessitate medii fidem Dei unius, & Trini; & consubstantialitatis, & æqualitatis personarum; item fidei Domini Nostri Jesu Christi crucifixi, mortui, & resurrectionis ejus: hæc saltem ponimus, & oppositum censemus censura dignissimum: de cæteris tacemus; quia non de hoc nunc tractamus. Item necessitate medii necessariam arbitramur cognitionem agendorum aliquorum, & forsitam primum est, Deum esse colendum, & amandum: & cætera non determino; quia non de hoc ago; & etiam quia omnia saltem determinate non sufficio, sed ignoto.

De iis qui non audierunt, utrum aliqui tales in mundo sint, vel fuerint post promulgatum jam olim evangelium, & siqui sunt, utrum eorum ignorantia sit vincibilis, vel invincibilis, in dissensione summorum virorum, Dei judicio determinandum relinquo cum Augustino tract. 89. in Joan. propè finem. Tractabo verò de hoc fusè quæst. seq. & quæ in utramque partem invenire potui, sincerè exhibebo, ut sapientiores judicent, nec Recentiores quidam tam promptè definiant; & nisi me teneret authoritas S. Thomæ, planè affirmarem, nullam esse ignorantiam invincibilem fidei nisi eo medio tempore, quo quis facit, quod est in se, ac mensuram explet debitæ diligentiæ, de qua lib.1. tractavi, paucissimi verò fore sunt, siqui sunt, in quibus admitti possit ignorantia invincibilis fidei juxta dicta §. præc. & dicenda quæst. seq. & hæc sit quasi quinta conclusio.

Sexta sit, in iis, qui audierunt, ut sunt hæretici, & plerique saltem hominum, & aliarum sectarum, nulla est ignorantia invincibilis fidei, nisi in aliquo medio tempore, in quo juxta dicta in conclusione 3. facerent, quod est in se. Et simpliciter in eodem sensu inter fideles nulla est ignorantia invincibilis articulorum fidei, quos sancta Mater Ecclesia credendos universis proponit: & de simplicibus dictum est hac quæst. §. 5.

Septima conclusio, ut rectè De Champs, Anatus, Terillus, & alii contra Jansenium observant, & probant, nulla nec ex authoritate, nec ex ratione de facto, & post promulgatam legem est differentia inter legem naturalem, & positivam: quod & ex hoc toto libro colligitur.

Octava sit, magis propendeo, ut dicam, de facto, & eo tempore faciendæ diligentiæ, excepto, nec non iis exclusis, qui non audierunt modo dicto, nullam dari ignorantiam invincibilem legis Dei, id est, sive naturalis, sive positivæ: in quo siquid excedo, rem illibatam, sapientiorum judicio, maximè verò doctrinæ judicibus, & in primis Sedi Apostolicæ, quam toto corde colo, humillimè relinquo; nec puto, authoritatem mihi ullam superesse præter vim, & momentum fundamentorum, quæ adduximus, & seqq. quæst. adducamus. Intelligimus verò in rebus ad unumquemque pertinentibus qua homo est, vel qua Christianus est.

Hæc

Hæc conclusio probatur, & declaratur per simile, vel idem. Hæc est propositio tuta, & sana: nulla lex Dei, non magna, non parva, nullum Dei præceptum robusto, vel debili est impossibile. Ergo primùm à pari nulla Dei lex, non magna, non parva; nullum præceptum ingenioso, vel rudi est incognoscibile. Consequentia probatur obligando ad probandum antecedens sive à Dei promissionibus, sive à ratione. Ergo rursùs ab eodem omnis lex est cognoscibilis; quia, ut suprà est ostensum, In possibili clauditur cognoscibile,& per incognoscibibile, excluditur possibile.

Rursùs hæc octava conclusio breviter probatur ex quæstionibus singulis hujus libri; nam per singulas ostensa comprobata,& declarata est legis Dei omnis magnæ & parvæ, & præceptorum inveniendi, cognoscendique possibilitas cum obligatione. Ergo omnes non modò possunt, sed tenentur etiam invenire, & cognoscere: ac proindè ignorantia erit vincibilis.

Minor probatur, tum quia, ut lib. 1. cum Suarez ex communi sensu præscripsimus, in obligatione faciendi clauditur obligatio quærendi, & cognoscendi; tum quia omnes obligant ad aliquam diligentiam, & ad aliqua cognoscenda; exceptiones autem horum, aut illorum tamquam per humanas vires mensuratæ, & adjutorio Dei in primis non computato factæ suprà repulsæ sunt. Deindè ut eodem semper exemplo rem declaremus, & promamus, in quacumque lege Dei jam scita, satisque nota possibilitas adimplendi coincidit cum obligatione adimplendi; nec est distinctio legis hujus, vel illius; magnæ, vel parvæ; principiorum, vel conclusionum; modò hæ sub legem cadant. Ergo eodem jure possibililiras inveniendi, & cognoscendi coincidit cum obligatione cognoscendi sine distinctione legis hujus, vel illius. Est, ratio quia utraque possibilitas in hunc à Deo finem datur, ut lex tenuetur; & frustrà possibilitas cognoscendi tanta providentia concederetur, si in ea hærere liceret, & impunè non quæreremus. Rursùs; quia de expressis in Decalogo saltem concedunt; possibilitatem cognoscendi, coincidere cum obligatione; ideoque eorum ignorantias invincibiles non admittunt: limitationes porrò fieri fulitæ per vires nostras non subsistunt, ut latè disputatum est. Ergo possibilitas cognoscendi omnem, & quamlibet legem Dei coincidit cum obligatione. Ad quorum omnium robur relegandæ sunt omnes quæstiones hujus libri Postremò quia ut infrà differemus, in libro Dei, per quem judicandi sumus nulla, vel rarissima invenitur ignorantia ullius legis, & præcepti Dei, quam Deus invincibilem esse admiserit. Deus autem bonus Doctor est. Ergo si ex nobis ad ignota, & ex certis ad incerta philosophari docemur, nulla, vel rarissima datur ignorantia invincibilis ullius legis, vel præcepti Dei.

Ex his ad proxima nova conclusio Ecclesiam, Tribunaliaque sequendo sit, ignorantias tam fidei, quam agendorum, & legis Dei à confessore, Doctoreque semper esse præsumendas vincibiles. Probatio sumitur ex dictis. Deindè quia in iis, quæ raro, vel numquàm contingunt præsumptio est in contrarium: sed ignorantias fidei, & legis Dei raró, vel numquam est invincibilis. Ergo præsumenda est vincibilis: & sic ecclesia, & tribunalia procedunt, & puniunt; & si in humano jure probationem, & indè probabilem dictam, & inculpabilem ignorantiam admittant. Distinctio autem illa de foro interno, & externo quoad præsens vana est, & sæpe eversa. Denique hanc peremptoriam probationem arbitramur; scilicet hic effectus, quod quisque cognoscat legem Dei quamlibet ad se pertinentem pendet ab ipso, & à Deo; & ignorantia provenit, quia alteruter defecit, nec partes suas explevit, vel Deus non satis promulgando, vel homo non satis quærendo, sed negligendo, vanissimum porrò, & contra sensum ipsum communem est, defectum, ut quidam faciunt, in Deum rejicere dicendo, eum non satis promulgasse, vel providisse. Ergo veritas est, in hominis negligentiam rejiciendum esse defectum, & ignorantiam. Mitto alia.

Hinc decima conclusio est, væ confessoribus idiotis, vel qui non norunt, In quibus pænitentes errent, vel qui ignorantias invincibiles præsumunt; vel qui suum non putant, pænitentes docere de his, quæ ignorant, sed solùm ex iis, quæ ipsi norunt, & dicunt, judicium conficiendum esse putant; & hoc misericordiam arbitrantur, de quo lib. 2.

Quæris, quantum sit illud tempus medium, in quo quis facit, quod est in se, & intereà ignorantiæ sunt invincibiles? Respondeo: Deus scit.

Quæris etiam, quod corde rei hujus totius est, quanta sit illa diligentia adhibenda? cum enim sit agere, quod in nobis est, vel secundum totum, ut aiunt, posse, vel secundum medium posse, vel minus, vel plus, quantum demùm sit quod agendum est: respondeo primum de hoc tractatum esse lib. 1. & diximus, taxari à nobis, discernique non posse quantitatem hujus diligentiæ. Respondeo 2. quantitatem istam pendere ex quantitate studii adhibendi obsequio Dei, & rebus æternis, & animæ; quia ex hoc studio debita diligentia sequitur; de eo autem studio lib. seq. dicemus. Dico 3. quantitatem esse, quam verò Deum super omnia, & proximum sicut se ipsum diligentes adhibent, ut lib. seq. tractabitor Respondeo 4. quantitatem esse, quam, & qualem viri Dei, & sancti impendunt, & ad instar illius. Respondeo 5. quod integro libro statui potest, quantitatem esse ut minimum, quam, & qualem sectatores mundi impendunt vel honori, vel divitiis, vel voluptati communiter; & plerumque; nec hæc regula tamquam exeedens in Dei judicio enervari poterit. Ex quibus sequitur, non sufficere diligentiam eorum quibus prima principalior que cura est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ. Durum est, inquis. Sed verò non de duro, & blando, sed de vero, & falso disputamus; & hic locus communis sæpè disiectus est, & Mahometanorum legi, quam christianorum magis congruit.

QUÆST. XII.

Utrum ergo ignorantia eorum, qui non audierunt, sit vincibilis, vel invincibilis?

Quemadmodùm quæst. sup. promisimus, nunc seorsim, & accurate est de hoc dicendum; nam plurimarum suprà dictarum ignorantiarum

tiarum Assertores hoc in primis evidentissimum censent, ignorantiam istam esse invincibilem ex Evangelio dicente, si non venissem; & locutus eis fuissem peccatum haberent; constatque opinor, quanta allegari etiam in contrarium possint. De Authoribus porrò utriusque partis dictum est quæst. præc.

§. I.

Utrum omnes audierint fidem Christi, & Evangelium?

Audire in præsentia dupliciter intelligi potest. Uno modo si quis à misso Prædicatore, vel alio fidem, & Evangelium in se, ac in specie, & explicatè audiat: altero modo, si ex fama, & rumore, & , ut dicitur, ex sono verborum confusius, & quasi in genere quidpiam audiat. De audientibus rursùs ipsis fit alia distinctio; nam quæri potest, utrum omnes, id est gentes, & nationes audierint? vel omnes, id est, homines, ita ut nullus homo non audierit? Iterùm de omnibus quæri potest, utrum omnes, id est, qui erant tempore Apostolorum; vel omnes, id est etiam, qui postea secuti sunt, audierint saltem sonum verborum.

Difficultas pœnè omnis volvitur ad Apostolum, qui affirmare videtur; & ad experientiam, ac humanam fidem, quæ videtur contrarium persuadere: & utrinque Sancti Patres divisi sunt, & affirmant alii, & alii negant.

In primis Paulus Apostolus: ut etiam quæst. 9. cursim visum est, in omnibus fermè suis epistolis, maximè verò ad Rom. docet, ingerit, clamat necessitatem fidei in Christum ad justificationem, & salutem. Cum ergo hanc indubitatam veritatem, & fidem statuit esse subjecto; *finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti*, &c. (quæ utinam meditarentur aliqui Recentiores) mox sibi objecit totam præsentem difficultatem, quid ni scilicet fieri queat, ut omnes ea fide indigerent, quam habere non possent? Certè si Paulus Jansenista fuisset, nihil hac de difficultate motus fuisset; quæ planè cessaret, nec Pauli responsione indiguisset. Supponit proinde Paulus veritatem Ecclesiæ, nullum adultum sive propter originale; sive propter aliud delitui a Deo modis necessariis ad salutem. Sed ad rem: quippè tunc à Jansenistis, tunc à Recentioribus vexamur.

Opponit itaque sibi Paulus. *Quomodò ergo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo verò audient sine prædicante* &c. explicata hæc si placet de fide lata.

Si re vera non omnes tunc adjuvissent, Paulus hoc profectò respondisset, & dixisset, ut dicunt, qui ita existimant, multos quidem non audivisse; hoc tamen vel ipsorum culpa accidisse; vel saltem si quod in ipsis erat, egissent, auditurus utique fuisse hoc enim modo respondent, qui tuentur, non omnes audivisse. Verùm Paulus non hoc respondet; sed negat non omnes audivisse: *sed dico*, inquit, *numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum*. Restricanda est utique fides, & credendum, Paulum scivisse Theologiam: qui datam responsionem etiam ex Isaia confirmat. Dicant fortè aliqui, hunc a paulo adductum locum non de prædicantibus, sed de cœlis solum ad litteram intelligi, ut olim quidem intelligebatur. Sed verò sciunt sapientes, ut rectè in hunc locum notat Salmeron, omnem scripturæ textum etiam allegoricum, ex quo illum Scriptor quilibet Canonicus ad aliquid applicat transire in sensum litteralem, verificarique litteraliter de applicato. At Apostolus applicavit admissos, & prædicantes. De his igitur ad litteram verificatur: ergo omnes audierunt.

Experientia videtur probare contrarium: & ita Augustinus ep. 78. & 80. hunc, & alia Pauli loca versans certum existimat suo tempore multas adhuc gentes, & nationes non audivisse: quod & posteà ex America, & novo quasi mundo haud ita pridem invento alii confirmant, ubi nunquam Evangelium auditum fuerat ante Hispanorum adventum, & Triumphos. At Chrysostomus, & Ambrosius ser. 8. in psal. 118. Leo Magnus ser. 1. de jei. Isidorus lib. 2. contra Judæos cap. contrarium arbitrati sunt; quod & Hugo de S. Victore quæst. præc. asseveranter aiebat.

Qua in re Augustini, Chrysostomique contrariis propositis sententiis. S. Thomas lect. 3. ad Rom. 10. adhæsit Chrysostomo dicendo: *magis tamen præsenti intentioni Apostoli congruit expositio Chrysostomi, quam Augustini, nulla ratio esset auferendi excusationem infidelibus per hoc; quod in futurum erant audituri.* subdit nihilominus S. Thomas: *per hoc tamen non habetur, quod ad singulos homines fama prædicationis pervenerit, licet pervenerit ad omnes gentes*. Quod si contra S. Thomam opponas; nec hoc pacto excusationem auferri infidelibus, quia in tantum genti cuique auferenda erat excusatio, in quantum auferabat particularibus hominibus, nec quædam quasi communitas, sed singuli magis homines erant ostendendi inexcusabiles, ut latius argui potest. Si inquam, hoc opponas, singulos potuisse ex sua gente nosse, si debitè quæsivissent: & auditum gentis tollere excusationem singulis; alioqui nihil consecutus fuisset S. Thomas Chrysostomum magis sequendo. Pro Augustino etiam dici poterit ex Hugone de S. Victore, culpa sua non adivisse. Ad experientias autem dici potest, negligentia hominum, & barbarie, & erroribus, ac delyriis deletam fuisse apud aliquos omnem olim factæ prædicationis, vel invectæ famæ memoriam.

Sed quid, inquis, dicemus de his, qui post eam deletam memoriam nati sunt? Videtur enim Paulus minimè satisfecisse scopo suo; nam non ejus solum temporis hominibus est necessaria fides Christi ad salutem, sed etiam posteris. Jam in his instauratur totum argumentum; *quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei, quem non audierunt?* &c. Cum ergo nulla superesse ratio videatur, cur olim infidelibus adimenda excusatio; posteris verò non esset adimenda; cum item non magis de primis illis hominibus, seu magis de Europæis, quam Indis, sed de omnibus verum sit, *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*, videtur sanè omnibus, & singulis omni tempore & prævidendorum fuisse mediis necessariis, qualis haud dubiè est fides Christi, & omnibus pari jure adimendam fuisse excusationem. Si ergo Paulo de futuris etiam posteà hominibus proposita fuisset sua illa quæstio, & difficultas, idem eodem jure responsurus videretur; sed dico; numquid non audierunt: *& quidem in omnem*

terram

terram exivit sonus eorum, & in omnes fines terræ verba eorum.

Hæc nobis difficillima sunt: quocirca inferius ostendendum est, illud audire, quod ad obligandum quemque necessarium est, non esse ipsum actum secundum auditionis, & sufficere posse audire, & nolle. Rursùs nescimus, de quo etiam infra dicetur, utrum olim, & priores audisse sufficiat ad obligandos etiam posteros, tollendamque, excusationem; sicut hic audire sufficit ad obligandum alibi. Quantitas deinde ipsi promulgationis necessariæ, & faciendæ nobis ignota est, ut inferius videbimus, & ille novit, ad quem pertinet.

In hac ergo summorum virorum de hoc facti quæstione varietate consultius habui nihil determinare. Illud ex his exploratum est, non tam facile, nec tam multos hic, & ibi, ut Recentioribus placuit, esse excusandos, vel numerandos inter eos, qui non audierunt; & sic Sanctus Thomas exemplificat in Sylvicula; & Augustinus illo tractat. 89. ritè notat Christum tunc venire ad omnes gentes per suam Ecclesiam. Intentioni porrò toti Apostoli magis videretur arguere, si diceretur, vel omnes audivisse; & ita neminem esse excusabilem.

§. II.

Fundamenta eorum, qui illos, qui non audierunt, excusant.

EXcusant, inquam, ex toto, eosque invincibili ignorantia eo ipso laborare, tuentur; est scilicet ignorantia aliqua etiam vincibilis, quæ culpam diminuat, & sic quoque excuset à toto. Fundamenta ita dicentium videntur sanè gravissima, atque ipsa in primis multitudo docentium haud sanè contemnenda est. Deindè authoritas certè nobis maxima Sanctus Thomæ, qui eos, qui non audierunt, damnandos quidem tradit, non tamen propter peccatum infidelitatis, quam proindè negativam, non privativam esse ait, sed propter peccata alia: casus autem, quod quis alia peccata nulla habeat, est chimericus in via Doctoris; tunc quippe eum Deus certissimè fide sua donaret, ut dictum est. Agit autem de infidelitate negativa, non de contraria.

Præterea locus Joannis capite decimoquinto, ita expressus videtur, quæ litem hic omnem dirimat: *si non venissem, inquit, & locutus fuissem eis peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* At ad illos, de quibus agimus, non venit, nec locutus est eis. Ergo peccatum non habent, sed magis excusationem.

Rursùs an levius, nescio, argui potest ex eo loco nuper expenso Apostoli; qui scilicet ut excusationem tolleret, eò ivit, ut negaret, non omnes audivisse; at hic disputamus de iis, qui non audierunt; excusati ergo existunt, siqui sunt.

Denuò ex Augustino afferunt tria loca, qua certè allegatione non multum ista sententia commendatur. Primò scilicet arguunt ex quæstionibus de Novo Testamento Quæstione sexagesima-septima, quem textum pridem Gabriel, & alii explicarunt. Sed scitur, hoc opus non esse Augustini. Deindè arguunt ex Epist. 105. ad Syxtum; in qua Augustinus contrarium potius edocuit.

Alter locus est ex tractatu octuagesimo-nono, in Joannem; *sed quid adjunxit, atque ait, nunc autem excusationem non habent de peccato suo, potest movere quærentes, utrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo? Si enim non habent, cur dictum est, propterea hoc non habere, quia venit, & locutus est eis? Si autem habent, utrum ad hoc habeant ut à pœna alienentur, an ut mitius puniantur?* En ipsissimam nostram quæstionem? ad quam *respondeo*, inquit, *habere illos excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo Christo non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.* Quo nihil expressius dici potuisse videtur. Verum hæc sententia nullum, quod invenerim, habet in Augustino suffragium; nam in hoc etiam ipso tractatu ad finem rem reliquit indecisam, ut videbimus.

Ratione prætereà dupliciter arguitur. Primò quasi negativè; quoniam ii Theologi, qui eos, qui non audierunt, in totum non excusant, indè ad hoc moti sunt; quod facienti, quod est in se, Deus neque gratiam deneget, neque fidem, quæ scilicet, ut certissimum arbitramur, & constituimus, non minus est necessaria ad justificationem, & salutem, quam ipsa gratia: undè concluserunt, per eos obfuisse, quo minùs fidem haberent. At hæc argumentatio non concludit; probat enim duntaxat, eos fidem habere potuisse; non autem quærere debuisse: ex quo sententia contraria ultrò concedit, ignorantiam fidei esse quidem pœna peccati alicujus non facientium, quod est, in se; non autem esse peccatum. Ergo non est, ex quo habeatur, eam ignorantiam infidelium esse peccatum.

Secundò positivè; quia hi, qui nihil nec quidem ex fama audierunt, quærere non possunt; ergo neque tenentur. Antecedens multipliciter urgeri potest; tum universalissimè, qui nihil audierunt, non habent, undè ad quærendum moveantur, ac excitentur; tum item quia quærere est æqualiter saltem dubitantium, vel saltem suspicantium; sed qui nihil audierunt, nec dubitare ullatenùs possunt, neque suspicari: ergo neque quærere.

Contingit certè, aliquos nihil quærentes, neque existimantes invenire thesaurum: casu tamen prorsùs inveniunt, neque providentium, ac intendentium hoc est; quare neque laudi id tribuitur, sed fortunæ, & sorti, neque contrarium vituperio. In hunc fermè modum qui non audierunt, invenissent utique fidem, si quod in ipsis fuerat, explevissent: at inventio illa quoad ipsos merè casualis foret, & gratiæ non laudis opus: ergo neque non inventio vitio tribuenda est; casualia quippè omnia, quæ nullo modo prævidentur, extra mores, extra voluntatem, culpam, atque laudem existunt. Undè confirmatur; quia nullo modo præcognita nullo modo sunt voluntaria; neque peccata: at iis, qui nihil audierunt, cætera

fide, & Christo nullo modo fuit præcognitum: ergo neque voluntarium.

§. III.

De fundamentorum horum aliquibus exceptionibus.

DE authoritatibus Augustini dictum est, ac inferiùs magis dicetur. Illud itaqua maximum in his adductis fundamentis puto, quod ex Joanne sumptum est, *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* At hoc Domini dictum sub his saltem formalibus verbis, ac terminis explicandum ab omnibus videtur; nam statim Dominus eodem modo subjecit; *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent.* Et tamen ex hoc nulla est consecutio ad alias gentes, quasi nulla etsi audierit, peccet tamen non credendo, nisi opera & miracula, præterea edantur; alioqui nullus, quod perabsurdum est, posset ad novas gentes Evangelium advehere, nec satis promulgare, nisi gratia signorum vigeret; neque solum, de quo hactenus mota est quæstio, opus esset audire, sed etiam miracula videre. Ergo licet Judæi, nisi opera in eis facta fuissent, peccatum, ut Dominus ait, non haberent, non sequitur, gentes alias peccatum non habere, nisi in eis miracula fiant; ergo sic ex simili prorsùs, & ibidem dicto Domini, quod Judæi, nisi audiussent, non peccassent, vi authoritatis non sequitur, nec gentes quidem alias peccatum habere, nisi audiant.

Expono brevius: ut eodem in loco idem Dominus contestatur, sicut non ex non auditione, ita ex non miraculis Judæi excusandi venirent: at ex non miraculis non valet consecutio ad non miracula gentium aliarum pro excusatione: ergo neque ex non auditione valet consecutio ad non auditionem eorumdem.

Confirmo; nam hic quasi duplex locus Evangelii non duplex est, sed unus magis explicatus, & quod de operibus Dominus subdit, exponit, expletque priorem, *si locutus non fuissem eis.* Nimirùm pro Judæis, qui legem accepere à Deo maximis miraculis confirmatam, ut ad aliam obligarentur, satis non fuisset legi solùm, sed præterea illud quoque aliud necessarium fuit, quod Dominus profundè, statimque subjecit, *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit.* Integer proindè locus sic videtur connexendus, intelligendusque: *si non venissem, & locutus fuissem eis, & opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Gryllus in Joannem libro nono, capite decimotertio, locutionem, doctrinæ item Christi præ Mosaica excellentiam, & miracula, hæc simul tria necessaria fuisse interpretantes subdit: hunc huic loco accommodari sensum oportere, contenderim. Eadem hæc tria uninnt Chrysostomus hom. 76. in Joannis Theophilactus, Salmeron, & alii in hunc locum: ac videtur esse res comperta. At omnes, opinor, vident, ex hoc nullam esse consequentiam ad alios, nec hæc omnia necessaria esse pro unaquaque natione. Videtur ergo locus ab omnibus exponendus.

Dicas fortè, satis fuisse, apud Judæos fieri miracula, ut alibi obligarent; & tunc fieri, ut nunc etiam constringant. At nisi audiant, obligari nullibi possunt. Verùm aliud est vi authoritatis agere; aliud agere ratione. Ad istam sanè dicemus faciliùs. At vi authoritatis procedendo respondebitur ex adverso, sicut satis fuit apud Judæos, ac præcipuas alias gentes, non autem ubique edi miracula, ut universus orbis obligaretur; sic satis fuisse apud Judæos, aliasque præcipuas gentes prædicari, ut omnes tenerentur: nam utrumqua locutionem, & miracula, ut visum est, atque tractatum etiam alibi, Dominus pro Judæis postulavit.

In hunc fermè modum, & quidem literatissimè Romanus Pontifex de suis bullis, constitutionibusque essari potest, si Romæ eas non promulgassem, vel io aulis etiam aliis atque in consuetis locis affixissem, transgressores illarum Romani verbi gratia, peccatum non haberent. Ex quo tamen eas pro more vulgavi, ac in consuetis locis præfixi, excusationem non habent neque Romani, neque cæteri: quod idem in reliquorum quoque Principum statutis, legibusque cernitur, ut inferiùs dicetur. Neque verò sequitur ex hoc, quod nisi id ipsum, quod Romæ efficiendum fuerat, in singulis prætereà totius Ecclesiæ urbibus, pagisque, & castellis fiat, jam reliqui excusati eo ipso sint: vix enim, nec vix quidem ulla unquam lex satis hoc pacto promulgari posset. Ergo nisi Dominus Judæis, qui primi conveniendi videbantur, qui scilicet soli vera religione pollebant, locutus fuisset, atque quod locutus fuerat, stupendis etiam operibus stabilisset, nec Judæos ipsos, neque alios obligavisset: nec tamen sequitur, quod pro singulis deindè gentibus eadem iterare necesse sit. Quod totum ex eo mihi pendere videtur, quod scire mea quidem opinione, atque certis regulis taxare nos homines non possumus, quantum scilicet Deum gloriosum pro sua fide, legeque promulganda agere oporteat: alicubi saltem loquatur, & actu audiatur, necesse est: at quod tractabimus, ubi, quando, quoties, quantum, præscribere non possumus. Valet ergo; Deus nihil locutus est, nullibi auditus; ergo legem non promulgavit, neque in eam peccatur. At postquam sicut inscrutabili suo judicio visum fuit, locutus est, non valet, hic, aut ibi locutus non est; ergo pro his locis legem suam, aut fidem non satis promulgavit, nec in eam delinquitur.

Et certè de legibus omnibus in genere loquendo compertum videtur, hanc puram excusationem, *non audivi*, parem haud esse; alioqui non audire, quis noluimus, nec velle intelligere, ut benè agamus, excusatos nos redderet; quod falsissimum est; atque omnia ignorantia à peccato excusaret, quod hæreticum est, ut patet ex libro primo, Probandum est ergo prætereà, non audivi, non quia nolui, sed quia non potui, ut dicetur, ut usus omnis rectis utique judiciorum, ac Tribunalium confirmat. Rursus probandum est; non quia nolui neque directè, neque indirectè, ut

exponetur

exponetur uam voluntarium indirectum sufficit ad labem, & culpam. At de gentibus, quæ non audierunt, nondùm elt ostensum, eas nec audivisse, neque potuisse, nec non auditionem esse eis saltem indirectè voluntariam, ut pars adversa intendit. Non est ergo ostensum, eas esse omnis prorsùs infidelitatis culpæ immunes.

Quapropter Sanctus Augustinus in eo etiam ipso loco tractatus 89. in Joannem ex quo arguebant, rem istam indecisam reliquit: ait enim: *isti certè, ad quos venit, & quibus locutus est Christus, non habent de magno infidelitatis peccato, illam excusationem, qua possint dicere, non vidimus, non audivimus, sive non acceptetur ista excusatio ab illo, cujus inscrutabilia sunt judicia, sive acceptetur, & si non, ut ab omni damnatione liberentur, certè ut aliquantò minùs damnarentur.* Cùm hoc pacto Augustinus eo etiam in loco quæstionem absolvat, mirum est, quod eum pro tali excusatione tam turò allegent.

Sensum alium, & acutum Maldonatus hoc in loco Joannis meditatus est. Vulgaria quæstio, est, inquit, quomodò dicat, Judæos peccatum non fuisse habituros, si ad eos non venisset, &c. Si à recepta sententia discedendum esset, mallem interpretari, ait, peccatum non haberent, id est, videri possent habere prætextum aliquem excusationis, si non excusationem veram peccati sui. Videtur enim peccatum non innocentiæ, sed excusationi, defensionique solùm opponere. Hæc Maldonatus, & si nihil causæ inveniens, quam ob rem à communi sententia discederet, eam absolutè secutus sit. Favet porrò illi sensui Maldonari non solùm Græca lectio apud Salmeronem, sed Theophilactus quoque dicens, si non venissem, &c. *potuissent dicere, non audivimus: nunc autem prætextu caret eorum malitia*: quò eidem Augustinus alludere etiam videbatur, *non habent de magno infidelitatis peccato illam excusationem, qua possint dicere, non vidimus, non audivimus?* quasi excusatio ista aliqua demùm sit, & si ex toto quem non purget, ostendatque innocentem: sunt scilicet excusationes in ipsis etiam peccatis, quæ apud homines cum peccatis ipsis natæ sunt.

Ex his, quæ ad locum Joannis disceptata sunt, responderi etiam ad locum Apostoli potest; oportuisse scilicet ad sufficientem evangelii promulgationem illud omnibus semel saltem initio denunciari, prædicatique: quo facto, tunc, & nunc, ac semper omnes obligarentur, & excusatio tolleretur. Id porrò oportuisse, ex eodem Pauli loco constare, qui ut omnibus excusatio auferretur, non concedendum, sed negandum censuit, non omnibus fuisse prædicatum, vel sonum saltem, ac famam ad omnes non pervenisse. At ut §. primo, visum est, saltem quia omnis factæ prædicationis memoria delera fuerat, multæ gentes repertæ sunt quasi nihil audivissent: prorsùs ignorare: sicut tursus ibidem dictum est, nihil magis oportuisse videbatur gentibus tunc auferri excusationem, quam pòst: siquidem propter salutem etiam posterorum Deus de cælo descendit, factusque est homo. Ergo dicetur potiùs ex ea prædicatione tunc facta omnibus, atque ex aliis, quæ inscrutabilibus Dei judiciis variis temporibus adjicere visum est, omnem omnibus adimi excusationem.

Ad ea verò, quæ à ratione movebant, ad primum quidem quasi negativum fundamentum dicetur pòst. Ad id autem, quod addebatur, quodque in universa de ignorantiis causa momentum propemodùm omne ejus partis est, eos quippe, qui nihil audierunt, quærere certa intentione non posse, ac cætera, quæ hoc circà afferuntur, affetrive possunt, una omnibus in genere admittenda voluntarii, ac involuntarii distinctione plenissimè occurritur; non probant solùm de voluntario directo, de indirecto autem nihil prorsùs.

Etenim libro primo, visum ex ipsis primis Theologiæ rudimentis, ignorantiam aliam esse omnino involuntariam; voluntariam aliam: atque hanc rursùs aliam directe voluntariam, in quam voluntas actu suo, vel ommissione directè feratur: indirectè voluntariam alteram, cui potiùs essentialissimè repugnet, sic directè, & in se esse volitam, & amatam; quo scilicet facto redderetur necessariò directè voluntaria. Quam ob rem, ut ibi tractatum est, ignorantiæ indirectè solùm voluntariæ earum rerum sint, necesse saltem non est, ipsæ in se jam in mentem venerint, aut de quibus in se dubitatum sit, aut suspicatum, vel quid simile.

Quemadmodùm porrò est ignorare, ita est etiam quærere, scilicet directè, vel indirectè; nam indirecto voluntario ignorans tenetur quærere si enim non teneretur, ignorantia nec peccatum esset, nec causa peccati: est autem juxta omnes, nec turò dici potest, ignorantiam indirecte voluntariam excusare ex toto. Ergo ignorans indirectè voluntario, tenetur quærere rem ignoratam. Et tamen tei ignoratæ in se directè speciem, notitiam, dubitationemve nullam habet saltem semper, quin numquam obligationis ad eam, nam alioqui esset voluntarium directum. Ergo potest quis teneri quærere rem, cujus in se, & directè speciem, notitiam dubitationemve nullam habeat: quæ ex libro primo, comperta sunt. Ergo gentes possunt esse obligatæ ad quærendum indirectè fidem, & Evangelium, cujus nullam planè notitiam habeant. Undè processus contrarius sese potiùs suspectum reddere videtur eò, quòd voluntarium directum solùm pro peccato admittere, & indirectum præterire videatur: ex quo etiam illud removetur, quod de casuali rerum inventione addebatur.

§. IV.

Parùm ad culpam, vel non culpam interesse videtur vel non audivisse Christum, vel audivisse quidem, stultitiam tamen, aut scandalum eum visum esse.

Illud pro immunitate non audientium ubique movet, negotiumque facessit, quod illi nihil agere posse videantur moveri nihil ad quærendum, qui Christi, fideive ejus

nec nomen quidem audierunt. Illis nunc alos opponimus, quibus excusandis par causa, ratioque videbatur, qui tamen excusari minimè possint, ut libro primo, demonstratum est. Hi sunt porrò quibus planè explicatum fuit Evangelium, Judæi, & Gentes, Romani etiam ipsi, eorumque Principes, Præsides, cæterique administri Imperii, ac populus præterea ipse.

His quidem prædicatus est Christus; sed quid ille visus fit, vel omnibus, vel plurimis, conversi non sint, historiæ omnes lectio martyriorum & libri quique contestantur. Christus scilicet crucifixus, quod Apostolus expressè testatur, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia visus est. Quibus verò aut Judæis, aut Gentibus? iis utique, qui audierunt. Portentosa, ut loquitur A lapide, stolida, sacrilega religio visa est hominem crucifixum Deum habere, atque pro eo Divos Patrios, quibus assueverant, ac pervetusta consuetudo versa etiam in naturam fuerat, abolere, conculcare. Signa sanè permulta pro veritate edita sunt: sed cæcæ gentes, cæci Judæi nihil moti sunt; præstigiis, & incantationibus ea, quæ pro stabilienda ea sibi existimata stultitia patrabantur, tribuebant. Idcircò quod Dominus quoque ipse palàm contestatum reliquit, haud se peccare existimabant in percipiendis, interficiendisque discipulis, quin arbitrabantur, obsequium se Deo præstare.

Disceptatum est libro primo, cum imperitissimis quibusdam, qui hæc ita contigisse aut negant, aut si ita contigerunt, aiunt, eos sic arbitrantes non peccavisse, imò mereri etiam potuisse, aut meruisse; putant enim omnem rationem, conscientiamque sic sine scrupulo errantem non modò excusare, quin reddere actus sibi conformes honestos, eoque tutiùs, quo errabitur fortiùs. Hi nunc prætermittendi sunt, quos libro primo, evertimus: & nemo est vel sanctorum, vel Recentium etiam scripturæ interpretum, vel graviotum Theologorum, qui vel dubitandum quidem censuerit, Judæos sic affectos, & arbitrantes, aut Gentes peccavisse: quin Salmetonius cum aliis contendit, ignorantiam istam Judæorum, & Pauli eos inter persequentes ecclesiam, eorum Paulique peccatum non diminuisse; ut ignorantia indirectè voluntaria facit.

Quibus suppositis, videtur quoad præsens, parum ad culpam, vel non, culpam interesse, quod quis Christum vel non audiat; vel audiat quidem, ipsis tamen scandalum, aut stultitia videatur. At quibus ita Christus visus est, nihilominus peccarunt. Ergo etiam ii, qui eum non audierunt, peccare possunt.

Conferamus itaque utrorumque excusationem & eorum, qui non audierunt, & eorum, qui audierunt; qui tamen Christus stultitia visa sit. Neutri in primis ullam suam Christi veritatem, aut Christum quærendi obligationem agnoscunt, aut vel dubitant quidem, aut suspicantur; nam alii nec nomen sciunt; alii nomen quidem sciunt; at rem significatam prorsùs ignorant, nec rem quærendam, sed detestandam, atque à mundo delendam arbitrantur. Alii ergo dicent; quo modò crederemus ei, quem non audivimus? alii dicent: quomodò ei crederemus, qui nobis, nostrisque sapientibus ipsa stultitia, scandalumque videbatur, & existimabatur.

Jam utrisque vides deesse notitiam omnem obligationis suæ ad quærendum. Licet verò alii rem ipsam quærendam pravè saltem norint; tamen ut quis ad quærendum moveatur, non satis esse videtur, rem, ad quam movendus sit, nosse; sed præterea eam apprehendat, necesse est, ut sibi necessariam, vel convenientem, & quoquomodo bonam, experendamque; nec malum notum ad se magis movet, & allicit, quam moveant, quæ omninò ignorantur; quin ignorata quidem non movent; mala autem existimata repellunt potiùs, & movent. At his, de quibus agimus, qui Christum audierunt, Christus quidem innotuit, sed tamquam vel stultitia, vel scandalum, non ut res sibi ullo modo necessaria, aut bona, & expetenda, sed mala potiùs, & vitanda: quare in sensu composito suæ erroneæ conscientiæ etiam peccavissent contra conscientiam, si quæsivissent, & Christum, atque nos persecuti non fuissent, ut patet ex libro primo, videtur ergo, quod tam, vel minus hi, qui audierunt, de quibus agimus, quærere aut possent, aut tenerentur, quam illi qui non audierunt. Et tamen illi peccarunt. Ergo peccare etiam possunt, qui non audierunt.

Etenim, ut ad finem §. præcedentis dicebatur, prorsùs neutri directè, & voluntario directo quærere aut possunt, aut renentur: utrique autem posse videntur indirectè: utrorumque proindè ratio, causaque videtur una. Et exitus sanè apud aliquos rem probavit: nam sicut eos, qui non audierunt, ita etiam eos, qui sine scrupulo enormissimè errant, excusare cœperunt. At apud sapientes indubitatum est, hos peccasse. Non ergo superest ratio saltem expedita, perceptibilisque, cur hi, qui non audierunt, non etiam peccent.

Idcircò scilicet illi, quibus stultitia, vel scandalum Christus visus est, qui proindè obsequium etiam se Deo præstare eum insequendo arbitrabantur; tamen peccarunt; quia culpa sua Christus ipsis stultitia, vel scandalum videbatur, ex quo error sibi suus imputabatur, nec à culpa non non credendi liberabat. At similiter qui non audierunt, culpâ sua non audierunt; constitutum quippe est, omnes facientes, quod est in se neque peccantes, certissimè audire. Ergo h[illegible] sua ignorantia imputari potest; quemadmodùm suus illis error.

Universim quippè libro primo, Ductore Apostolo ad Rom. 1. & commentatore D. Thoma, aliisque ex locis dogma illud statutum est, primum quidem peccatum uniuscujusque ex ignorantia, vel errore non esse; ex quo tamen semel scienter peccatum est, ignorantias, & errores indè per se natos non excusare; quod opinor, clarè, ac innegabiliter ibi declaratum est. Et si certè aliquandò, & in aliquibus ita esse, ambigere videtur posse nemo; nam salva fide peccata ignorantiæ, & erroris negari nequeunt, quibus ex ignorantia, vel ex errore lex violetur: implicat autem in ipsis terminis evidenter, peccare quem ex ignorantia, & ignoranter; & tunc peccare sciendo se peccare: quare voluntarietas peccatorum, ignorantiæ

ignorantiæ nequit fumi ex ipsis illis, & quasi seorsim. Sumenda est ergo à culpa alia priori scientèr admissa, & non satis retractata. At hoc pacto non auditio est voluntaria iis, qui non audiunt; quemadmodùm audientibus, sed errantibus, quibus Christus stultitia, vel scandalum visum est propter peccata sua ita visum est. Non ergo apparet, cur alii præ aliis excusandi sint.

Hæc causa fuit, cur quæst. super §. 4. Hugo de S. Victore sine unitatione affirmandum existimaverit, vel nullos esse, qui non audierint, vel si fortè aliquis est, si ejus culpa non obstitisset, eum audire, & scire potuisse, & debuisse. Si igitur Apostoli auditi sunt, contemptores condemnabuntur; vel si auditi non sunt, culpa sua fuit, & ignorantes ignoranrur, & non salvantur, aiebat Hugo. Neque enim Paulus ait, qui audiit, & ignorat, ignorabitur, sed absolutè pronuntiat, *qui ignorat, ignorabitur*: absolutè item scriptum est, non quid m, qui audit, & non credit, *sed qui non credit, jam judicatus est*.

§. V.

Videtur ergo ab omnibus concedendum, in aliquo, quod auditum numquam est peccari posse.

OMnibus, inquam, qui peccata ignorantiæ non sustulerunt, & quidquid conscienriæ etiam ignoranti, & erranti consentaneum fuerit, non modò à culpa eximunt, sed & rectum esse præstereà volunt; quæ sanè ignorantia latissimè grassata infecit plurimum mores, vitamque statuum fermè omnium.

Reliqui porrò videntur concessuri, peccari posse, quod numquam auditum sit; quia negligentia fuit supina, & torpentium, vel affectata, ac malè vivere volentium: quæ ex lib. 1. plenius constant, & hic cursim significabuntur. Etenim ut peccata cætera, sic etiam peccata ignorantiæ alia sunt commissionis, in quibus, & si malitiam ignoremus, rea tamen ipsas, in quarum persecutione delinquimus, auditas nobis esse, & notaa necesse est.

Sunt verò alia omissionis; in quibus aliquandò malitiam ignoremus, aliquandò res etiam ipsas: quas ut omittamus, & non agamus, nosse necesse non sit. Omnes una Theologi obligant homines Christianos ad aliquam demùm peragendam diligentiam. Tum ut hominis, tum ut sui officii obligationes, legesque agnoscant. Negligat prorsùs aliquis omnia pluta certè non audiet; non enim ipse per se leget, neque ab aliis interogabit; non ergo audiet. Et tamen ita eum sua ignoranria non excusabit, ac in iis etiam ipsis peccabit, quæ nunquam audivit, ac vel nomina quoque ipsa ignorat. Ergo peccari in aliquo potest, quod numquam auditum sit.

Probè equidem scio; dicturos hic aliquos, eum, qui ad se petrinentia cuncta sic prætetit, in ill sua solùm negligentia, quam scienter admittit; non autem in sequentibus ex ignorantia peractis rebus peccare. Sed hos ita dicentes non prætetivimus; nam hi sunt, & hoc ipsum est peccata ignorantiæ negare, delereque quibuscum libro primo, disceptatum est.

In eum modum sit Rex, vel Princeps, qui torpeat totus, vel delitiis, vitiisque immersus nihil magis Regni administrationem curet, quam si non esset. Erunt certè in Regno plurimi, quos punire deberet; plurimi, quibus præmia rependere: alii, quibus debita solvere, alii quos ad ecclesiæ curam, ad justitiæ administrationem quærere, diligereque debuisset. At ipse nescit, num sint in mundo ii homines, num quidquam debeat; num scelera mulctentur? in aliis totus est. Excusetur ne? Nemo sapientium vel excusat, vel dubitat; & solùm illi, qui peccata ignorantiæ sustulerunt, in una negligentia culpam universam ponentes, actus sequentes, & culpæ immunes, & si superis placet; Regni etiam cælestis meritorios efflagant, contra titulos ipsos librorum, & quæstionum de ignorantia.

Sic habemus omnes sacram scripturam, cælitus à Deo, ut rectè vivere sciamus, consignatum librum Habemus corpus juris plenum doctrina, & legibus: habemus similia multa: in certè plurima sint, quæ negligentes, ac sæculo deditì toti audiverint numquam & tamen hæc nostra nos negligentia non liberat, ut constat ex libro primo nec dubium, quin in eo, quod expectamus, ultimo judicio de multis quærendi simus, quæ nusquam in mentem venerint; & eorum instat, quos in evangelio legimus, admitando magis dicemus, *quando te vidimus esurientem*, &c. Atque ista hic ex libro primo significasse suffecerit. Ex his autem cernitur, peccare eos posse non credendo, qui non audierunt; siquidem culpa sua non audierunt; *nam salus religionis hujus, per quam solam veram, salus vera, veraciterque promittitur, nulli umquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit*, aiebat Augustinus.

§. VI.

Quid ergo hac in re visum sit Sanctis, ac Patribus?

AB Augustino ordiendum, qui pro impunitate eorum, qui non audierunt, objectus est: certè vidimus §. tertio, eum in illo ipso tract. 89. in Joannem rem denique Dei judicio commisisse. Epistola verò 105. ad Sixtum Paulo post medium sic docet: *dicit enim Dominus in Evangelio, si non venissem, & eis locutus non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Non utique peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis, multisque peccatis, sed peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo cum audissent, non crediderunt in eum; hanc eos excusationem non habere asserit, quo possint dicere, non te audivimus, ideò non credidimus.* Certissimum scilicet est, quod hic Augustinus, illud peccatum eos non habere, qui non audierunt, quo cum audierint, non crediderunt: habere potius eos eam excusationem, qua possint dicere; *non audivimus, ideò non credidimus.*

Sed Pater Augustine, num hæc excusatio satis ad innocentiam? subdit continenter, atque respondet: *hanc eos excusationem non habere*

asserit. qui possint dicere, non te audivimus; ideò non credidimus. Humana quippè superbia tamquam præsumens de viribus liberi arbitrii, excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat. Humanæ ergo superbiæ esse Augustino visum est, eam excusationem, *non te audivimus, ideo non credidimus*, ad innocentiam prorsùs sufficientem arbitrari. Sugillat porrò Pelagianos nimios liberi arbitrii exultatores, qui quod prorsus ultro, scienterque voluntas non admittebat, sed in quæ per ignorantiam labebatur, peccata non censebat, ut lib. 1. commonstratum est. *Secundum hanc excusationem*, subjicit Augustinus, *inexcusabiles dum divina scriptura quoscumque scientes peccare convincit; Dei tamen justum judicium nec illis parcit, qui non audierunt; quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et quamvis sibi ipsi excusare videantur, non admittit hanc excusationem*; vides planè te totum in promptu, si hæc de peccato materialiter tali explicatum eas: nam ignorantia invincibilis excusat. Hæc tam clara Augustinus, qui etiam alibi universalissimè pronuntiavit; *non est, qui se abscondat*, &c. *nullam mortalium permisit excusare se de umbra mortis.* Excusat autem se rectè, & ex toto qui ignorat invincibiliter.

Ambrosius epistolar. lib. 5. epist. 41. ad Irenæum: *nam sine lege peccatum nesciebatur, & minor erat culpa, ubi erat culpa ignorantiæ. Undè & Dominus ait, si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent*, &c. Culpam ergo majorem, non omnem, non minorem, & ignorantiæ Ambrosius negat in eis, qui non audierunt. Rursus lib. 8. Commentar. in Lucam cap. 18. ait: *etenim Atheniensibus ignotus Deus; in Judæa notus, sed non receptus. Et ideò qui ignorat, ignorabitur: qui prævaricatur damnabitur: nec ille exutus à culpa, qui suum nescivit Authorem.* Denuò ser. 8. in Psalm. 118. *misericordia Domini plena est terra: sed sole justitiæ omnibus ortus est, omnibus, &c. si quis autem non credit, generali beneficio ipse se defraudat, ut si quis clausis fenestris radiis solis excludat.*

Iterum Augustinus lib. de grat. & libero arbitr. cap. 3. *illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet, sed fortassis, ut mitius ardeat; non enim sine causa dictum est: effunde iram tuam in gentes, quæ non noverunt.*

Chrysostomus hom. 7. in Joannem. *In præsentia autem necessarium est id charitati vestræ exponere. Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent? Neque enim omnes Christum cognoscunt: quomodo ergo illuminat omnem hominem? illuminat profectò, quantum in ipso est. Sequi autem sponte sua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere nolunt, non ex luminis natura in tenebris persistuerunt, sed malitia sua sponte tanto dono indignos crediderunt. Nam gratia in omnes diffusa est: non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham; non liberum, non servum; non virum, non mulierem; non senem, non juvenem effugit, aut dedignatur*, &c. *Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent.* Imputabilis est ergo, ac voluntaria omnis prorsùs hæc ignorantia, & cæcitas Græci, Barbari, Scythæ, ac omnium hominum venientium in hunc mundum. Alium expressum, & fortissimum locum in idem dabo lib. seq. ex homil. in epist. 2. ad Rom.

Quin Tertullianus lib. 5. adversus Marcionem ignorantes ipsas gentes per evangelium, & secundum evangelium, quod nesciebant, judicandas existimat: *utique is Deus judicabit, cujus sunt & lex, & ipsa natura, quæ legis est instar ignorantibus legem. Judicabit autem quomodo? secundum evangelium, inquit, per Christum.*

Et in Apologetico adversus gentes cap. 40. ad ipsorum, iramque Dei promeritam refert gentium ignorantiam, ut Paulus expresserat: *semper humana gens male de Deo meruit; primò quidem ut inofficiosa ejus, quem cum intelligeret ex parte, non requisivit, sed & alios insuper commentata est, quos coleret: debinc quod non sibi commendo Innocentiæ Magistrum, & nocentiæ judicem, & exactorem, omnibus vitiis, & criminibus inolevit. Cæterum si requisisset, sequeretur, ut cognosceret requisitum, & recognitum observaret, & observatum magis propitium experiretur, quam iratum. Eumdem ergo nunc quoque scire debitum, quem & retro semper, priusquam Christiani nominarentur.* Et concludit: *illius rea est, cujus sen eis & ingrata.* Pauli est sententia, & contextus, & ordo ignorandi totus quantus. Et cap. 17. dixerat: *& hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt*, scilicet ex toto; quod imitatus à Magistro Cyprianus ait: *hæc est summa delicti eum nescire velle, quem ignorare non possunt.* Quæ licet de cognitione Dei dicantur, eodem pacto ignorantiam Christi hominum vitiis deputandam esse commonstrare videntur.

Haud sane memini, utrum libro primo exposuerim ex Augustino libro decimo confess. capite undecimo istam ignorantium, vel obliviscentium rem aliquam, quam ex parte, vel vix etiam ex parte norint, aut cogitant, totam quærendi facultatem: *an non totum exciderat*, inquit, *sed ex parte, quæ tenebatur, pars alia quærebatur, quia sentiebat memoria se non simul volvere, quod simul solebat?* Haud, inquam, memini, utrum explicaverim hoc exemplo rem nostram: atque in dubio præstabit aliquid inferius dicere.

S. Prosper libro secundo de vocat. Gent. cap. 5. *neque ob hoc excusabiles sint nationes, quæ alienatæ à conversatione Israel spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt*, &c. *Adhibita enim semper & universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ & si parcioris, occultiorisque gratiæ fuit sufficit tamen, Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Atque istam Prosperi casualem multi probare cogi videmur; quia communiter ut superiùs ostendimus, ponunt, ac nisi Deus salutem suam aliquibus impossibilem esse voluerit, ponendum sanè est, eum, qui agit, quod est in se, fide Christi donandum. Exponunt autem, & intelligunt de agente, non ex naturæ solius viribus, sed gratiæ; quam proinde ad omnes prorsus gentes extendunt; ergo eodem modo, ac jure aliqua cælestis, ac revelatæ doctrinæ mensura omnibus est concedenda, cum neutra præ altera promissa sit; & gratia, qua possis, frustra dari videatur, si alia doctrinæ,

qua

qua innotescat, quod latebat, non etiam, concedatur, à propter alia tractata.

Dixeris fortè; Augustinum, ac reliquos Patres gentes dixisse inexcusabiles, non in eo, quod non credant, nec in hoc infidelitatis negativæ peccato, sed in aliis, quæ perpetrarunt. Verùm in hoc interpretationum genere disuciendo morandum non duco: clarè sancti loquuntur; ac eodem jure, & modo exponete Dominum de Judæis possunt, eos scilicet excusationem non habere de aliis peccatis suis: ubi multa sciens prudensque prætermitto sarius sæpè arbitratus, non quaslibet utrò motas lites admittere.

S. Bernardus epist. 77. ad Hugonem de S. Victore, nisi attento, & totus perlegetur, facilè pro fectò in contrarium allegetur; & revera ejusdem eum Hugone, quem tanti facit, est etiam ipse sententiæ, & sensus refutat scilicet in primis quamdam nescit cujus assertionem ab Hugone relatam, quâ dicebatur, neminem salvari posse sine baptismo in re, vel martyrio etiam contritum, ex quo Dominus Nicodemo dixit, *nisi quis renatus fuerit*, &c. Bernardus porrò hoc, quod in tenebris, & in aure Salvator locutus est, mundum obligare potuisse perabsurdum jure habuit: *quid ergo: ait: nedum lex promulgatur, & tamen prævaricantes tenentur? Et quo modo credent, tu quem non audierunt?* Et hanc partem concludit: *quod ergo fiers omninò non poterat, si non audiretur, quo pacto; quæso, exigi debeat*, &c.

Subdit mox. *Vide autem, quomodò hoc refugit Apostolus, & de solo audire convincit incredulos. Sed dico*, inquit, *numquid non audierunt? Ac si dicet: excusari poterant si non audissent: ubi enim non est lex, neque prævaricatio. Nunc vero: cum in omnem terram exterit sonus prædicantium, & in fines orbis terræ verba eorum, quia dissimulari jam non valet auditus, auditus profectò inexcusabilis est contemptus. Multa profectò sciendæ nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem.* Pudeat ergo Recenriores, Bernardum tam suum supponere.

Concludit ergo, nec quandò Nicodemom Salvator allocutus est, neque quandò Apostolis injunxit, *ite, & docete omnes gentes*, legem baptismi obligare cæpisse; sed ex eo tempore tantum inquit, cuique cæpit antiqua observatio non valere, & non baptisatus quisque reus esse novi præcepti, ex quo præceptum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenite notitiam. Hoc autem tempus juxta Bernardum elapsum pridem fuit, ut, arguebar ex Apostolo; & tam juxta ipsum, nullus non baptizatus jam reus esse definit novi præcepti, quam nulli jam valet antiqua observatio, vel circuncisio; utrumque scilicet una cæpisse contestatur. At nulli jam prodest antiqua observatio. Nullus ergo non baptizatus alterutro trium modorum reus esse definit novi præcepti: omnes quippe scire jam possunt. Sed de promulgatione Evangelii infrà distinctiùs

§. VII.

Paulus quoque omnibus gentibus excusationem sustulisse videtur.

Excusatio, quod sæpè observatum est, alia quidem ostenditur, quæ culpam nullatenùs diminuat; alia, quæ diminuat, sed non tollat; alia, quæ tollat prorsùs. Supponimus porrò, gentibus, si quæ sint, quæ non audierint, excusationem illam haud illi, qua dicant, non audivimus: quod certè minùs saltem infidelitatis peccatum est. At videtur, Paulum gentibus prorsùs omnibus eam excusationem sustulisse, qua excusare se à peccato omninò possint; quia scilicet si non audierunt, tamen potuetunt. Atque Paulum eò itum illo cap. ad Rom. ut excusationem omnibus adimeret communis senrentia est, ut §. 1. vidimus: ubi præterea annotavimus, quod verum sanè videtur, non plus oportuisse eo magis tempore, quam modo gentes constituere, dicereque inexcusabiles.

Paulus itaque præscribit primum, quod indubitatè tenendum est, justitiam secundum Deum nullam prorsùs esse sina Christo; fideque ejus. Mox incipit removere eam, quæ hic urget, difficultatem, quam inferiùs expressè proponit, quod scilicet non omnea habere Christum invenire valeant.

Quæ autem ex fide est justitia, ait, sic dicit: ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cælum? id est Christum deducere? aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus.

Quid scilicet Moyses Deuter. 30. ut plerique censent, de verbis solùm legis litteraliter scripsit, resumit hic Apostolus, & ad Christum, fidemque ejus transfert, ut omnes concordant, & hoc ipso Pauli usu jam litteraliter de Christo vera ea sunt. *Nec est inconveniens*, glosat S. Thomas, *quod dixit Moyses de mandato legis, hoc Apostolus attribuit Christo; quia Christus est Verbum Dei, in quo sunt omnia Dei mandata. Et Theodoretus: ita, quæ scripsit Moyses, & hoc loco citat Apostolus, Deus universorum dixit de lege, docens Iudæos, quod sine labore ipsorum doctrinam eorum: quæ agenda erant, accepissent, & neque adventu ad cælos*, &c. *indigerent. Id autem, quod de præceptis Moyses dixit, hoc ipsum nos de fide dicimus.* Quemadmodùm ergo in populo per ignorantiam legis excusari non poterant; quasi invenire eam nequirent, propè erat verbum, non supra cœlum, & transmare positum; ita modò, ut argumentatio Apostoli evincat, nullus in mundo per ignorantiam Christi excusabitur; *non enim, ut subdit est distinctio Iudæi, & Græci*, id est, *gentium*: & sic est Christus propter omnes, & ad omnes, & singulos; scivit olim lex illa propter populum, & ad Judæos. Erant quidem etiam tunc ignorantiæ legis in populo; haud tamen ex toto excusabant. ut lib. 1. ex Levitico maximè probatum est. Erunt etiam sic nunc in mundo ignorantiæ Christi; nec tamen, quæ in totum excusent. Si enim modo gentibus inaccessum est Christum agnoscere, corruit argumentatio Apostoli, & legis ad Christum translatio; nec illa, quæ ex fide est, justitia diceret, ut Paulus contestatur, *prope est verbum, in ore, & in corde tuo verbum fidei, quod prædicamus: prædicabant autem Iesum Christum, & hunc crucifixum.*

Sed hoc, inquis tu, ego non intelligo; quorsùm propè sit, aut esset verbum fidei, quod prædicabant; cum transmare multæ gentes degerent, quibus proindè verbum fidei esset etiam transmare. Verum qui simus nos, qui cum Apostolo contendamus? quid rursùs hoc? non intelligo; ergo non credo.

At Apostolus tibi morem gerens difficultatem istam tuam continenter sibi objecit: *quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei, quem non audierunt?* &c. Neque verò ullas ideò gentes excusandas censuit, ac difficultati cessit: *sed dico*, inquit, *numquid non audierunt?* & reliqua illa subdit, quæ commemoravimus: atque ex Isaia etiam adjicit: *Isaias autem audet, & dicit: inventus sum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.*

Hinc dupliciter arguere licet. Primò, quia tunc saltem, in quo plerique interpretes consentiunt, nullæ gentes excusandæ ex toto erant. At quod sæpe usurpamus, nulla ratio est, cur tunc magis, quam modò gentes tenerentur; & promulgatio ea, ut etiam annotavimus, pro eo, ac pro omni prorsus tempore facta fuit. Ergo modò etiam tenentur gentes, nec ex toto excludendæ sunt.

Rursus sic: etiam non quærentes, & nihil interrogantes inveniunt Christum, ut Paulus ex Isaia constituit; & scimus sanè, gentes aliquas, quæ non modò non quærebant, sed omni scelerum genere tabescebant, Christum invenisse, quibus sanè palàm apparuit per suos eo ductos prædicatores: & qui in ecclesia etiam nascimur, ita fermè invenimus. A fortiori ergo, qui indirectè saltem quærunt, hoc est, honestatem ex concessa sibi gratia consectantur, inveniunt: atque de his proprissimè intelligi potest, *inventus sum à non quærentibus me*; non enim ipsum, cujus nullam in particulari notitiam habebant, inquirebant; honestatem quærebant solùm, quam noverant, & Christum, qui virtus omnis, & honestas est, inveniunt.

Itaque ad hunc Pauli locum, ut §. 1. visum est, sancti Patres dissentiunt quidem, num omnes prorsùs gentes audierint? & plerique tuentur, omnes audivisse: qui proindè ponunt eas inexcusabiles. Augustinus in hoc dissidet, qui tamen de inexcusabilitate conveniat, ut §. præc. ostendimus.

§. VIII.

Ex infidelitate positiva ad negativam arguitur.

GEntes omnes peccare in non credendo, satis communem, & solemnem opinionem corduba jure asserebat, quam etiam ipse problematicè sectatus est. Nos sanè in eam valdè propendemus, & ne prorsùs teneamus, D. Thomæ, qui tanti nobis est, authoritas maximè revocat: consultum tamen visum est afferre multa, quibus benè audiris, riteque perpensis sapientiores dijudicent, quorum demum judicio rem committimus.

In primis itaque exploratum habeo, actum illum, quo gentes quæque, aut homines de facto non credunt, esse peccaminosum, & infandum. Nullæ scilicet gentes in mundo sunt etiam Christum prorsus ignorantium, infideles solùm negativè, sed positivè, & contrariè infideles sunt omnes, & religiones suas habent, & Deos aliquos colunt. At infidelitas positiva, & contraria, ac idolatria est peccatum, & infandum sine controversia, ut patet ex 2. 2. quæst. 10. art. 1. & 3. & apertè ex Apostolo ad Rom. 1. ac ex scripturis aliis, & authoritate Patrum omnium, qui adversus gentes scripserunt. Ergo actus, quo gentes quæque, aut homines credunt, est peccatum, & infandus.

Expono; vel quis non credit, cum tamen audierit? & hic peccat etiam juxta sapientiores contrariæ sententiæ: vel nihil audivit, & Christum prorsùs non novit? atque de isto est quæstio. Hic porrò nequit habere actum, aut omissionem, qua directè nolit credere, ut patet. Hujus ergo voluntas non credendi est illa solùm, qua vult colere Deos suos, & credere religionem suam. At hæc voluntas est mala, & inexcusabilis; item mali, ac inexcusabilis sua fides falsa, & infidelitas positiva. Ergo actus tam voluntatis, quam intellectus, quo non vult credere, aut non credit is, qui non audiit, est malus, & inexcusabilis.

In omni itaque eo, qui non audivit, infidelitas negativa, qua verum non credit, in unum, eumdemque actum videntur concurrere; nec enim quasi seorsim vero ignorato dissentit, & quasi seorsim falso consentit, sed falso consentiens vero dissentit. Hic autem actus re ipsa in se malus est; & tota hic quæstio ad hoc videtur revocari, num actus ille non solùm quà falsos Deos, falsamque religionem credit, sed etiam quà verum Deum veramquè religionem non credit, pravus sit. Quare re ipsa haud tanta videtur esse quæstio, quanta repugnantibus quibusdam visa fortè est.

Jam porrò non facile capitur, actum illum, qua falsi assensus est, esse pravum & inexcusabilem, si ignorantia veri, & virtualis dissensus inculpatus sit, & prorsus excusandus. Qui pacto scilicet falsum cavere possit is, qui verum scire prorsùs nequit? nam falsum non nisi per verum innotescit esse falsum, sicut malum per bonum, & omne obliquum, & distortum per rectum. Qui ergo prorsùs innocenter, ac inculpate verum nescit, & ignorat, etiam innocenter, ac inculpatè falsum contrarium amplectetur. Qui ergo verum, Deum prorsùs invincibiliter, & inculpatè nescit, & ignorat, falsos ille Deos etiam invincibiliter, ac inculpatè amplectetur, & qui veram religionem eodem modo nescit, & ignorat; etiam invincibiliter, ac inculpatè falsam sibi visam veriorem prosequetur. At hæc falsa sunt, quia infidelitas saltem positiva & contraria haud dubiè peccatum inexcusabile est.

Hæc autem in longum tendi, confirmarique possunt, ex libertate requisita, & necessaria ad omne peccatum; sive enim de actu voluntatis infidelis agamus, sive de actu intellectus, in quo infidelitas positiva consistit, demus planè, infidelem liberum esse, ut suos Deos, & suam religionem, & alias falsas, quas novit, non credat, fiatque uno verbo ore & corde Atheista. At opinor, Theologorum dogma haud est, cæteras quidem infidelitates positivas peccatum esse; Atheismum verò peccatum non esse. Ergo per hoc solum quod Atheista esse potuit, & non fuit, infidelis non peccat. Ergo libertas infidelis explicari nequit neque respective ad Atheismum, & nullam religionem; neque item respectivè ad suam religionem solam; quia libertas necessario postulat duo extrema. Ergo solùm explicari potest respectivè ad Deum verum, & ad religionem veram. Quod autem dictum est de libertate, præter quam obligatio vitandi ad omne peccatum requiritur, eodem modo, ac terminis de obligatione quoque probatur. Concluditur ergo, infideles non solùm physica libertate pollere, sed morali, ac obligatoria teneri ad verum

Deum

Deum colendum, & ad veram religionem: sin minùs, eos necessitatos fore vel ad falsam aliquam, vel ad nullam religionem; nec in eo peccaturos; quod falsum est.

Sed dices, & sapienter sanè dices, actum infidelis sive voluntatis, sive intellectus, non solùm quà amplexivus est falsorum Deorum, sed quà etiam prætermissivus, & ignorativus veri Dei, esse planè peccatum, idque esse apertum in Apostolo ad Rom. 1. & nisi hoc admisso, locum habere non posse, quod S. Thomas, ac Sapientes verè docent art. 3. infidelitatem quippe positivam non solùm peccatum esse, sed maximum etiam peccatorum loquendo ex se, ac prætermittendo peccata opposita spei, & charitati: quin alioqui id monstri secuturum, quod peccata invincibiliter ignorantium verum Deum non sint aversio ab eo moralis, ac immutabilis, sed extra genus moria; quare nec offensæ Dei erunt, nec quid magnum, sed culpæ ut summum philosophicæ, neque enim, credo, magnum quid erant, quia erant aversiones à Jove, vel Marte, à quibus certè per adulteria, ac similia non avertebatur, sed accedebatur. Supponis itaque, infidelitatem etiam qua negativam, & omissivam veri unius Dei esse.

Peccatum: sin minùs vix non d sipiemus cum Zvinglio, qui in expositione fidei ad Franciscum I. Galliarum Regem scribit: hic in æterna vita visurus est Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones; quam stultitiam propugnandam suscepere Thalmanus, Gualteus, & alii; atque priùs Sitteratus Erasmus. Ciceronem, Maronem, Horatium suos Apostolos cælo donaverat. Certè si ignorantia saltem veri Dei inexcusabilis non sit, cur, & undè si non cælo, saltem limbo aliquos donari non debeant ita ignorantes omnes, non satis assequor: nam qui invincibiliter Deum verum ignorant, unum Deum peccatis suis non offendunt: O quanta esset fælicitas talium.

Fateris ergo, hanc ignorantiam esse planè omnibus inexcusabilem: & ubi Deus citra culpam non est, ibi culpas etiam ipsas vix culpas esse, certè non Theologicè tales. At non esse hic quæstionem saltem præcipuam de infidelitate negativa unius Dei & veri Dei, quem omnes audierunt, sed Christi, fideique ejus, quam quidam non audierunt, nec undè agnoscere possent, habuerunt.

Et ego quoque fateor, argumento facto id directè confici, omni infideli, qui per suam infidelitatem positivam, & contrariam, fidemque, & cultum falsorum Deorum utique peccat, concedendam esse libertatem ad aliquod extremum contrarium bonum: quod nec Atheismus, & nulla fides, nec falsa alia fides, & religio esse potest. Ergo erit fides & cultus unius saltem veri Dei: sin minùs unum è duobus alterum altero falsius deglutiendum erit, & dicendum, vel infidelitatem positivam, & contrariam, atque idolatriam peccatum non esse; vel infideles necessitatos esse ad peccandum. Et sanè infidelitatem positivam, ac veri Dei ignorantiam inexcusabilem esse multis aliis facile demonstratur: sunt tamen, qui promptè rerum omnium ignorantias invincibiles inducant: nihil est evidentius invincibiliter ignorari non posse, quam verum Deum. Sed hoc omittamus, quod apud sapientes constat planè: & cum Zvinglio salvare omnes possunt.

Habemus ergo Infidelem quemque inexcusabiliter obligatum ad fidem, cultumque unius veri Dei. Ergo obligatum, ut Patriis suis, suorumque abjuratis Diis, abjurata etiam religione, novam contra suos religionem unius veri Dei capessat, seque à suis prorsùs moribus, ac vita segreget. At hoc in primis valdè videatur arduum, & paulò minùs, atque ad quærendum Christum obligare. Hoc deindè, ut par est, facientibus omnibus, & si degant inter lupos, præsto est Deus qui certissimè de Christo, deque ejus fide instituat, ut superiùs sancitum est. Sibi ergo imputetur, si non audierint, atque invenerint.

Expone. Vera integra fides, & religio multis constat; primo cognitione unius veri Dei, atque etiam Remuneratoris; nam omnem accedentem ad Deum oportet credere ista duo, ut Paulus præscribit; omnis autem homo potest ad Deum accedere; alioqin nec recederet libere, neque peccaret. Deindè vera integra fides, & religio addit alia, scilicet cognitionem Trinitatis, Christi, &c. His cunctis integra fides constat; & horum similiter omnium inventio e constat inventio veræ integræ, & necessariæ fidei: in qua tota inventione quasi inchoatio, principiumque fit Dei unius Remuneratoris inventio. Ad istam inchoationem, & inquisitionis, motus quæ principiom tenentur omnes: rectæ autem inchoationi annexa est certissimè prosecutio, & totius inventio: ergo quemadmodum ei, qui moveri non vult, nec iter agredi, crimen est, non solùm, quod moveri non cœperit, sed etiam quod non pervenerit, quò pervenire oportebat, & totum simol unum peccatum est; ita infideli, qui ad unum verum Deum motus non est, & motum integrum quærendæ veræ religionis incipere ultrò recusavit, non modò crimen erit, quòd non inchoaverit, sed etiam quod non pervenerit. Ut porrò totam imputari possit, in fide, & cognitione Dei, quod inquirentibus se Remunerator sit, ac justus rerum suarum Administrator, clauditur cognitio confusa, & implicita etiam eorum, quæ inquirentes ipsi in specie, ac in terminis non noverint: at ostendimus lib. 1. has cognitiones rem non in se, sed in universali, atque in confuso cognoscentes sufficere ad peccata ignorantiæ.

Hunc fermè in modum diximus ex sententia satis communi, & vera, actus humanos nostros etiam interiores, maximè verò exteriores, ac pinguiores concupiscentiæ, & iracundiæ, in quibus ratio fere ipsa absorbetur, non esse instantaneè, ac momentaneè liberos, sed ex suppositione, quod fiant, durare necessario aliquandiù: peccatur tamen non solum in inceptione, sed in toto etiam actu, nec sola inceptio, sed totus actus ex inceptione, & continuatione compactus peccatum, & unum peccatum est, etsi quasi seorsim ab inceptione continuatio necessaria peccatum esse non possit. Eodem ergo modo nolens incipere accedere ad Deum credendo quia est, & inquirentibus se Remunerator est, non solùm in non inchoatione, sed in non prosecutione etiam necessaria, non quasi seorsim sed uno peccato omissionis, & ignorantiæ delinquet, sic enim de omissionibus, quemadmodùm de actibus est negativè

garivè philosophandum. Nec propterea in continuatione actus peccare quis cessaret, quia falleretur, existimaret, se posse instantanea libertare, quâ in momento, & in ictu oculi actus quosque incipere, interrumpere; aggredi desistere posset, aut hoc ignoraret; nam & si ita existimaret, vel ignoraret, peccaret utique, quandiù peccaret, & v.g. coiret. Sic non inventio Christi, quem quis non audiverit, quasi seorsim culpa ei esse nequit: at culpa fuit noluisse incipere quærere: culpa ergo erit non prosecutio, & si eam in se ignoret.

Nihil verò difficultatis habet, quod ignorantia Christi, quem quis non novit, sit nihilominùs culpa. Nam ut plurima hoc circa prætercam, & exemplo utar hujus ipsius quæstionis, farentur etiam adversarii, ignorantiam eam esse saltem pœnam. At ex terminis tam videtur captu difficile, ignorantiam aliquam esse alicui pœnam, quam vel ignorantiam esse, vel pœnam esse posse, prorsùs ignorat ipse: quam sit captu difficile, eam ignorantiam esse alicui culpam, quam vel ignorantiam esse, vel culpam esse posse, ipse ignorat prorsùs. Certè Christianis maximè illud farendum est, *delicta quis intelligit?* ecquis scilicet Philosophorum, quis hominum, nisi credidisset, & desuper agnovisset, sua ratione, discursuque intellexisset, peccari etiam aliena voluntate posse? nondùm nos natos esse, nihil prorsùs intelligere, vix etiam conceptos esse; & tamen verè peccatores, filiosque iræ existere? Exigua adeò voluntarietas ad culpam sufficit. Magis porrò voluntaria videtur omni infideli non accedenti ad Deum, quod Christum non noverit, quam fuerit ipsi comestio primorum Parentum: nam si ut potuit, accessisset, invenisset.

Ex quibus sanè omnibus ita videtur philosophandum. Scimus scilicet ac indubitatum est, permittere Deum inter Christianos hæreses plurimas propter ipsorum peccata; quos sane hæreses nec ipsi anteà prævidissent; posteà verò cum eas amplectentur, creduntque, verissimas habeant existimantes falsum verum, & malum bonum; & tamen peccent per eas, nec error ipsos suus excuset, ut lib. 1. habitum est. Sic utique idem Deus negare gentibus potest, ac etiam negat sæpe Ministros Evangelii propter ipsorum scelera: ex quo ignorantia eis imputetur, sicut errantibus errores sui. Quæ aliis judicanda proposuisse suffecerit.

QUÆST. XIII.

In idem. Utrum ergo lex Dei, & Evangelium satis promulgatum fuerit, sintque proindè omnes inexcusabiles?

Hoc ex loco istæ de fide, & lege Dei quæstiones magnam lucem accipient; sunt enim quidam, qui legum promulgationem, fidei propositionem, & ex bis consectoria alia passim cum in ore habeant, propria tamen significata confusisse, invertisseque videantur.

§. I.

Quædam valdè remota, ac falsa de promulgatione legum, & de propositione fidei existimationes cursim repelluntur.

Pet actuales itaque nostras, & uniuscujusque ipsas cognitiones, & existimationes legum promulgationem, fidei propositionem, credendi obligationem, ac consequentia alia explicare nituntur, nec vetus proverbium admittere volunt, quo scire, & scire debuisse pro eodem habebantur: unde ut lib. 1. satis dictum est, ignorantiam quamque reddant maximè desiderandam.

In primis ergo, de quo part. 1. lib. 3. disputatum est, omnes eas leges dicunt non esse satis promulgatas, de quibus, deque ipsarum vi, & obligatione sint utrinque opiniones probabiles contrariæ. Sed quod pace ipsorum dixerim, hoc est ipsos primos terminos, & notionem promulgationis invertere; cum promulgationes, & opiniones Authore distent, loco, tempore, ut paulò post apparebit, repulitque pridem banc inscitiam D. Vazquez 1. 2. disp. 156. cap. 1. supponens tamquam rem manifestissimam, aliud esse scientiam, & cognitionem legis; aliud omnino promulgationem. Hoc unum, quod etiam diceretur, planè supererat, cognitiones nostras, non partem solùm promulgationes esse, sed ipsas quoque leges, nec aliam legem esse, quam opinionem probabilem: & revera hoc demùm ponunt.

Adversus istam nimis latè propagatam existimationem illud semper objeci, stultum jam fore quidquam in probabilibus inquirere, an hæc, & illa mala sint, vel non sint? stultum item fore disputare; stultum aliquid malum, vel peccatum dicere. Hoc, quod ubique fidenter objeci, hic, ubi de promulgatione agimus, patet evidenter; nam nemo est vel juristarum, vel Theologorum, qui dubitet, promulgationem legis vel esse de essentia ipsa, & ratione legis; vel esse saltem conditionem necessariam, sine qua lex sit, quasi non esset; & siquam legem Princeps meditatus esset, aut quoquomodo condidisset quam tamen postea promulgari noluisset, in eam non delinqui, compertum est. Hujusmodi ergo ea cuncta erunt quibus libri morales implentur, & sunt utrinque opiniones probabiles contrariæ. Quid ergo quæritur, an hæc, aut illa sint mala? quorsum disputatur? quo pacto aliquid malum, aut peccatum esse pronunciatur? Quid his libris Bibliothecas adimplent?

Monendi deindè erunt Senatus, Magistratus, & Judices, leges illas omnes, de quibus sunt opiniones probabiles Doctorum juris, non esse satis promulgatas; esse illas proindè, quasi non essent. In talibus ergo nullus erit reus, delinquens nullus, non debitor, non defraudator: peccabunt ergo judices, si condemnaverint, judicando per leges non satis promulgatas; sicut si per derogatas, & antiquatas judicarent. Neque enim, opinor, dicent, leges Dei, ubi sunt opiniones probabiles contrariæ, non esse satis promulgatas; at promulgatas esse leges hominum; aut opiniones Doctorum partem esse promulgationis legis Dei; non item promulgationis legum humanarum,

Illud

Illud præterea via ista probabilium seorsim, à vero instituta nomquam, credo, satis expediet, quod cum ipsa probabilitatem, quæ est ab ea, quæ videtur esse, sed non est, hoc est, sophistica, distingvere omnino nequeat, (nam hoc unicè ex vero, vel non vero pendet) etiam per probabilitatem unicuique talem existimatam redderur lex non satis promulgata quoad ipsum: omni autem homini sua omnis opinio etiam improbabilis, & erronea, & hæretica re ipsa, videtur tamen probabilis, vel certa; nam videtur vera: videntur ergo ei sua fundamenta gravia. At, inquis, hic, cui ita videtur, vir gravis, ac prudens non est. Si ergo Genevæ disputes, ad hoc tota concertatio erit, quinam sint viri graves, & prudentes? ipsis sui, nobis nostri graves habentur: & nisi de vero, & falso, quod semper servatum est, disputatio instituatur, rixæ in primis suscitabuntur, & dicet unusquisque, sibi non esse satis legem promulgatam. Jam satis ostensum est, prudentiam, quæ à Deo est, nihil unquam falsum, legi Dei contrarium dictare. De his satis part. 1. Nunc maneat, nimis imperitè promulgationem legis cum opinionibus Doctorum commisceri.

De sufficiente etiam propositione fidei eodem fermè pacto philosophantur, nisi quod ubi de ista tractatur, opinionis probabilis, quod sciam, non meminerint. Exponunt ergo etiam illam per actuales nostras, & uniuscujusque cogitationes, & congnitiones; & nisi ita fides proponatur, qualiter nulli umquam corde hæretico, vel infideli proposita sit, haud arbitrantur, esse sufficienter propositam.

Aiunt enim, eam debere proponi tamquam evidenter credibilem. At quibus Christus stultitia videbatur, quibus item scandalum, id est, Judæis, & gentibus, non proponebatur tamquam evidenter credibilis, sed tamquam incredibilis: nam eis videbatur stultitia ipsa, vel scandalum; nec Paulus fallit. Ergo persecutoribus Ecclesiæ Judæis, & Gentibus Neroni, Diocletiano, Maximiano, & hoc genus pestibus hominum nec Christus, nec ejus fides satis proposita fuit. Quidam, nescio, quis torpens certè ingenio homo sua manifestissima miracula hic etiam inculcabit. Damus quanta volet miracula edita. Ex hoc illud sequitur: ergo Christus videri eis debuit Dei virtus, & sapientia: & est propositio catholica: non verò sequitur: ergo Christus Dei virtus, ac sapientia; non autem stultitia, & scandalum eis visus est; nam ista est propositio hæretica. Sed huic homini ut sibi videtur, omnibus in omnibus visum esse; & quæ sibi manifesta, quæ sibi probabilia sunt, cæteris quoque esse; & non alia, cum visum sit, ex toto errer, necesse est.

Ad evidentem eam credibilitatem redeamus. Cui fides evidenter credibilis efficitur, ei aiunt esse propositam fidem; non reliquis. Quæsisti deindè de hac evidenti credibilitate, quæ, & qualis ea sit, dicunt, esse, qua fides positivè, & negativè evidenter credibilis proponatur, id est, qua appareat, ipsam esse evidenter credibilem; evidenter verò incredibilem omnem aliam fidem, & religionem.

Dixi, nulli unquam corde hæretico, aut infideli hoc pacto proponi, fidem: ergo nulli unquam eorum satis proposita fuit. Antecedens nisi cum quibusdam ad assentiendum, quod volunt, sanè potentissimis res esset, facilè demonstraremus. Etenim omnis corde hæreticus, vel infidelis credit contrariam fidem: at nulli aliquid credenti id, quod credit, videtur evidenter incredibile, magis quam aliquid actu facienti videri evidenter impossibile possit id ipsum, quod facit. Ergo nulli corde hæretico, vel infideli proponitur evidenter incredibilis contraria fides. Nulli ergo tali proponitur fides eo modo, quo sufficientem propositionem exponunt. Rursus demonstratur; nam omni aliquid credenti, & mente enuncianti verum videtur, quod credit, quodque mente enunciat; & hoc est evidens ex principiis de intellectu: sed nulli, quod sibi verum videtur, & proponitur, tunc videtur, vel proponitur incredibile, ne dicam evidenter incredibile; quod præter quam ex terminis notum sit non prorsus hebetibus, patet; quia incredibile aliud non significat, quod nullo modo verum esse posse videtur; nulli ergo id, quod non solum verum esse posse, sed etiam esse videtur, videri tunc, aut proponi potest incredibile. Ergo nulli aliquid credenti, & mente enuncianti incredibile videtur, quod credit. Sed omnis corde hæreticus, vel infidelis credit contrarium fidei, menteque enunciat. Nulli ergo tali videtur, aut proponitur evidenter incredibile contrarium fidei. Et certè quid unicuique credibilius, quam quod sibi verum esse videtur? Et quis non prorsus mentis impos hæc simul duo fateatur, hoc quidem mihi verum esse videtur; hoc tamen idem mihi incredibile est, aut videtur? Hoc quidem credo ego ita esse; quod tamen incredibile puto?

Pæoè discrucior, cum de his cogor differere: advertant Judæos, Mahometanos, Calvinistas, quibuscum passim occurrit colloqui, quam longe ob ista sua sufficiente propositione distent, verissimaque invenient, quæ salvianus olim lib. 5. de Provid. disserebat de Arrianis. *Itaque traditio eis Magistrorum suorum, & doctrina inveterata quasi lex est, qui hoc sciunt, quod docentur: hæretici ergo sunt, sed non scientes. Nam ita tantum se Catholicos judicant, ut nos ipsos titulo hæretica appellationis infament. Quod ergo nobis illi sunt, hoc & nos illis. Nos eos injuriam divinæ generationi facere certi sumus, quod majorem Patre Filium dicant: illi nos injuriosos Patri existimant, quia æqualem esse præsumimus. Honor Dei apud nos est; sed illi hoc arbitrantur honorem Dei esse, quod credunt, inofficiosi sunt: sed illis hoc est summum religionis officium: impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo; sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Deum, atque amare credentes.* Hoc planè modo errantes omnes sive Hæretici, sive infideles corde affecti sunt: certe se errare nulli putant. Salvent ergo, aut excusent semel errantes omnes, & fidem non satis propositam dicant; vel desistant, per actuales uniuscujusque cogitationes, vel existimationes fidei, legumque promulgationem, propositionemque declarare.

Hinc nullus credentium fidem nostram simul, & in sensu composito eorum, quæ ad ipsum credere requiruntur, aut præequiruntur, assentire contrariæ fidei potest. Unum quippe ex his requisitis (non propositionem sufficientem id dico) unum, inquam, est cognitio obligationis credendi, & quod nisi quis crediderit, condemnabitur. Quare ei improbabilis, & incredibilia omnia contraria sub his terminis videantur, necesse est; nec

nec enim cognitio obligationis credendi cohæret cum cognitione credibilitatis contrariorum: & hactenus conſentire ſolent, & quæſtio ſupereſt, num is, cui fides eſt evidenter poſitivè, & negativè credibilis, id eſt, cui ipſa eſt evidenter credibilis, & omnis contraria evidenter incredibilis, poſſit in ſenſu compoſito hujus cognitionis credere contrariam.

Patet dictis modo de ſufficienti propoſitione fidei, neminem tum ea cognitione conjungere compromereque poſſe aſſenſum contrarium; neminem corde dicere poſſe. Calviniſmus eſt mihi evidenter incredibilis, & tamen credo Calviniſmum. Incertis notis, & qua talibus nemo aſſentit, ut paritati arenarum plus autem eſt evidenter incredibile, quam incertum: nemo ergo incredibilia nota, & qua talia credit: & credere ſanè ad credibile ſic refertur, ſicut appetere ad appetibile: nemo autem appetit ſibi inappetibile; nemo videt inviſibile in ſenſu compoſito ſuæ inviſibilitatis, & ſic in aliis, & ſic in omnibus: & res eſt aperta oculos habentibus. Ergo nemo credit ſibi incredibile, & in ſenſu compoſito incredibilitatis. Valet rursùs: quod à Petro creditur, eſt Petro credibile: non ergo incredibile. Ergo ſicuti Calviniſmus eſt evidenter incredibilis, credit tamen Calviniſmum, ei planè Calviniſmus eſt credibilis ſimul, & evidenter incredibilis. Sed quid cum hominibus diſputemus, qui putant, ſe etiam ipſos credere poſſe evidenter incredibilia, nota? ſatis certè incredibilia ſaltem eloquuntur.

Theologi ſanè unà omnes, & Patres fidem liberam deprædicant. Eſt enim, ut part. 1. expoſuimus, & quoad uſum, ſicut ſcientia, & demonſtratio; & præterea etiam quoad aſſenſum; quia motivum fidei non ſatis intellectum cogit, ac determinat: atque hæc determinatio voluntaris etiam electio quædam à D. Thoma vocatur, ſicut de offenſa Dei tradit habere infinitatem quamdam: profundè autem ita compellavit; quemadmodùm de intendente finem aptè ſatis dicimus, eum electione quadam, ac prorsùs volenter ab ineptis ad apta media declinare. Prærerea haud quidem in ſenſu compoſito evidentis illius credibilitatis, tamen in ſenſu diviſo, ut de exiſtente in gratia quoad peccatum dicimus, poteſt prava voluntas præſertim tentationis tempore diſſentire immediatè advertendo oculos ab ea evidentia in oppoſitum: nec adverſus hæc ex D. Thoma ſcitè urgeri poteſt, qui ad omne prorſus peccatum etiam ſcienter admiſſum actualem inconſiderationem deſideravit. Poſtremo poteſt quis per ignorantiam rebus fidei immediatè diſſentire arbitrando, eas non eſſe fidei: omne autem peccatum ſaltem commiſſionis contra fidem fit neceſſario per ignorantiam, ut lib. 1. dictum eſt: ſuntque multa alia in hanc rem multiplicem libertatem patefacientia. Illud hic compertum eſt, eos, qui à vera religione ad falſam abeunt, non in momento, ſed ſenſim perverti ſolere; nec eſſe poſſe, ut is, qui corde hæreticus factus eſt, ſimul in mente ſua retineat evidentem credibilitatem veræ fidei poſitivam, & negativam.

Ad rem noſtram ut redeamus, ſatis ex his patet, ſufficientem promulgationem, propoſitionemque fidei in his uniuſcujuſque actualibus evidentiæ, aut aliis cognitionibus ſitam non eſſe; quin poſſe ſatis, & obligatoriè fidem iis etiam proponi, quibus non credibilis, ſed ſtultitia ipſa, ac ſuperſtitio ſceleſta ea videatur.

§. II.

Quid ergo ſit, & quorsùm requiratur promulgatio legum.

POſt multos Doctores hoc circa perlectos S. Thomas 1. 2. quæſt. 9. art. 4. mihi uſus eſt rem univerſam pauci comprehendiſſe, atque clariſſimè explicaſſe, cujus totius articuli ſumnam, & ſic ſummæ quaſi ſummam, ſeu ſummulas, ut vocant dabo.

Quærit, utrum promulgatio ſit de ratione legis? videtur, quod non; primò quia lex naturalis promulgata non fuit: ſecundò, quia etiam illi, coram quibus non fit promulgatio, lege obligantur: tertiò, quia promulgatio fit ad præſentes, non ad futuros; quos tamen lex obligat. Ergo promulgatio non eſt de ratione legis. In contrarium arguit ex Decr. 4 diſt. *in iſtis*, ubi dicitur, quod leges inſtituuntur, cum promulgantur.

Reſoluit, promulgationem eſſe de ratione legis. Demonſtrat realiſſimè: quia lex eſt regula, & menſura, ut juxta eam vivatur: ergo applicari debet per eam regulandis, atque menſurandis: hoc autem fit promulgatione, ex qua in eorum notitiam lex deducitur, hoc eſt, ex qua eam cognoſcere poſſint. Quare promulgatio neceſſaria eſt, inquit, ut lex habeat ſuam virtutem. Undè legem ſic definit: eſt quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. Reliquas præter promulgationem partes definitiones prioribus tribus articulis expediverat.

Ex his negat, legem naturalem non fuiſſe promulgatam; inſeruit enim eam Deus mentibus hominum, communicando cum ipſa natura principia morum, ex quibus concluſiones ipſi elicerent. Ad ſecundum reſpondet, eos, coram quibus lex non promulgatur, poſſe in illius notitiam devenire per alios. Ad tertium ait, promulgationem præſentem ad futuros extendi per firmitatem ſcripturæ, quæ eam quodam modò ſemper promulgat: ex quo Iſidorus lib. 2. Etymol legem allegando dictam cenſuit: ſuppletur autem per traditionem, ubi ſcriptura deeſt.

Hinc ut § præc. dicebamus apparet manifeſtum, quam futurum eſſet otioſum, vanumque, in iis rebus quærere, diſputare, num bonæ, num malæ ſint, & aliquid malum eſſe pronuntiare, circa quas ſupponitur, legem non eſſe promulgatam; quia promulgatio vel ipſam legis definitionem, eſſentiamque intrat; vel ut minimum eſt omnino neceſſaria ad robur illius, ac virtutem. Quapropter ſi circa probabilia leges ſatis promulgatæ non ſunt, nihil otioſum magis, & vanum ſit, quam quæſtiones morales in probabilibus; nihil abſurdius, aut falſius, quam aliquid eſſe, aut dicere peccatum. At hoc contra omnes, & ridiculum, ac perabſurdum. Ergo probabilitates nihil promulgationem aut ponunt, aut tollunt, nec virtutem, roburque legum adimunt.

Ex rerum itaque natura ipſa eſt neceſſitas alicujus promulgationis, quæ aliud non eſt quam manifeſtatio ordinationis ſuperioris. Etenim

ſuperior

superior per legem debet regulare, ac dirigere subditum; quæ proinde debet ei inootescere; ordinatio autem rationis interior est occulta, ac impervia homini regulando; oportet ergo eam exterius manifestari, & non in occulto, sed in publico. Unde ea ordinatio innotescere queat, & hæc est promulgatio. Idcirco tanti sunt Principes, quique in suis legibus evulgandis; de multa Buttel. de Magistrat. edict. libro secundo capite undecimo.

Concurrunt verò ad effectum legum, & ad rectitudinem operis per eas intentam superior, & subditus. Hinc superior tenetur jure recti regiminis non solùm ad condendas quoquomodo leges, sed ad eas etiam ita manifestandas, ut eis, qui regendi sunt, innotescere queant. Subditus item, quia rationalis est, tenetur ad eas inquirendas, & ex superioris simul, ac subditi diligentia habetur, quod leges in uniuscujusque notitiam actu deveniant, ac sic regulare proximè possint.

Undè quod nemo negat, superior partes suas haud expleret, si conditis quoquomodo in suo cubiculo, aut secreto legibus, dein dormiret, ac eas publicari negligeret, ludereque id esset, & jocari. Similiter subditus partes suas haud expleret, si negligeret prorsùs, torumque vellet in Legislatorem rejicere, ut ipse ex integro in uniuscujusque notitiam deducetet leges suas. Hoc enim nemo ducere potest, ac omnes Theologi ad aliquam demùm diligentiam obligant.

Superior itaque in occulto legem ferens, nec eam manifestans deficit: subditus item, qui nihil se movet ad sciendum, peccat. Eam porrò manifestationem, & eam partem, quæ ad superiorem spectat, promulgationem vocamus; ea vero pars, quæ subditi est, non promulgatio, sed post promulgationem est; nec enim tenemur leges non promulgatas, sed jam promulgatas, vimque, & robur habentes, nosque obligantes inquirere.

Ex his, quæ perspicua videntur, nec in hoc de legibus loco in dublum revocantur, plura inferre possumus. Primò, eam excusationem esse prorsùs ineptam, qua obtenderetur; ego nescivi legem: ergo aut non peccavi, at lex satis promulgata non est. Nam te nescire legem obvenire potest, quod raro contingit ex non sufficienti promulgatione, Legislatorisque defectu; vel ex sua, tuaque negligentia. Et hæc est origo peccatorum ignorantiæ; nec illis locus esset, nec, quod hæreticum est, nisi scienter peccare possemus, si in ipsa nostra obligationis actuali cognitione promulgatio legis constituta esset, ut patet.

Sequitur etiam, & apparet, quam toto cælo discrepent promulgationes legum, & opiniones Doctorum. Distant in primis Authore; nam promulgatio aliquid Legislatoris est, atque ad ipsum pertinens; opiniones autem Legislatorum, sed Doctorum sunt. Distant tempore; quia Doctores inquiunt in leges jam satis promulgatas: esset alioqui vanus labor: & si quando de ipsa etiam promulgatione inquirunt non eò eunt, quod esset ridiculum, ut eam suis opinionibus promulgent, vel non promulgent, quasi ita ipsi opinantibus, promulgata maneat at contra opinantibus in promulgata interempta. Non itaque hoc inquirunt, sed examinant, videntque, num ea servata sint per quæ leges promulgari solent. Distant demùm loco; nam opiniones cuduntur in bibliothecis, cubiculisque Doctorum; typis verò mandantur, ubi placet: promulgationes legum fiunt in curiis; ac Romani Pontifices v.g. ad valvas S.Petri, & in acie campi florae suas constitutiones promulgant. Non erat certè de hoc disputandum, cum non magis sit Doctorum promulgare leges, quam condere: & qui contrà opinantur, suam Legislatoribus authoritatem adimunt, & sibi usurpant; nam cujus sit promulgatio, vel non promulgatio, ejus sit tota virtus, quæ tota concidit, ac perimitur per non promulgationem: nec plus posset Princeps derogando legem, quam Doctor contra legem probabiliter opinando: quin centum probabiliter eam statuentibus nihil fit, nec satis promulgatur, si unus aliquis probabiliter diffideat, videat hic quisque, quæ legum strages vel ex hoc solo sequeretur.

Multa Doctores disputent de legum promulgatione; an statim post illam ubique obligent? an spatium aliquid temporis, & quantum requiratur? num ante hoc etiam tempus elapsum, sicut leges præceptivæ non videntur obligare, sic quoque imitantes actum aliquem, eum non reddant invalidum, & nullum? atque hoc genus alia sapienter prosequuntur. Ex dictis de natura, & scopo promulgationis determinari hæc & alia satis possent; sed quoniam argumenta etiam contraria adducenda essent, referendus item textus ex utroque jure, quo longius, quam par sit, ab instituto nostro disgrederemur, satius arbitratus sum, iis decerptis, quæ nobis deserviunt, cætera suo loco servare.

Id ad præsens pertinet, ex dictisque planè consequitur post legem promulgatã tempus aliquod postulari, ut ea ubiq; obligare possit, & hæc de omni lege saltem præceptiva, & directiva. Constat hoc quia promulgatio ex ipsis rerum, legumq; naturis necessaria est: finis enim est ut lex, & regula innotescere possit regulandis per ipsam: ad hoc porrò tempus requiritur, nec in momento ad omnes notitia pervenire potest, nec item in momento eam quærere, qui dirigendi sunt, ut patet: ergo tempus aliquod, & intervallum necessario requiritur.

Hinc eodem jure nequit idem tempus pro omnibus designari, constituique: nam alii aliis longiùs distant, regnaque alia aliis sunt majora: quare nequit tam citò propagari, innotescereque lex pertinens ad universam Hispaniam, atque ea, quæ unam solùm urbem, vel exiguam Provinciam, aut ditionem comprehenderet. Sensim ergo, & operatione quadam continua tum promulgatio ipsa, tum diligentia subditorum, sicut reliqua agentia creata agere possunt: & sicut absurdum foret pro omnibus cursoribus, tabellariisq; ad omnia loca unum, idemque tempus præscribere; sic & in obligatione legum est; quæ licet statim, post promulgationem obligare incipiant in propinquo, nisi contrarium statuatur, at non in distanti, & ubique, sed pro locorum distantiis citius, aut tardiùs obligare incipiunt. Et hæc quidem ita loquendo de promulgatione quoad substantiam, quæ per se necessaria est: nam solemnitates ejus, & modus arbitrio Principis relinquuntur; & hoc de essentia est, ut ea legis manifestatio fiat, ex qua subditi, quã par est adhibentes diligentiam eam noscant.

Hinc etiam arbitror, eum, qui in debito loco degeret, non fore obligatum statim licet modo aliquo extraordinario aliquantò citius resciret,

legem injuriâ esse promulgatam; sed tunc eum obligari incipere, quando lex communi modo propagari potuit, suamque urbem, vel pagum obligare incipit: lex enim non ad ipsum, sed ad omnes, vel plerosque dirigitur; & tunc oblique singulos obligat, quando ibi omnes obligat, ad quos est, nec exceptionem habent. Quod sanè in omni etiam alio negotio sumitur, quod non uni alicui, sed multis, aut communitati alicui committeretur; neque enim qui via aliqua extraordinaria negotium rescisset, tractare illud debet, quandiù reliqui, quibus committitur, & ad quos dirigitur, nosse illud potuerint.

Dices ad legem saltem Dei teneri quemque, cum primùm eam ubicumque locorum noverit, & si reliqui omnes eam ignorent, neque obligentur, sed excusentur ab ignorantia invincibili. Respondeo loquendo de lege, quæ non pro aliquo uno fit, sed pro sua communitate, nullum esse obligatum, quamdiù omnes, vel plerique obligentur. Aliud scilicet est nos ignorare etiam invincibiliter legem: aliud verò nos esse obligatos ad legem; excusatio quippe supponit obligationem, & ignorantia invincibilis excusat, non quia lex non obligat, sed quia obligatio invincibiliter ignorabatur; alioqui excusatione, & defensione opus sanè non esset. Eo itaque tempore elapso, quod sufficiebat, ut alicubi lex obligaret, si unus sibi solus eam sciat, tenetur, etsi omnes alii ignorarent. Sed quid si invincibiliter ignorent reliqui, ut dicebatur? Respondeo loquendo, de lege Dei, forte sequi utrumque: nam lex Dei nequit non esse sufficienter promulgata; quare si elapso tempore adhuc invincibiliter ignoraretur fiet, eam esse, & non esse satis promulgatam, & teneri, ac simul non teneri eum, qui legem novisset. At transmittendo nunc aliorum opinionem, ille teneretur solùm, nec simul teneretur, & non teneretur.

Itaque etsi Deus in instanti etiam agere possit, & creet; sicque in momento leges suas omnibus manifestare potuerit, haud tamen ita fecit; fidem suam, & legem voluit esse ex auditu, missisque hominibus per universum mundum ea omnibus promulgavit. Rectè enim in simili disserit Hugo de S Victore libro secundo, de sacram. part. 6. capite quarto, fuit autem medium tempus quoddam, inquit, quandò & circumcisio baptismus simul cucurrerunt: altera, id est, baptismus, ut confirmaretur. Oportuit enim, ut & illa, quæ facienda erant, nequaquàm subitò, & præcipitanter, sed paulatim, & dimitterentur: & similiter quæ incipienda erant, cum mora, & gravitate inchoarentur. Hac ille: idcirco nec in uno momento totus simul mundus ad fidem obligatus est, nec Hierosolymis, atque in Hispania eodem die, & hora fides obligavit: & eis, qui eo medio tempore in Hispania obiissent, sufficiebat ut prius fides implicita Mediatoris ad salutem, ut idem disserit Hugo: de quo mox iterum.

§. III.

Fieri ergo nequit, leges Dei non esse satis promulgatas.

HAnc conclusionem prosecutus sum supra quæstionem quartam, §. 4. de qua proinde hic seorsim dicere, atque ex ipsa legis definitione eam statuere sufficiat. Ergo S. Thomas dicebat, ac plus minùs idem cæteri quoque dicunt: *lex est quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Hæc igitur lex Dei erit ordinatio rationis divinæ ad bonum commune ab ipso promulgata. Implicat ergo in terminis Deum legem fecisse, & non promulgasse, seu non satis, id est, non simpliciter promulgasse.

Ex quo per evidentem, opinor, consequentiam accipitur, quod paulò inferius magis explicabo, fieri prorsus non posse, quod aliqua alicujus uspiam gentium, aut terræ angulorum ignorantia legis Dei ad ipsam pertinentis, & quando pertinet, sit invincibilis, quia Deus non satis legem promulgavit, nec quod per Deum, per quem nunquam abest, rectè se excuset creatura.

§. IV.

Quare supponunt Doctores omnes, fidem Christi, & legem Evangelicam fuisse jam olim promulgatam.

SUpponunt ergo Theologi omnes in 4. dist. 1. & in 2 quæst 103. art. 3 & 4 legem Evangelicam, fidemque proinde Christ. fuisse promulgatam, ac cessavisse legalia, circumcisionem cessasse, ac reliqua vetera justificationis media: id quod plenissime, & sapientissime S. Thomas in in citatis articulis prosequitur. ac supponitur à Tridentino sess. 6. cap 4. ubi de justificatione à peccato originali loquens inquit: *quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.*

Hic locus amplissimus occurrebat dicendi, & differendi de cessatione legalium, an statim post passionem salvatoris cessaverint, ac mortua fuerint? an tamen non continuo mortifera esse cœperint? quo pacto iis Apostoli usi sint, quin Paulus etiam ipse Petri reprehensor; qui Timotheum circumciderit, qui more Nazaræorum barbam quoque totonderit; qui ex concilio Jacobi, & seniorum se purificaverit Jerosolymis, ut ex act. cap. 16 18. & 21. constat. Huc percelebris ea Hieronymum inter, & Augustinum disceptatio, quæ multas utrinque epistolas complectitur, spectabat, quibus certò tractandis, quæ scire possumus, ac materis Theologici sunt, libentius ego vocarem, quam in explorando, quid de sua absoluta potentia agere possit: quid item esset actutus in alia rerum serie, de qua nihil sit ipse locutus. Quoniam verò ea ad institutum nostrum haud attinent, satius habui, nihil & quam non satis, ac jejune dicere

Ex his omnibus controversiis illud nobis licet tutò ad præsens accipere, legem Evangelicam

jam

jam olim fatis fuisse promulgatam. Quando verò fuerit promulgatio ista completa, atque in rationa promulgationis absoluta, dissident Doctores; nam alii promulgationem solam eam vocantes, quæ Jerosolymis facta est, maximè dia Pentecostes, alii promulgationem cum ipsa inceptione mortis legalium, quæ tempore passionis, ac mortis Christi facta est, quandò omnia consummata sunt, hunc, inquam, legalium, ac verorum interitum, vel inceptionem cum promulgatione confundentes, tunc putant promulgatum Evangelium. Alii cum Chrysostomo viginti, aut triginta annorum discursu putant promulgationem fuisse completam, absolutamque.

Nobis hac in parte Augustini, Bernardi, Hugonisque videtur tenenda sententia; neque enim, ut aliqui viri graves existimarunt, Bernardus, & Hugo dissident, sed eadem uterque docet, ac prorsùs consentit.

Putamus ergo brevi conclusione rem claudendo, tunc, & ibi, & iis promulgata fuisse nova, quandò, & ibi, & quibus cessarunt, ac perierunt vetera; atque hæc duo quoad tempus, & loca, & personas esse omnino connectenda. Est hæc sententia expressa Bernardi epistol. 77. ad Hugonem: *sed ex eo tempore tantùm cuique cœpit antiqua observatio non valere, & non baptizatus quisque novi præcepti reus exsistere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam.* Consentit expressè etiam Hugo lib. 2. de sacram. pat. 6. cap. 4. & clarius cap. 5. in quo quærit, quandò homines præcepto baptismi obligari cœperint? ac repulsis iis opinionibus, quas Bernardus ad ipsum scribens recensuerat, tunc ait obligarionem cœpisse, *ubi quidem generalis institutio facta est, quæ ex eo unumquemque debitorem habuit, quod ad ipsum prædicantibus Apostolis nuncius verbi præceptum institutionis pervenit.* Hæc ille, ubi tò *pervenit*, ut ex ipso capite patet, sicut in Bernardo est intelligendum, hoc est, inexcusabiliter pervenire potuit, & vel pervenit, vel pervenisset, si culpa cujusque non impedivisset.

Augustinus Epist. decimonono, capite secondo ait: *sensim proindè, atque paulatim fervente sana prædicatione gratiæ Christi; qua sola nossent credentes se justificari, salvosque fieri, non illis umbris,* &c. *omnis illa actio consumeretur umbrarum.* Contextus quoque Pauli ad Hebræos cap. 8. quadrare videtur: *dicendo autem novum veteravit primum; quod autem antiquatur, & senescit, propè interitum est:* sensim ergo, non in instanti vetera interierunt, sed quemadmodum nova inducebantur, & obligabant. Idcircò ipse Apostolus paulò ante dispositionem Novi Testamenti connectit cum datione novarum legum dicens; *quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in mente eorum,* &c. Una ergo, & simul, eodemque tempore Novum Testamentum, & leges ejus voluerunt: atque unà, & simol, eodemque tempore antiqua cessarunt, & nova obligarunt.

Nec sanè repugnant Theologi; quia in primis non dicunt, in ipso mortis Christi momento, seu in quo dixit, *consummatum est*, seu in quo velum templi scissum est, cessare vetera, & circumcisionem adhuc quoad valorem pristinum in ipsa Hierosolyma extinctam esse, sed tempus aliquale requirunt; quia in 2. dist. 24. Magistri D. Thomæ, & reliquorum communis sententia fuit, adhuc post Resurrectionem, atque Assensionem salvatoris Cornelium justificatum fuisse, seu justum extitisse cum sola fide implicita Christi, quia nondùm catenùs satis promulgato Christo, & Evangelio sufficiebat fides implicita; quia tamen jam saltem ibi incipiebat esse necessaria fides explicita, missus ad eum fuit Petrus Architectus, ut loquitur Augustinus.

Vetera porrò media justificationis ab originali erant Judæis quidem circumcisio cum fide saltem implicita Mediatoris; Gentibus verò fides eadem sine necessitate circumcisionis; & sic de aliis mediis. At hæc media non statim in morte Christi, aut Resurrectione etiam quoad pristinum valorem cessarunt, ut constat de Cornelio ex communi sententia, & nemo, quem sciam, est, qui asserat, siqui puer Hebræorum circumcisus ipso passionis, mortisque tempore sine baptismo obiisset, eum non esse salvatum.

§. V.

Exponitur, quomodò unà, & simul vetera cessarint, ac nova obligarint.

Loquor de cessatione quoad valorem qualem qualem priorem; non de licito legalium apud Judæos usu; nam ut ex Augustino, & D. Thoma latissimè habemus, vetera apud Judæos non simul mortua sunt, ac virtute omni privata, & mortifera esse cœperunt, sed aliquamdiù mortua, non tamen mortifera, sed licita fuerunt sine spe in illis, ut non sicut idolatria, sed cum honore tamquam à Deo sepelirentur, ut Augustino Doctore epist. 19. S. Thomas, & Theologi prosequuntur.

Loquor ergo de cessatione quoad valorem, seu de interitu veterum, & dico, unà, & simul quoad tempus, loca, & personas vatera cessasse, ac interiisse, & nova obligasse.

Cujus conclusionis ratio hæc sit. Numquam Deus defuit in necessariis ad justificationem, & salutem, & nullus prorsùs adultus damnatur, qui salvari non potuerit, ac nulli justificatio, vel salus est, aut fuit impossibilis. Ergo ex quo nullus adultus justificari, aut salvari potuit per vetera media, potuit omnis justificari, ac salvari per nova: ergo omni nova satis promulgata sunt: proindè obligàrunt. Ergo unà, & simul quoad tempus, & loca, atque personas vetera interierunt, & nova obligarunt.

Explicatur. Concors Patrum, ac Theologorum ex scripturis, ut superiùs vidimus, deprompta sententia est, omni tempore provisa esse omnibus media ad justificationem, salutemque necessaria. Neque ullus, opinor, volet, hoc universale Dei beneficium morte Christi, qui pro omnium salute mortuus est, cessasse, ac evanuisse. Cessasset autem, si eo medio tempore à morte Christi usque dum in omnem terram exivisset sonus Evangelii, vetera media non valuissent; quia nondùm ubique nova promulgata erant, neque obligabant, nec aderant, neque inveniri poterant de communi lege, ex qua fides est ex auditu. Ergo tunc, & ibi, & apud eos vetera cessarunt, ac interierunt, quando, & ubi, &

apud quos nova obligarunt; at non obligarunt ubique locorum statim post mortem Christi, nec item sola promulgatione Hierosolymis facti, quam in momento nosse ubique non poterant: leges autem, ut ex 4. dist. *in istu*, accipiunt Doctores, fiunt, cum promulgantur. Ergo obligarunt, quandò, ubi, & pro quibus satis promulgata sunt; & sic promulgatio, & obligatio novorum, ac interitus veterum concurrerunt. Idcirco, ut quaest. praec. ostensum est, ordinatè Paulus cuncta haec contexuit; necessitatem Christi, ac fidei ejus primùm praescripsit; mox omnibus excusationem ademit: quod ut concluderet, nova omnibus promulgata fuisse, sanxit; connectenda sunt ergo haec omnia quoad tempus, loca, atque personas; sin minùs alicui priùs negata fuissent antiqua, quam concessa nova; & sic neutris provisus salvari, aut justus esse nequiret.

Sensim itaque, ac paulatim crescente sana praedicatione gratia Christi, ut Augustinus aiebat, omnis haec actio extinctionis veterum, & obligationis, ac necessitatis novorum peracta est. Explicuimus scilicet §. 2. ex ipsa natura praecipientium saltem legum esse necessitatem promulgationis, quin hanc esse de ipsa etiam ratione, ac definitione legis. Per promulgationem autem intelligunt pleríque, & intelligant, necesse est, eam legis manifestationem, ac publicationem, ex quà qui per eam regulandi sunt, nosse ipsam possint, si parem diligentiam adhibeant. At compertum est, mortuo Christo, aut etiam promulgato Hierosolymis dumtaxat Evangelio, ex hac manifestatione omnes ubique homines illud in instanti nosse non potuisse, nec ex sola ubique terrarum etiam posteà potuisse; sed necessarium fuisse, quod nobis sanè scientior Dominus ipse instituit: *euntes ergo docete omnes gentes*, &c. *misit illos binos in omnem locum*, &c Sic ergo sensim gratia Christi praedicata est, promulgatum Evangelium per universum mundum: atque ut promulgabatur, obligabat; ut rursùs obligabat, vetera abibant, & nova necessaria fiebant, ubi, & quandò vetera extincta sunt.

Nimirùm etsi magna sit dissensio inter Doctores, num sicut lex praeceptiva non statim post promulgationem in curia, vel in Metropoli Provinciae in distanti obligat, quia non agit in distans, nec in instanti sciri potest; sic etiam sit de legibus annullantibùs, ac irritantibus? nam cum istarum finis non sit regulare, non ea necessitas tractus temporis videtur requiri, quae in legibus praeceptivis, quae solùm conduntur, ut dirigant; & sic noscendae sunt. Etsi, inquam, de hoc Doctores diffideant, multaque sint utrinque juta; in re tamen nostra ratione saltem materiae legis praecipientis, & legis irritantis, hoc est, legis obligantis ad Evangelium, & legis irritantis, extinguentisque vetera, una causa, & ratio est.

Sumus enim in necessariis ad salutem; nec vetera media necessaria tolli saltem juxta praesentem providentiam potuere, quamdiu nova non concederentur; alioquin, quod absurdum est, medio eo tempore non satis fuisset hominibus provisum. At nova non statim, & in momento omnibus ubique concessa sunt, sed promulgatio, & necessitas praedicatione sensim, & aliis post alios non simul omnibus ubique gentium inductae sunt: & sic solùm lex nova obligavit. Sic ergo & antiquam quoad legalia irritavit, & extinxit saltem in iis, quae ad salutem ante Evangelium necessaria erant.

Fatemur itaque, quod adversarii opponunt, Christum Sacerdotem in aeternum obtulisse se in cruce Patri; Novum item Testamentum fuisse conditum. At dicimus, ista promulgari, publicarique debuisse; nullibi certè utrumque simul Testamentum constitisse, & valuisse, sed ut incipiebat valere novum saltem ex praecepto, interibat antiquum: absurdum tamen esse, ut alicubi antequam novum nasci posset, & obligaret, antiquum interiret, & ibi homines sine novo, & antiquo, & sic nullo prorsùs destituti remanerent, ac alio item omni medio ad justificationem, & salutem.

Nec ista negant, re ipsa, qui hic adversari videntur, sed quod ex natura promulgationis juxta ipsas legum naturas philosophando nos statuimus, ipsi per ignorantiam invincibilem expediunt. Nam nihil utilitatis veterum iis cessasse, qui ex ignorantia invincibili illis utebantur existimantes, ea non cessasse, tamquam indubitatum supponit Vazquez disput. 181. capite secundo, initio. Re ipsa itaque etiam post mortem Christi circumcisio justificabat eodem modo, quo priùs invincibiliter ignorantes Judaeos, & fides implicita Christi gentiles invincibiliter ignorantes, sicut priùs. Eosdem ergo effectus in veteribus etiam post mortem Christi ponunt, quos nos; ipsi quidem privilegio ignorantiae invincibilis; nos autem ex defectu sufficientis promulgationis novorum.

Sed verò in intelligibilis est ista virtus, quam ignorantiae invincibili attribuunt, seu quam ignorantia invincibilis potiùs attribuit veteribus sacramentis. Nam si ut opponunt, ipsâ statim morte Christi vetera ubique in momento, vel etiam in triduo ut sotus aliique voluerunt, mortua sint, certè evidens est, ignorantiam resuscitare illa non posse; si mortua ubique sint, omnis illis ubique virtus ablata est; hoc enim est illa mori, & interire: at ignorantia, opinio, sacramentum non est, nec instituti sacramentorum, nec virtutem habet ullam: non ergo eam dat. Deus, inquis, tunc dabit. Bene: vivificat ergo illa, & duo simul testamenta constant, vetus sacerdotium valet; ac omnia in ipsos redeunt, quae in opinionem nostram scoti, Vegae, & aliorum moverunt. Adde ex dictis à nobis toties doctrinam universalem de ignorantiis, ignorantiae invincibilis hoc unum esse, ut ex ea operantes excuset à peccato: at non recta facere recta, aut nulla reddere valida prorsùs nequit, & omnis de ignorantia quaestio est, an excuset, & nihil plane plùs, nisi ubi nobis ex voluntate legislatoris constat, aliquid ab eo errori communi esse indultum.

At aiunt, illam praedicationem novorum factam successive per mundum non fuisse novae legis, ac Testamenti promulgationem, inquam Testa-

Testamenti simul legislative, sed totam promulgationem Hierosolymis tamquam in curia finxitam fuisse. Fuit ergo ea quædam manifestatio promulgationis jam factæ. Ad hoc multa occurrebant, quæ reponerem. Nunc ex dictis §. 2. breviter respondemus, omnem eam legis manifestationem, quam legislator facere debet, ut ii, qui per legem regulandi sunt, noscere eam possint, ad promulgationem, & ad legis necessariam conditionem pertinere, ut ratione S. Thomæ conficitur. Lex autem una est, ut fides quoque ipsa, licet non simul ubique esse, & quasi vivere, & agere, obligareque incipiar, diversisque verbis, vocibus, instrumentisque diffundantur.

Quanto porrò tempore, an viginti, vel triginta annis, an brevius, an tardius vetera ubique interierint, ac nova obligarent, pænes Deum sit, non meum definire: ipse etiam novi, quid, ubi, & quantum ipsum agere oporteret. Hoc scire in hoc, sicut in gratia nostrum est, ipsum voluisse omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nec defuisse.

§. VI.

At antiqua cessarunt ubique, & respectu omnium. ergo nova ubique, & omnes obligant.

Antiqua, inquam, cessarunt ubique, & respectu omnium, id est, jam ubique & mortua, & mortifera etiam sunt. Atque hoc quidem ita esse per se loquendo, nemo ambigit: non tamen desunt, qui non quod sciam, data opera rem tractando, sed cursim dicendo ignorantiæ invincibili ea, quæ paulò antè dicebamus, privilegia servare velle videantur, teneteque invincibiliter ignorantibus prodesse adhuc aut sacramenta, aut media justificationis.

Hoc porrò nobis minimè ferendum videtur. Etenim ignorantiæ ut nuper dicebamus, nulla vi vigent extincta, & mortua vivificandi, & tam circumcisio quia ex ignorantia existimatur valere, jam non valet, quam non valeret perfricare barbam, quamvis ex ignorantia aliqua invincibili existimaretur ad justificationem valere; nam veteribus ipsa morte sua omnis virtus adempta est, nec semimortua, sed mortua prorsus sunt, ac extincta: tam ergo nunc omni virtute carent, quam si numquam ea viguissent, & quemadmodum carent res aliæ, quæ nulla unquam virtute donata sint. Et confirmatur; quoniam qui in casu ignorantiæ virtute aliqua ea donant, ægrè ferunt, quod statim in ipsa morte Christi mortua, & interempta ubique non sint. An ergo feremus, etiam nunc beneficio ignorantiæ ea vivere, & omnia quidem vicisse mortem salvatoris; at unam ignorantiam invictam permansisse, quæ etiam vetera, viva servarit?

Deindè superiùs irrefragabili authoritate ostensum fuit neminem uspiam terrarum jam justificari, aut salvari posse sine fide explicita Christi, & qui n Christum norit, ac proindè etiam novam legem. Cessarunt ergo, & interempta sunt vetera ubique, & respectu omnium. Neque contraria opinio, vel dictum ob aliquam pietatem tenendum est; nam primò in his opiniones nostræ nihil juvant, aut possunt, & si vetera re ipsa abierunt, opinionibus nostris nec revocantur, nec valida fiunt; atque ut ex Augustino sæpe resumpsimus, nemo optando, aut opinando facit, ut verum sit, quod verum non est. Deindè quia ut Valentia suprà annotabat, eadem facilitate Deus, quibus oportet, fidem Christi confert, quâ gratiam; atque in præsenti eadem facilitate nova sacramenta providebit, quâ vetera restitueret. Quam ob rem si ignorantiæ invincibiles his in rebus darentur, ad nova potiùs esset confugiendum.

Arguat rursùs in idem Augustinus libro de natura, & gratia capite secundo, *Ponit gentes remotas, quæ Christum non audierint, quæque credendo in Deum, qui fecit cælum, & terram, à quo & se factam naturaliter sensit natura humana, & rectè vivendo ejus impleant voluntatem, nulla fide passionis Christi, & resurrectionis imbutæ. Quoad si fieri potuit, aut potest* ait (nam juxta Augustinum nec fieri potuit, nec potest; quia salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquàm defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit) inquam, si id fieri potuit, aut potest, *hoc ego dico*, inquit, quod de lege dixit *Apostolus*: ergo Christus gratis mortuus est.

Si enim hoc dixit ille de lege, quam accepit gens una Judæorum, quantò justiùs dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum? si per naturam justitia; ergo Christus gratis mortuus est. Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari, & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, vindicta nullo modo potest, nisi per fidem, & sacramentum sanguinis Christi.

Tenendum ergo prorsùs arbitror, omnia vetera sacramenta, ac justificationis media sive Gentium, sive Judæorum jam olim ubique, & pro omnibus mortua fuisse; extincta fuisse, & solam fidem Jesu Christi, per quam gratis omnis ubique homo justificatur, esse ut ex Tridentino constituimus, fundamentum, initium, ac radicem omnis justificationis, atque hunc fuisse Ecclesiæ sensum perpetuum.

Ex quibus ad præsens sic arguimus: tunc, ibi, & illis vetera ablata sunt, quandò, ubi, & quibus nova concessa sunt, quæ proindè consequi, habereque possint: quæ idcircò satis etiam promulgata sint, atque obligaverint. At jam olim ubique omnibus vetera ablata sunt, mortua, ac extincta sunt. Ergo jam olim ubique, & omnes nova obligarunt, ac obstrinxerunt: sin minùs, quod non concedunt, alioqui alicubi destituti remanserunt, nec justificari, aut salvari possunt.

§. VII.

Ergo nulla videtur superesse ignorantia invincibilis vel, Christi, vel legis Evangelicæ.

Nulla est ignorantia invincibilis legis ejus, quam scire quis potest, & etiam obligatur. At superius latè ostendimus, omnes Christum, ejusque legem invenire posse: nunc denuò ostendimus, ad legem istam omnes prorsùs obligari, & teneri: ergo omnes possunt, & tenentur

eam ſcire : nulla ergo uſpiam invincibilis ejus ignorantia ſupereſt.

Exponitur. Si quipiam excuſarentur, maximè quia illis non fuiſſet ſatis promulgata lex gratiæ. Sed ea omnibus ſatis promulgata eſt : alioqui ipſis adempta non fuiſſent vetera ſacramenta. Cum ergo illa omnibus adempta ſint, nec uſpiam jam vivant, profectò omnibus lex gratiæ, ac nova ſacramenta ſunt conceſſa; ergo omnibus ſatis promulgata : nam lex mihi non ſatis promulgata, mihi conceſſa haud eſt, juxta quam vivere poſſim.

Quod autem in his diſputationibus ſemper obſtare videtur, multos ſcilicet omni prorsùs cognitione Chriſti, & Evangelii carere, qui ideò quærere, & noſſe non poſſunt. Hoc, inquam, ut ſæpe oſtendimus, omnino vanum eſt : nam ad culpam ſufficit ignorantia ſolùm indirectè voluntaria : ergo poteſtas indirectè, & ſine intentione directa quærendi: ergo neceſſe non eſt, ullam in particulari Chriſti, aut Evangelii notionem habuiſſe.

Dices, ſi numquam per mundum prædicatum fuiſſet evangelium, mundus obligatus non fuiſſet: at de facto gentes aliquæ non minùs Chriſtum, evangeliumque ignorant, atque ſi numquàm prædicatum fuiſſet : tam ergo non obligantur. Sed reſpondemus, promulgationem ſufficientem jam ſimul fuiſſe peractam, atque culpa hominum memoriam eſſe deletam: nec ob id teneri Deum ad denuò promulgandum, ſed ad hoc ſolùm, ut defectum illum memoriæ, quæ permanſura fuiſſet ubique, niſi peccata hominum obſtitiſſent, ſua particulari providentia ſuppleat, omnibuſque occurrat, qui faciunt, quod eſt in ſe : at id Deus abundantiſſimè ſupplet, nec ulli deeſt, nec per ipſum abeſt, quominùs omnes ad veritatis cognitionem veniant. Eſt ergo culpa hominum, quod non veniant.

Denuò in idem arguitur. De natura cujuſque legis eſt, ut pleroſque ſaltem communitatis, pro qua eſt, obliget, atque obſtringat; & lex aqua plerique multitudinis pro qua eſt, de obligantur, recta non eſt, ut communiter docent omnes. At lex Chriſti; & nova pro univerſo mundo, non pro parte eſt, & pro omnibus hominibus nullo excepto non pro his, & non pro illis. Ergo pleroſque ſaltem obligat, nec plerique obligati eſſe poſſunt. Ergo plerique ſaltem eam ſcire, non ſolùm poſſunt, ut latè in ſuperioribus fuit commonſtratum, ſed etiam tenentur. Ergo pleriſque ſaltem totius multitudinis hominum ejus ignorantia non eſt invincibilis. At hoc ſemel habito, nihil ſupereſt, cur vel unum ſolum hominem excipiamus; nam difficultates occurrentes non pro uno, aut raro aliquo ſunt, ſed pro infinita quadam multitudine hominum, v. gr. pro univerſa America, ante centum quinquaginta fermè annos. Certè ex hoc haberi ſaltem videtur, quod ſcopo noſtro ſatis eſſet, raro, & raras eſſe ignorantias invincibiles legis Dei, & ſiquæ ſint, vix eas internoſci poſſe, ut etiam lib. I. tractatum eſt.

Ut ergo quæſtionem claudamus, Deus totius humani generis Author, & conſervator omnibus, & ſingulis hominibus electionis capacibus in manu ſua poſuit ignem, & aquam; mortem, & vitam, non quam ſuis viribus, ſed gratiæ, quà neminem deſtituit, conſequerentur. Neque ſolùm vitam conſequi poſſunt, ſed etiam tenentur; ad quid enim magis teneantur? aut quo jure ad quidquam aliud teneri poſſunt, ſi ad id, quod primum eſt, & finis, non tenentur. Ergo omnes homines, nullo excepto, tenentur ad finem ſalutis, nec excuſabiliter damnatur ullus, etiam ſeorſim à peccato originali. Ergo omnes nullo excepto, tenentur ad media neceſſaria. Inter hæc autem quaſi fundamentum eſt fides Chriſti, baptiſmus in re, vel voto, & denuò lapſis pænitentia. Horum ergo ſaltem ignorantia omnibus, nullo excepto, erit vincibilis.

De cæteris etiam Dei legibus nullam ipſe non ſatis promulgavit, nec eſſe potuit, quod Deus legem aliquam pro aliqua multitudine conderet, & eam pro ea tota non ſatis promulgaret, ut latius quæſt. 4. §. 4. explicatum eſt. Hoc enim præter alia ibi dicta eſt diſcrimen inter Legiſlatorem Deum, & legiſlatores homines; quod homo legem condens ſolùm in confuſo in mente habet multitudinem, pro qua legem fert, & ſatis eſt, ſi comprehenſa ea habeat, quæ pleriſque plerumque contingunt, & ita legem ferre poteſt pro univerſis v. g. Hiſpanis, & interim neſcit, aliquem Hiſpanum v. g. Antonium tempore promulgationis, & contrahendæ obligationis exulem fore in Thracia, alium captivum in Africa, alium gravi morbo laboraturum.

At procul abſunt à Deo noſtro labes iſtæ omnes, & ſingulos multitudinis cujuſlibet pro qua legem fert in particulari, qui ſint, ubi ſint, quantum poſſint, præſentiſſimos habet, nullo prætermiſſo. Omnium conſcius Deus legem fert : ſi eam pro omnibus tulit, omnes obligare voluit ergo potuit : ergo ſatis etiam promulgavit, & obligavit. Ergo omnis legis Dei ignorantia in eo, pro quo eſt, & quandò eſt, ignorantis rei, quam ipſe ſcire potuit, & debuit, nec ut lib. I. ex Suarez aſſumpſimus, obligatio faciendi conſtat ſine obligatione ſciendi. Alia in idem quæſt. ſeq.

QUÆSTIO XIV.

Nulla proindè in ſcripturis ſanctis nec in univerſali, nec in particulari inveniri videtur ignorantia invincibilis legis Dei.

HOc in loco dimittamus alienos, & ſolùm ad Chriſtianos, maximè verò catholicos diſputationem omnem converramus. Habuit olim Dei populus plurimas leges Dei, & ſcripturas habuit: habet item populus Chriſtianus & leges, & ſcripturas Dei. Hunc ergo utrumque populum conferamus, & videamus, num inveniatur in ſcripturis ignorantia aliqua legis Dei, quam Deus innoxiam, & invincibilem habuerit? quod ſi nulla talis inveniretur reſpectu rudioris illius, & in umbris degentis populi, conſequens à fortiori videbitur nullam ignorantiam legis Dei innoxiam, invincibilemque habendam in populo chriſtiano quando judicabimur.

§. I. Re-

§. I.

Removentur hinc quædam ignorantiæ occurrentes inter ipsas promulgandas leges Dei.

ANtonius de Corduba lib. 2. de ignor. quæst. ut probet dari posse ignorantiam invincibilem legis saltem positivæ Dei, attulit quasdam ignorantias ipsorum quoque Apostolorum, quæ inter ipsam promulgandam, declarandamque legem occurrerunt, ut Actuum 10. & 11. Petrus, ac cæteri discipuli ignorabant, gentes recipiendas esse ad gratiam, & ad pænitentiam: *undè obstupuerant ex circumcisione fideles, qui venerunt cum Petro, quia & in Nationes gratia Spiritus sancti effusa est:* ac pòst Hierosolymis disceptarunt adversus Petrum, quia introivisset ad viros præputium habentes, & manducasset cum illis; ex quibus, aliisque manifestum est, discipulos eatenùs ignoravisse & utique inculpabiliter legem de admittendis gentibus ad gratiam, & ad communionem, convictumque, ac in unum populum.

Verùm ista & similia in sensu nostro sunt abs re; nos quippe tractamus de ignorantiis invincibilibus legis jam satis publicatæ, ac promulgatæ; non de ignorantiis, quæ vel ante promulgationem, vel inter ipsum promulgandum, quod successivum quid est, contingunt; & hoc sensu instituta quæstione, fatemur ultrò, dari ignorantias invincibiles. Lex porrò illa de admittendis gentibus ad gratiam nondùm fuerat manifestata, & publicata; quin eo ipso capite linteo illo magno de cælis submisso Petrus eruditus fuit, qui deinde cæteros quoque edocuit, ac sensim, ut cap. 11. perhibetur, de loco in locum lex vulgata fuit. Nec obstat, quod die saltem Pentecostes lex promulgata sit; nec enim omnes prorsùs articuli, ac singulæ leges propositæ sunt; nec de omnibus tunc actu Spiritus sanctus Apostolos erudivit, sed solùm successione quadam, ut constat.

Undè non videmus vim argumenti Cordubæ; nam, ait, multa, ut de cessatione legalium, ac necessitate baptismi, fuisse invincibiliter ignorata, quæ tamen ante sufficientem eorum promulgationem, inquit, erant articuli fidei necessarii, sicut & nunc. Nos in primis nuspiam legimus, ab Apostolis ignoratam fuisse necessitatem baptismi. Deindè Augustinus epist. 19. negat, Apostolos ignoravisse cessationem Legalium; sed sciverunt, quod re ipsa erant, ea scilicet esse mortua, nondùm tamen Judæis mortifera, nec vel Hieronymus, vel Augustinus Paulum, qui ter saltem posteà legalibus usus fuit, per ignorantiam excusavit, sed Hieronymus dispensatione, Augustinus, quem Theologi secuti sunt, ipsa veritate; nam verè nondùm is usus prohibitus, ac mortifer factus fuit: quin expressè actu. 15. post Concilium etiam habitum indulgetur, aut jubetur abstinere, à suffocatis.

Argumentatio verò Cordubæ videtur in ipsis terminis implicare; quod articuli aliqui ante ipsorum sufficientem promulgationem sint necessarii; nam universalissimè de Physicis, ac moralibus loquendo, nihil necessarium potest esse impossibile: lex autem non sufficienter promulgata sciri nequit; ergo neque servari: ergo impossibilis simul esset, & necessaria; quod implicat. Satis rursus quæst. præc. constitutum est, promulgationem (sufficientem utique) esse de ipsa ratione legis; esse saltem conditionem prorsùs necessariam ad ejus virtutem, vim, & obligationem. Prorsùs ergo implicat, articulos aliquos, vel leges esse necessarias ante sufficientem promulgationem.

Sed denuò arguit ex actu. 15. unde constat, ipsos etiam Apostolos ignorasse, unum gentes conversæ obligandæ essent ad circumcisionem, ac cætera legalia. Cæterùm ex eo capite haud constat, Apostolos hoc ignorasse; nam potius Paulus, ac Barnabas restitisse leguntur, etsi posteà Paulus, & Barnabas Hierusalem ascenderint, conciliumque celebratum sit: quemadmodùm Concilium Tridentinum coactum fuit, & si non ignoraretur, Lutherum, Calvinumque planè desipere. Ideo, ut paulò antè dicebamus, Augustinus ep. 19. non vult Apostolos hoc ignorasse. Constat sanè ex hoc cap. 15. quosdam id ignorasse; at potiùs colligi potest ignorantiam istam fuisse noxiam, & culpabilem; nam in litteris à Concilio missis habetur: quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus, &c. Animæ autem non evertuntur innoxiis, ac invincibilibus ignorantiis, quæ nihil nos lædent.

Arguit præterea ex 1. Machab. cap. 2. ubi Machabæi invincibiliter ignorarunt, num liceret præliari in die Sabbathi, existimaruntque, non licere: quare veniente exercitu Antiochi, ipsisque pugnare detrectantibus, ne sabbathum violarent, mille animæ hominum occisæ sunt. Existimandum verò non est, hos adeò externos legis Dei vindices in hac ignorantia, vel ex illa deliquisse.

Respondemus, hanc ignorantiam videri abs re; non enim est ignorantia, ex qua, vel propter quam lex aliqua Dei violata sit, sed potiùs per ignorantiam, ut scrupulosi, aut timoratores solent, existimarunt, non licere prælium, & ibi culpam, ubi non erat, timuerunt, quod sanctorum est. Fortè etiam non nisi dubitarunt, ac in dubia ut par erat, partem tutiorem secuti sunt dicentes *moriamur omnes in simplicitate nostra.*

Sed inquis, eos non pugnando violasse legem naturalem propriæ defensionis. Respondemus, eos tam paucos obligatos esse non potuisse inire prælium adversus exercitum Antiochi, quin tunc fortè futurum haud fuisset tutum: quia sine spe propriæ defensionis alios occidissent, & solùm licet in sui defensionem, & ut sapienter locutus est S. Thomas, se defendendo alium occidere; non autem alium occidendo se defendere: ergò minus licet occidere, ubi defendi non possis. Certè Judas Machabæus cum exigua manu prælia commisit contra plurimos: sed ut à temeritatis culpa eum excusemus, tenendum videtur, à Deo cujus quasi miraculoso adjutorio sæpè vicit, specialiter roboratum, animatum, motum fuisse etiam, quando in prælio cum tam paucis adversus innumeros commisso cecidit. De quibus multa disseri possent, & 2. 2. quæst. 40. art. 4. tractatur, utrum liceat bellare in die festo? ubi etiam Mathathiæ legis interpretatio probatur, ac ratio assignatur: quæ ad eam causam ferè revocatur, quam Dominus Judæis proposuit, & objecit, num liceret benefacere in die sabbathi

quam causam Dominus proposuit Matth. 12. M. 3. & Lucæ 6. Et certè ut prælium, quod nescio quid plus difficultatis habere videbatur, prætermittamus, ignorantiam eam, qua Judæi arbitrabantur, non licere curare in die Sabbathi, innoxiam Dominus non habuit; nam Marci 3. dicitur: *& circumspiciens eos cum ira, contristatur super cæcitate cordis eorum, dicit homini, extende manum tuam.*

Illud hic addendum est, sive modo à nobis significato, sive alio Machabæorum horum facinus, ac similia ita exponenda esse, ut nullatenus nec per ignorantiam quidem invincibilem ulla per ea lex violata re ipsa fuerit; nam de ejus Theologiæ veritate nihil omnino dubitamus, sed compertissimam habemus, quæ ait, voluntarem, aut operationem rationi per invincibilem etiam ignorantiam errant conformem non esse bonam; nec laudandam, sed solùm, & purè non malam, seu culpæ in imputabilem; nam ignorantia solùm excusare potest; rectam conscientiam conflare non potest, nec proindè rectam voluntatem, aut operationem. At Machabæi isti non solùm à peccato excusandi sunt, sed laudanda etiam eorum mors. Ergo nulla lex per eam, nec per ignorantiam quidem invincibilem eversa est.

Idcircò quoties in facinora Martyrum aliquorum incidimus, qui se ultrò in rogum injecerint, haud unquàm sanctæ ecclesiæ in mentem venit, eos per ignorantiam aliquam invincibilem excusare, & laudare, sed scientissima Mater ad specialem, motionem, impulsumque Dei recurrit. Sic Samsonem quoque, qui concussis fortiter columnis Judic. 16. gloriosè triumphans obiit, tuentur sapientes, non per ignorantiam. Sic Eleazarum, qui 1. Machab. cap. 6 qui se Elephanto supponens occubuit, & Raziam lib. 7. cap. 14 non per ignorantiam, sed per specialem Dei motionem defendendi sunt; si defendendi sunt: propter has quippe occasiones proprias, & alia Augustinus lib. 7. contra Gaudent cap. 23. dicit Machabæorum scripturam receptam esse ab Ecclesia, non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur.

Hinc longa gestorum veterum Patrum series referenda occurrebat, vel Abrahæ, qui sacram non uxorem suam esse, sed sororem dixit; vel Jacobi, qui se fratrem Esau effinxit, ac benedictionem præripuit; vel Israelitarum, qui ex Ægypto proficiscentes *petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque quamplurimam: Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis, & spoliaverunt Ægyptios*: vel Judith. quæ longissimè commenta esse, & cap. 12. in peccatum etiam verbis consensisse videretur; atque hoc genus permulta occurrebant, quæ negotium facessunt, vel ut à culpa eximi possint, vel tamquam recta, & rectè facta etiam propugnari.

Sunt profectò, qui aliqua veterum Patrum similia gesta damnent, nec à peccato liberent: at omnes aliqua, & multi omnia similia & excusant, & bona esse etiam censent. Ad quæ sanè vel excusanda, vel etiam probanda ad ignorantias, horumque tantam virtutem itum numquàm est. Quod historicè non possunt sacramento, & significatione declarari; ad Dei motionem, ad Dei Dominium confugiunt, ut scitur, nec in re tam trita testimoniis obviis opus est: in aliorum ta nen specimen ex Decret. tit. de divortiis cap. *Gaudemus hoc infero. Nec ulli unquam licuit in simul plures uxores habere nisi cui fuit divina revelatione concessum, qui mos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quam sicut Jacob à mendacio, Samson ab homicidio, Israelitæ à furto, sic & alii* &c. *ab adulterio excusantur.* Bellarminus lib. 1. de matr. cap. 23. vel ipsam sanctam Monicam in suo matrimonio à culpa propter ignorantiam tutò excusare ausus non est, sed hanc, aut aliàs indeterminate solutiones apposuit.

Hæc certè gesta haud erant circa prohibita in Decalogo sine circumstantiis, quomodo ignorantiæ in vincibiles negantur, sed sub magnis circumstantiis, ut an causa servandæ aut vitæ, sicut in Abraham, aut patriæ sicut in Judith liceret mentiri? & sic in aliis. Expeditissima via hæc solvendi, & quæcumque oporteret, à peccato eximendi, & rectitudine quoque, ac honestare donandi fuissent ignorantiæ invincibiles legum sub illis circumstantiis, si hæ ignorantiæ dari possent, & à peccato excusare, ac insuper etiam rectitudine actus humanos donare. At non ita, nec per hanc viam expediri solent gesta illa à Patribus nostris, ut scitur. Non ergo existimatum est, rerum harum dari ignorantias invincibiles: & tamen multi hodie ad ignorantiam invincibilem confugiunt.

Movit præterea Corduba ignorantias aliquas Romanorum Pontificum in doctrina morum. Verùm hic locus non est de his disserendi; nam si de Romano Pontifice non tamquam de privato, sed de publico Ecclesiæ Doctore, ac supremo in terris Pastore sit sermo, non argumentum est, sed absurdum potiùs habemus, eum in fidei, morumque doctrina errare posse: quod non hic cursim, sed instituto consilio erit tractandum. Sin verò aliter sit sermo, in primis etiam sic reverenter est disserendum, nec error ullus, qui defendi, aut explicari queat, unquam concedendus. Dato autem in aliquo erratum esse, undè probant, fuisse ignorantiam, invincibilem? Nos enim, quod universim de omni statu lib. 1. dictum est, existimamus, neminem, qui à peccatis scienter admissis præsentatus non est, esse à peccatis ignorantiæ præservatum. Unde ficto (est enim fictio) Romanos Pontifices etiam tamquam publicos, ac supremos Doctores erravisse, non superesset, ex quo ignorantia probaretur esse invincibilis; Deus enim, ne errent, eis adest; non autem ut invincibiliter errent, si erraverint: pro quo privilegio nihil hactenus Doctores moverunt.

§. II.

Nulla ignorantia invincibilis legis Dei invenirè videtur in scripturis sanctis in universali.

INquam, *in universali*: sunt scilicet in scripturis loca tractantia de ignorantia legis Dei universim, & in communi: sunt verò alia definientia de aliqua ignorantia particulari hujus vel illius. Nunc ergo de primo genere documentorum tracto, & quid universim de ignorantia legis Dei, & qualibet illius particula scripturæ sanctæ sine exceptione statuant, & num alias excusent, & alias damnent, sed non potiùs ignorantias condemnent, nec ullas innoxias habeant?

Videtur ergo sic universim, & in universali scripturas examinando, nullam inveniri in eis igno-

ignorantiam invincibilem legis Dei neque totius, neque partis. Quod ostendam, iis locis utendum est, quibus lib. 1. constitutum fuit, dari peccata ignorantiæ: ibi enim ea adducta cuncta, ut ignorantiam peccatom esse, vel causam peccati, ostenderetur: nunc non ad hoc, sed ut habeatur, an semper peccatum sit, vel causa peccati, percurrentur, nec opus erit sanctorum ibi data testimonia hic denuò, quæ videri possunt lib. 1. quæst. 4. & seqq. Quin Augustinus epist. 65. non de iis differens, quæ contra legem sont, sed de rebus ipsis bonis, quarum unam modò, aliam, & non illam deinceps vult nos agere Deus, difficile ait esse, in his non falli; nec tamen ignorantia aliqua invincibilia se mox tutum habet, sed sanctarum quatumque animarum vocem ex Prophetis usurpat: *delicta quis intelligit*: Nunc forderet usuris urbes; sed præsto est advocatrix ignorantia invincibilis.

Huc primùm attinet cap. 4. & 5. Levitici, quæ sunt de hostiis, & sacrificiis pro peccatis ignorantiæ, & oblivionis: nulla fit distinctio ignorantiæ, alterius noxiæ, alterius innocentis, quæ omnino facienda videretut, sed pro quocumque per ignorantiam, aut oblivionem facto contra legem, jubetur offerri hostia pro peccato.

Locutusque est Dominus ad Moysem dicena: *loquere filiis Israël. Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini, quæ præcepit, ut non fierent, quidpiam fecerit: si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum suum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum*; Nihil universalius dici potuit; de universia prorsùs mandatis ponit, ac supponit, peccatum committi, si quidpiam per ignorantiam contrà agatur.

Rursus: *quod si omnis turba filiorum Israël ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum* &c. Tu quidem distinguis, si per ignorantiam vincibilem, vel invincibilem fecerit; si mandata magis, vel minùs manifesta ignoravit. At Dominus nihil distinguit; de mandaris sub hoc termino, & in universali, & de universis loquens, supponit peccari semper: ergo supponit, ignorantiam non esse invincibilem. Ubi etiam, quod è re nostra est passim annotare habes, etiam sacerdotes etiam turbam, ac magnam multitudinem per ignorantiam peccare posse, ac prorsùs vanam esse defensionem per multos, *& quam multi hoc faciunt? & quis non facit?* &c. ut ex Augustino tam sæpè, quam necessariò animadvertimus.

Denoò: *si peccaverit Princeps, & fecerit unum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur; & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam*, &c. Ecce semper *si peccaverit* pro eodem usurpat, ae si fecerit aliquid, aut unum, quod lege Domini prohibetur: & hoc in loco vel unum ex omnibua ponitur. Ergo non aliquid, non vel unum fit per ignorantiam contta legem Domini fine peccato. Certè si ista hac tanta universalitate, & sine exceptione dicerem ego, nemo, opinor, ambigeret, me nullaa admittere ignorantias invincibiles. At dicuntur à Deo. Nullas ergo admittit.

Itcrùm: *quod si peccaverit anima per ignorantiam de populo terræ, ut faciat quidquam de his, quæ lege Domini prohibentur, atque delinquat*: & cognoscat peccatum suum, offetat capram, &c. cap. 5. eodem modo semel iterum, tertiò de iis statuit, quæ per oblivionem fiunt contra legem, aut obligationem aliam juramenti, vel similem: atque de ignorantia idem denuò inculcatur. Nobis certè non est animos cum Deo contendendi, qui per ipsam demum legem suam, non aliam judicaturus nos non est.

In hia verò de præceptis negativis, ac prohibentibus expressior sermo esse videtut. Jam Numerot. cap. 15. sic dicitur. *Quod si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est ad Moysem, & mandavit per eum ad vos, à die, qua cæpit jubere, & ultrà, oblitaque fuerit facere multitudo, offeres vitulum de armento*, &c. *& rogabit Sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel; & dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt.* Scilicet quia ut ostensum est ignorantia indirectè voluntaria diminuit peccatum, & titulus ad misericordiam. Dicitur autem *non sponte* peccaverunt, quia non scienter, ac prorsùs ultrò ex supposirione ignorantiæ peccatut, ut lib. 1. declaravimua: quo sensu etiam Augustinus suprà dicebat, *humana quippè superbia*, &c. *excusatam se putat, ubi ignorantia, non voluntatis est, quod peccat*: suntque hæc peccata secundum quid involuntaria, & afferunt tristitiam, ut constat ex Ethicis, & ex 1. & 2.

Rursùa eodem cap. 15. Numer. Quod si anima una nesciena peccaverit, offeret, &c. Explicatum porrò etat, quid esset nesciendo peccare scilicet quidpiam eorum, quæ per Moysem Dominus mandavit, nesciendo prætetire. Quoniam verò pro his ignorantiis, quando cognitæ, deprehensæque fuissent, hostiæ jubebantur offerri; contingere autem posset, peccari quidem per ignoranriam, & quod peccatum posteà nequaquàm cognosceretur, idcircò Paulo interpretante ad Hebræos 9. jussum etiam fuerat Levit. 16. ut semel in anno offerretur hostia pro ignorantia tam Pontificis, quam reliqui populi: quemadmodùm nos siquid per ignorantiam contra legem factum deptehendimus, id in particulari confitemur: sin minùs pro ignorantiis in communi deprecamut: valde quippè foret superbum, nos salrem vitæ communis homines existimare nosmet immunes.

Aliia multia in veteri testamento prætermissis, celebriora pro ignorantiis loca cx novo adducamus. Lucæ 12. est locua ille servi nescientis ac ignorantis voluntatem Domini: ac facientis digna plagia, quem paucis quidem, vapolatutum tamen, Dominua ipse decrevit: facere autem digna plagis autem hoc in loco aliud non est, quam nesciendo facere contra voluntatem Dei Dedimua scilicet lib. 1. hoc circa Patrum aliquorum documenta: & nemo eorum eam distinctionem inducit, ut quædam sint à nesciente servo facta contra voluntatem Domini, quæ digna sint plagis, alia, quæ digna non sint, sed universim, & sine distinctione, ac exceptione statuunt, ea, quæ per nescientiam contra voluntatem Domini fiunt, esse digna plagis, etsi paucis. Et re vera totò rigore Theologiæ loquendo ita est, & omnia contra voluntatem Dei facta mala sunt, & digna plagis; aliud est eoim loqui de opere, aliud loqui de operante. Operana quidem invincibiliter ignorans per ignorantiam excusaretur à plagis non quia non facit digna plagis & opera mala; hæc enim mala sunt; sed quia involunrariò peregit. At Dominus constituit universalissimà, servum

vum nescientem, ac operantem digna plagis, vapulaturum. Non ex toto excusatur. Neque ergo invincibiliter nescit. *Nemo igitur*, inquit Isidorus noster sentent. lib. 2. cap. 17. *se de ignorantia excuset; quia Deus non solùm eos judicat, qui à cognitione sua se avertunt, sed etiam eos, qui nescierunt, testante eodem Domino per Prophetam* &c. Et Cyrillus in catena S. Thomæ in præsenti: *homo enim perspicax, qui torporibus suam voluntatem inclinavit, inexcusabile peccatum commisit* &c. *Sed homo rusticanus rationabilius implorabit veniam vindicantis*. Ostendant ergo adversarii, hoc in loco ab aliquo sanctorum Patrum inductam eam distinctionem servi invincibiliter, & vincibiliter nescientis, & sic alterius, & alterius vapulaturi. Nos porrò contra sanctorum Patrum regulam, quod nec unquam sancta Ecclesia facit, & fieri spiritus sanctus specialiter assistat, scripturas sanctas intelligere non audemus.

Alter pro ignorantiæ peccatis locus per celebris est Apostoli 1. ad Corinth. 14. Et quoniam adversarii eam distinctionem invehunt, quod quædam manifestissima, ac expressa in Decalogo citra novas circumstantias invincibiliter ignorari non possint, alia possint; rursus quia in lege naturali, & lege positiva divina vim magnam faciunt, quasi posteriora ista, cum nihil rationi naturali teougnent invincibiliter ignorentur, e re nostra futurum existimavi aliqua eorum mandatorum commemorare, quæ Paulus eo capite denunciat, & quæ formidanda illa sententia clausit: si quis autem ignorat, ignorabitur: & dixerat causalem, quia Domini mandata sunt.

Modum ergo Corinthiis præscribit, quo convenite in Ecclesia debeant, quod qui loquitur lingua, oret, ut interpretur: melius esse quinque verba loqui intelligendo, & alios instruendo, quam decem millia verborum in lingua: quòd cum conveniunt, lingua loquantur ut summum duo, vel tres per partes & unus interpretetur: si autem non fuerit interpres in Ecclesia, taceant, & sibi loquantur, & Deo: quod Prophetæ similiter duo, vel tres dicant, & cæteri dijudicent, & alia: ac postremò, quòd mulieres in Ecclesia taceant, & si quid volunt dicere, domi maritos suos interrogent.

Ecce quæ, & qualia jubeantur; subdit autem continenter Apostolus: *si quis autem videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis; quia Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur*. Rectè hic S. Thomas sect. 7. *ex quo patet, quod omnes tenentur scire ea, quæ sunt de necessitate salutis, quæ ipse prius mandat, & Apostoli, & Prophetæ*. Claudit porrò S. Doctor etiam ea, quæ necessitate præcepti necessaria sunt; esset aliòqui abs re glosa hæc, ubi hæc, quæ mandantur, solùm necessitate præcepti necessaria esse possunt, ut patet; Unde superius etiam demonstratum est. S. Doctorem horum quippe omnium aptimè conscium semper tradidisse, peccatum committi, quoties ex conscientia erronea etiam ligante quis agit contra legem Dei, & sic in 2. dist. 22. qu. 2. art. 1. pronunciat, *unicuique enim peccatum est ignorantia eorum, quæ ad bonos mores, & fidei vitatem pertinent*.

Arguamus sic: si qua Dei mandata invincibiliter ignorari possent, maximè ista, quæ nihil ex jure, vel ratione naturali sciri possunt; maxima non sunt, capitalia non sunt, neque manifesta, aut notissima. Et tamen de ignorantibus ista Apostolus absolutissimè pronunciat, *qui ignorat, ignorabitur*. Ergo à fortiori id est tenendum de exercentibus re ipsa per ignorantiam usuras, simoniam, injustos re ipsa contractus, atque similibus, & sic Ambrosius ad Rom. 14. *gravissimè peccas, inquit, si ignoras*. Causalis item Apostoli de omnibus probat, *quia Domini*, inquit, *sunt mandata*: fieri ergo non potest, quod Domini quis ignoret mandatum, & non sit ignorandus: nam ut dictum est, Dominus omnia, & quælibet sua mandata satis iis promulgar, pro quibus ea constituit, nec ex tota multitudine, vel unum aliquem præterit: quare per hom nem semper, numquàm per Deum aberit, quominùs sua sciantur mandata; quemadmodùm quominùs impleantur; & alioquin declinetur in errorem impossibilitatis præceptorum, ut superiùs ostensum est.

Quapropter idem Apostolus actu. 20. se tutum non habuit, nisi omne omninò Dei consilium, ac voluntatem odoruisset: *quapropter contestor vos hodierna die*, inquit, *quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis, & universo gregi*, &c. Non ergo Apostolus mundum se habuit à sanguine, & peccato eorum, si partem, si aliqua, si majora, & non omne Dei consilium annunciasset: neque ergo ipsi, si in aliquo contrà agerent, immunes essent; aliòqui nihil opus esset, ut Apostolus se eximeret à sanguine, & peccato eorum, si nullum esset futurum. Hinc etiam, quod sæpè usurpavimus, Dominus per Prophetam denunciet væ omnibus bonum malum, vel malum bonum; nec mala, & mala; aut bona, & bona distinxit, potiora, vel minora; manifesta, aut difficiliora. Omnis autem ignorans quamcumque legem Dei sive affirmativam, sive negativam, dicit bonum malum, aut contrà. Ostendant ergo, ubi aliquibus à Domino parcitum sit, & demptum væ.

§. III.

Ex dictis lib. 1. & 2. aliæ ignorantiæ in particulari percurruntur.

Occurrunt primò ignorantiæ infidelium ex eo notæ, quod cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, neque gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis: Hanc culpam secuta fuit pœna, quod insipientes facti, ac in reprobum sensum traditi multa mala perpetrarent, non intelligentes, talia agentes dignos esse morte. Et tamen, sicut cum Apostolo ad Rom. 1. omnes sancti, & sapientes constituunt, hæc eas sua ignorantia non excusavit: non ergo invincibilis fuit. Patet autem ex contextu, & serie Apostoli, quo pacto omnia vincibilia, ac voluntaria extiterint, non in Adamo solùm, ut Jansenistæ obloquuntur, sed in ipso statu lapso.

Notavi superius, educatione, institutione, consueto, & voluntaris pravitate sic fuisse obscura gentibus ea, quæ ignorabant; Christianis usuræ paliatæ, ambitio, simoniæ, avaritia, ac similia. Neque enim una regula facilium, & difficilium respectu omnium tradi potest, ut est conspicuum; & populus Christianus quoad doctrinam morum magni præstare videtur populis gentium, quam præstetur in ipso populo Christiano

ſtiano Doctores rudi populo; qood multipliciter declarari poteſt. Solonis lege, ut ex Chryſoſtomo attulimus, maſculorum uſus tamquam venerandum, ſanctumque aliquid ingenuis concedebatur, ſervis verò prohibebatur. Carthaginenſis ut ex Philoſopho Politicor. 2. conſtat, omnibus uſum maſculorum concedebant, ut nimia propagatio impediretur, nec patrimonio ſufficerent. Et alia lib. 1. dedimus. Refert plurima Auguſtious in libris de Civit. Dei. Quid cunctamur? idolatrare, & peccare; Jovem, Venetem, Matrem Deos habete hoc ſua ipſa religio erat, hæc ſua ſanctitas, hoc ſuum bonum. Jam longè à reliqua morum veritate aberant. Et tamen ſua eos ignotantia non excuſavit, nec in ipſis quidem illis, quæ ſecundum leges ſuas agebant. Hinc egn non aſſequor, quo pacto, & undè in populo Chriſtiano magis invincibilea eſſe poſſint ignorantiæ, aut ſcitu, inventuque difficiliores veritates contrariæ. Quod ſi infidelibus ad ſequentium errorum imputabilitatem cauſa illa ſuffecit, quod cum cognoviſſent Deum, &c. quam precor, ignoranriæ peccarorum feriem, clademque timere non poſſumus, qui tam facilè evaneſcimus & inflamur?

Præterea lib. 1. de illa tum Judæorum, tum gentium ignorantia dictum eſt, qua Dominum gloriæ non cognoverunt, quin arbitrando etiam ſe obſequium præſtare Deo, Eccleſiam, ac fideles perſecuti ſunt. Conſtat autem, neque iſtam ignorantiam aut invincibilem, aut innoxiam habitam fuiſſe. Quò etiam pertinet ignorantia Pauli, quæ cum à culpa non exemit.

Ruraùs de ignorantiis Judæorum eſt ille textus Apoſtoli; teſtimonium eis perhibeo, quod zelum Dei in ſe habent; non autem ſecundum *ſcientiam*. At univerſaliſſimè nulla citra exceptionem lex Dei eſt, quam qui ignotat, plus quam zelum Dei habere poſſit; nam ſecundum ſcientiam habere nequit, qui ignorat; habet quippe ſecundum ignorantiam dumtaxat, & re ipſa contra legem. Ergo eum juxta Apoſtolum zelos ſolus etiam Dei non ſufficiat, ſed ſecundum ſcientiam, & veritatem eſſe debeat, nulla ignorantia tuta eſt. Certè Paulus Apoſtolus expreſſa Decalogi, & quæ hodie Magiſtri noſtri ſciunt, haud ignorabat: & tamen certus non erat, ſe aut omnia ſcite, aut quæ ignorare poſſet, invincibiliter ignorare: dicit enim: *ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me Dominus eſt*: qui ſcilicet comprehendit cor hominis. An ergo homuncin ego illud uſurpem: ſi quid ignoro, invincibiliter ignoro, de quo proindè à Domino judicari nequeam, oeque timeam?

Hinc Dominus, ac unus noſter Magiſter Chriſtus in nullam unquàm, quod ſciam, Judæorum ignorantiam, aut opinionem, aut errorem legi Dei contrarium incidit, quam, & iode facta etiam de conſilio Doctorum illorum opera nnn reprehenderet, ac redargueret, ut lib. 2. latè commonſtratum eſt.

Hùc pertinent opiniones illæ falſæ Doctorum de juramentis, de quibus Matth. cap. 23. hùc opinio illa ſubtiliſſimè excogitata, qua filii ſeducebantur, ne Patribus ſuoveotrent, de qua Matth. 15. huc ſtrophæ illæ, & doctrinæ de uſuris contractis, de qua Matth. 21. & Marc. 11. His ſcilicet doctrinis te ipſa legi Dei conrrariis aſſueti fallebantur, & ignorabant; quemadmodùm nos fallimur, & ignoramus in omnibus prorsùs opinionibus contrariis legi Dei. At Dominus has ignorantias culpæ immunes non habuit. Nulla ergo videtur inveniri ignoraoria invincibilis.

Hinc univerſale etiam illud eſt, ejuſdem Domini ſaltem contra Doctores Matth. 15. & Marc. 7. *ſine cauſa* autem, ſeu in vanum colunt me docentes doctrinas, & mandata *hominum*. At omnis ignorantia, opinio, & error contrarius legi Dei, utpotè falſus, eſt ex doctrina hominum, & nullatenus Dei. Videtur ergo, quod nulla in talibus ſupeſtit ignorantia invincibilis: non cum iſta omnino excuſet, nihil vero profuturoque reliquo cultui præjudicaret: verificarique poſſet, quod docentes doctrinas hominum, & non Dei, ſed Deo contratias, adhuc non in vanum, & fruſtra, ot veritas dicit, ſed utiliſſimè colerent Deum in reliquo, atque gratiam, & gloriam promeretentur.

His etiam annumerare poſſumus duas Petri Apoſtoli ignorantias, quæ c.r. e m xi. e omnium excuſandæ viderentur. A'ia, qua bono utique zelo tantopere detrectavit, ac ieluctatus eſt, à Domino ſibi lavari pedes; in quo tamen ex Baſilio, & aliis culpæ immunis haud exiſtit: alia, qua in defenſionem, ut exiſtimabat, Magiſtri auriculam ſervi Principis amputavit, in quo tamen eum culpæ expertem non fuiſſe. multorum Patrum ſententia eſt. Quanta precor, pro excuſando Petro occurrunt, de quibus alio in opere tractò, & ſanctus cito: nunc pro dictorum fide ſufficiat, quod Maldonatus ait: verum tamen manifeſtum Petri factum à Chriſto reprehendi, ut ne diſputari quidem debeat: quod egregiè confirmat Salmeron.

§. III.

De ignorantia Evæ, & aliqua etiam Adæ.

Viſum eſt de his Evæ, Adamique peccatis aliquid hic contexere, de quibus quippe in cauſa literque probabilium acriter diſceptari cœptum eſt. Viſum enim fuit Julio Mercoro id genus probabilitatis æque, & minus probabilium, & per contradicturia ex æquo vagantium, quam rectam morum regulam eſſe tam multi tuentur, non defuiſſe neque Adamo, neque Evæ. At quibuſdam ſaltem adverſariorum hoc viſum eſt neſcio quod monſtrum, ac vehementer mirati ſunt id alicui in mentem venire potuiſſe, evidentiſſimæ ſcilicet, manifeſtiſſimæ, ac pernicioſiſſimæ tranſgreſſioni legis apertæ ullam probabilitatem, colorem, prætextum ullum adeſſe potuiſſe.

Nos porrò miramur horum oſcitantiam, & quod in ſe ſaltem ipſos, & ſua non reflectant, & advertant, & diſcant. Aliud eſt enim, rea eſſe manifeſtiſſimas, evidentiſſimas, palmares in ſe; aliud, eas tales videri nobis videri: aliud rursùs, eas eſſe manifeſtiſſimas his, aliud eſſe manifeſtiſſimas aliis: quæ niſi diſtinguant, planè ineptient. In rebus io ſe manifeſtiſſimis etiam erramus, & contraria nobis pluſquam probabilia, quin evidentia aliquando videri ſolent, ut patenter cernitur tum in veteribus, nam Zeno motum negavit, Academia veritat m invincibilem, & ſic alii, & alii ſine fine; in contradictionibus aliquando

quando fortissimis scholarum, & Authorum; & cum alterutri errent, interim utrisque ut minimum probabiliora, sæpe etiam, & evidentissima videri solent: & unusquisque, si cot habet, reflectere potest, hæc in suo cubiculo, & capite esse evidentia contraria in alio vicino. Alia aliis sunt etiam de fide, ut Deum ex creaturis demonstrari posse; aliis nec de fide, nec verum quidem id est.

Itaque non disputatur, quid re ipsa, & qualis & quanta fuerit obligatio Evæ, & Adæ; nam de fide jam nobis est, nos obligatos fuisse, & peccasse: & omnes in contrarium rationes phantasticas fuisse, sophisticas, insufficientes: ut sunt rationes etiam hæreticorum, & sunt, quod part. 1. demonstratum putamus, omnes quantæcumque rationes omnis conclusionis, & opinionis falsæ. Disputatio ergo est, non quid re ipsa fuerit, sed quid Adamo, & Evæ visum sit? an Eva probabile, quin etiam certum putaverit, se non peccare? an item Adamus saltem existimaverit, se non grave aliquid, sed veniale committere?

Indubitata in hac conclusio sapientium est, Evam arbitratam fuisse, se non peccare: Adamum quoque seductum saltem in eo fuisse, quod venialem putaret, à re committi, vel in alio longè probabilius est.

De his certè nihil esset disputandum; nam aliquid scientibus sunt notissima: alii advertere aut nolunt, aut non possunt. Peccatum itaque Evæ, fuit peccatum ignorantiæ; supponit tamen, quod omnibus peccatis ignorantiæ commune est, peccatum aliud scienter admissum elationis, ut etiam S. Thomas notat ubi infrà. Adeò hoc tritum est in Theologia, quod in sententiatiis tractario de peccatis ignorantiæ admixta sit, & attexta quasi indè scilicet incipiens, peccato priorum Parentum & nos in examine ignorantiarum istam quoque ignorantiam, erroremque collocavimus.

Textus Apostoli est expressus 1. ad Timoth. 2. *& Adam non est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* S. Isidorus lib. 2. Sentent. [illegible] 17. *tribus modis*, inquit, *peccatum geritur, hoc est, ignorantia, infirmitate, industria periculo autem penarum diverso. Ignorantia namque modo peccavit Eva in Paradiso, sicut Apostolus ait*, &c. Rursus: *ergo Eva peccavit ignorantia*, &c. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 2. & lib. 11. de Genesi ad litter. cap. 30. & 31, & 42. toties, tamque patenter Evæ ignorantiam, errorem, & causas profert, ut longè inexcusabilior videri possit, hoc ignorare velle, quam fuerit ipsa Evæ ignorantia.

Inculcemus tamen aliqua cum magno satis fastidio nostro. Eo lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 30. ait; *viditque bonum ad escam, & decorum aspectu, & non credens, posse indè se movere, arbitror, quod putaverit, Deum alicujus significationis causa dixisse, si manducaveritis, morte moriemini.* Hinc cœpta aliqua deceptio etiam Adæ: *& dedit etiam viro suo; fortassis etiam, aut Doctor, cum verbo suasorio, quod scriptura tacens intelligendum relinquit. An forte nec suaderi jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat.* Et cap. 31. *probabiliter existimans non esse mortem, quam timuerant, secuturam.* Ubi habent etiam privilegiatissimam suam, & charam adeò vocem *probabile* & *probabilius*. Et cap. 42. *Hanc autem propriè seductionem appellavit Apostolus, quia id, quod suadebatur, cum falsum esset, verum putatum est*: ubi alia subnectit in idem. Hæc porrò, ut rursus etiam dicam, est irrefragabilis propositio in Logica, quod omni putanti aliquid, id verum videtur, quod putat: & ita dignum assensu, & grave, & prudens: de quo sæpe lib. 1. & etiam quæst. præc. §. 1. dictum est, nec everti hoc potest.

Eadem ingeminat de civit. Dei lib. 14. cap. 11. ut lib. 1. visum est: ubi illa: *non enim frustra dixit Apostolus, Adam non est seductus; mulier autem seducta est, nisi quia illa, quod ei serpens locuta est, tanquam verum esset, accepit.* Rursus: *hos autem seductos intelligi voluit, qui id, quod faciunt, non putant esse peccatum*: & alia quæ numquam capiant, qui putant, sequendo rationem errantem nos non modo non peccare, sed etiam rectè operari S. Thomas in 2 dist. 22. art. 3 ait, mulierem *firmam opinionem* concepisse: adeò fortia, & concludentia fundamenta ei visa sunt, ut parum fuerit probabilius solum existimasse. D. Bernardus ser. 26. de modo bene vivendi: *tribus modis peccatum committitur, videlicet per ignorantiam, per infirmitatem, & per industriam. Per ignorantiam peccavit Eva in Paradiso, sicut ait Apostolus, vir non fuit seductus, sed mulier fuit seducta.* Quid plura? Ergo id verum existimavit: ergo dignum assensu. Sed hi homines numquam distinguunt, quid sibi, quid aliis sit probabile, vel improbabile, & quid nunc, quid priùs.

De hoc itaque nemo dubitat; & controversia solùm superest de Adamo, an, & quantum, & in quo seductus sit? Etenim Patres docent, Adamum quoque fuisse seductum, & ignoravisse, quod Bellarminus lib. 3. de amis. grat. & stat. pec. cap. 7. & plenissimè Pererius super citatum locum Apostoli prosequuntur: qui videri possunt, & S. Thomas de muliere rem supponens de viro, non in universali, sed in particulari *quod gerendus esset mos uxori, & cum ea comedere deberet*, eum deceptum arbitratur: item probat, quod Augustinus eo cap. 11. tradit, quod inexpertus divinæ severitatis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse *commissum*; inquam veniale, id est, facile remittendum intelligit S. Thomas.

Supponenda sunt hic duo, alterum, quod est de fide, Evam, Adamumque peccavisse: alterum, quod est etiam saltem quasi de fide, Evam nihilominùs seductam, deceptamque fuisse, & per ignorantiam peccavisse; quin Adamum quoque in aliquo demùm deceptum fuisse, ut sanctorum fert authoritas, & patet ex Theologis.

Omni porrò decepto probabile, imò probabilius etiam id videtur ut minimum, in quo decipitur; & hic est infimus gradus deceptionis, & erroris. Quemadmodùm enim sunt assensus veri, & recti, sic sunt, & totidem sunt assensus falsi, & errores; & sic est sua quoque falsa, purè existimata, & putata fides divina, quam habent hæretici; est sua falsa purè existimata, & putata scientia, & demonstrationes, quibus abundant sophistæ; est etiam sua falsa purè existimata, & putata certitudo moralis, qua multa sæpè falsa certa censemus: est denique infra certum sua falsa purè existimata, & putata credibilitas, & probabilitas, seu probabilioritas, qua opinamur, aut credimus, quoties falsa opinamur, aut credimus.

Hinc evidens est, Evæ probabile credibile, seu probabilius, seu certum visum esse, se non peccare;

care; nam id verum ei visum est, ut constituimus: ergo aliquo genere assensus id verum habuit: ergo ut minimum opinione: ergo ei visa sunt motiva digna assensu, & res credibilie: nec enim incredibilia nota, quæque nobis incredibilia, nec assensu digna videntur, credere possumus ullo voluntatis imperio, ut demum quæst. super. §. 1. demonstratum est.

At dicis, nec aliud nisi valdè ignoranter dicere potes, Evæ quidem ita visum esse, sed malè visum fuisse; motiva deceptionis digna ab ea habita, quibus crederet; at re ipsa digna non fuisse.

Et nos quidem hoc indubitatum habemus. Sed ecce tota causa revocatur ad hanc unam necessariò faciendam distinctionem, qua distinguimus universalissimè omnia argumenta, fundamenta, motiva, rationes, probabilia, probabiliora, certa, evidentia, & quocumque simili alio modo vocata dicendo, alia esse quæ sint talia; alia, quæ videantur esse, sed non sint; ac prima sunt simpliciter talia; secunda solùm secundum quid, & ex ignorantia, vel errore. Et re vera hæc una distinctio est, qua tota sophistica, & opus universum sophistices de plano, clarè, innegabiliter ex primis Logicæ rudimentis differt à scientia, & à quocumque genere assensus veri, & recti, & ab opere toto ejus, ut part. prima, ostensum est.

Ex quo evidenter illud accipitur, causam Evæ, & cujuscumque consulentis, aut operantis ex falsa opinione contraria re ipsa legi Dei, non quidem quoad quantitatem peccati, sed quoad substantiam peccati esse unam, eamdemque: nam si sermo sit de probabilitate, aut probabilioritate, aut certitudine purè sophistica, fallaci, & phantastica, utrique eam habent; neutri verò si de probabili, aut probabiliori, aut certo verè, & simpliciter tali, reali, & scientiæ sermo sit; nam nulla prorsus conclusio, aut opinio falsa probatur per scientiam, sed per ignorantiam, & nulla talis probatio est opus scientiæ, sed purum opus sophistices peccans in materia, vel in forma.

Quæ licet clarissima videantur, ut declarem amplius, quia in rebus gravissimis, ac infinitarum consecutionum serie versamur, quæro ab adversario, vel ad istam suam, quam tanti facit probabilitatem, nihil intersit, vel prorsùs intersit, num falsa fundamenta, num vera assumantur? num tursùs ex ipsis veris etiam fundamentis malè, an rectè colligatur conclusio, & opinio, ex qua operandum fit? si nihil ista referant, & si nihil ista distinguenda sint, planè Eva assumpsit falsa quidem, sed quæ vera, & gravia ipsi visa sint; item collegit malè quidem, sed ipsi bona collectio, & consequentia, visa est; alioqui non fuisset seducta, nec per ignorantiam peccavisset. Ergo habuit suum tanti factum probabile. Ergo istud sequendo peccari potest cum de fide sit, eam peccasse; & Adamus quoque peccavit etiam in quo seductus est.

Quod si ad suam probabilitatem intersit, & prorsùs intersit non falsa assumere, nec malè etiam ex veris colligere, profectò nulla conclusio, & opinio falsa hanc probabilitatem consequetur, & de plano concidunt, quæcumque de probabilibus latè extruxerunt.

Ais nihil interesse, num vera, num falsa assumantur, modò assumantur gravia. Sed istæ gravitatee per metaphoram translatæ ad intellectualia attritæ sunt sæpè nisi dependenter à vero exponantur. Deindè nusquam distinguunt quæstionem de esse à quæstione de videri, hoc est, scientiam à sophistica. Vel ergo interest, assumere gravia, quæ re ipsa gravia sint; vel satis est assumere, quæ gravia videantur operaturo ipsi, atque consulturo? Si hoc sufficiat; habuit ergo Eva hujusmodi gravia, & hujusmodi probabile; alioqui non fuisset seducta, & Adamus quoque, in quo seductus fuit. Primum verò nulla falsa conclusio, & opinio habet; nam, quod, opinor, part. prima, demonstratum est, omnis probatio falsi est sophistica, omnis solùm videtur esse gravie, vel bona, sed non est; & solùm probat, ac vim facit per accidens, & ex ignorantia, & errore. Nimius sum, fateor atque prolixus; sed utinam vel sic sofficiam potentissimæ contradictioni evertendæ.

Eva itaque, ut dictum est, seducta per apparentes rationes, quæ tamen ipsi vim fecerunt ingentem, atque per ignorantiam peccavit; & qualiter in doctrina fidei, & morum peccare alii solent per ignorantiam.

Sed quædam, ni fallor, valdè phantastica ingenia nihil inveniunt, in quo, & ex quo decipi in re adeò manifesta potuerint. Protulit Juliue Mercorus doctissime causas multas, ex quibus Eva decipi posset, sanè consimiles causis aliis, quibus multæ modò morum opiniones fabricantur. Primo enim quod quidem docent, arbitrari potuit, nullam legem pœnalem obligare in conscientia. Secundo ait, quia probabile etiam est, quod alii tradunt, Deum non præcipere aliquid leve sub culpa gravi: erat autem valdè leve comedere unum pomum; utque Sanctus Thomas opusc. 2. loquitur, præceptum positum fuit, *ut homo saltem in hoc modico aliquid observaret*; quod & Augustinus libro decimoquarto, de civ. Dei capite duodecimo, & alias observavit: Sed ais; Deum expressè præcepisse, ne comederent. Verum etiam hominibus loco Dei jubentibus obediendum, opinor, est; & tamen siquid de tabaco, aut similibue sub præcepto etiam prohibeant, passim quidam obloquuntur levitatem materiæ, quæ obligationis gravis capax non sit, & utinam superiores etiam non spernant tamquam minùs scientes. Deindè satis expressè Deus gloriosus multa præcepit, multa prohibuit; superabundantiam in mutuo interdixit: & tamen opinionibus interpretantur. An ergo primis solùm Parentibus aut interpretandi facultas dempta est, aut una tantum lex comedendi pomum opinionibue, ac interpretationibus subjici non debuit? Quam vellem, si casus hic conscientiæ quin hactenus auditus esset, nunc primùm accideret, & consultationes experiremur.

Sed & causas alias, ex quibus deciperentur, viri sapientes notarunt. Nam primò, cum Dominus mortem comminatus fuisset, si vescerentur, facilè subrepere potuit cogitatio aliqua, qua existimarent, arborem illam mortiferam, & terribile quidpiam, ac tetrum esse, ex qua qui comederent, morerentur: qua de causa notantes

tanter dicitur: *vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*; non quale occidere posset. Hæc observatio non mea, sed magni Augustini est: *viditque bonum ad escam, & decorum aspectu, & non credens, posse se inde mori, arbitror, quod putaverit* (id est opinata, & interpretata fuerit) *Deum aliquas significationis causa dixisse si manducaverint*, &c. id est, non litteraliter, & ut sonabat intelligendum præceptum.

Hinc causa alia fortior deceptionis, & prave præceptum intelligendi Adamo, quam idem Augustinus exhibuit, neque nos modò comminiscimur, scilicet mulier verbo etiam suasorio ad virum uti potuit, dicereque illud de morte non præsè, neque ad litteram intelligendum; cum ipsa jam de arbore comedisset, nec mortua tamen esset: vel an fortè, ait Doctor, *nec suaderet jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat*. Inexpertus deinde uterque divinæ severitatis, ut idem Augustinus ait, facilius etiam ex hoc falli, altera in toto, alter in aliquo potuit; nos quippe post tot etiam divinæ justitiæ experimenta, & postquam proprio ipso filio non pepercit, promptè pro nostris opinionibus Dei misericordiam in patrocinium advocamus. Rursus ex D. Thoma etsi Adamus benè præceptum nosset, illud particulare ignorare potuit, num gerendus mos esset uxori, *& cum ea comedere deberet*; adversarii enim de præceptis expressis, & claris absolutè, & in se sumptis, qualia sunt Decalogi, non admittunt ignorantias invincibiles saltem diuturnas, at sub novis circumstantiis admittunt satis frequentes. Deus verò Adamo injunxit quidem satis clarè, ne ex arbore illa comederet, uxore etiam rogante, & licet propterea contristanda esset & casus sanè aliquot resolui solent, si rogatus ab amico agas, & ex causis similibus. In hoc ergo ad instar nostri opinari, & interpretari, & invincibiliter legem ignorare potuisset, si lex Dei invincibiliter ignorari, vel toties falterit, ac tam facilè invincibiliter ignorari potest. Causam aliam, unde deciperetur mulier, addit Magister sentent. in 2. dist. 21 quare, inquit, mulier non horruit serpentem? quia cum noverit, creatum esse, etiam officium loquendi à Deo accepisse putavit.

Hanc totius tentationis, deceptionis naturam & causarum seriem, atque tragœdiam universam gravissimè, sapientissimeque prosecutus est, ac ob oculos potuit Magister Sent. dist. 21. & 22. quæ omnia qui mente amplexus fuerit, & se hominem, ac valdè hominem noverit, haud sanè superbiet, neque existimabit, se eodem pacto decipi non potuisse, & peccare; aut decipi, seducique nunc etiam non posse, & delinquere, nec tum esse arbitrando, suas, aut nostras, quibus tam sæpè decipimur, rationes longe alias, & genere etiam impares esse, sed timebit, humiliabitque se metuendo, ne levioribus etiam ex causis aliquando fallamur, ac legem sanctam Dei huc illuc spontè vertamus. Præterfit utique in nostris Parentibus origo malorum elatio illa comprimenda. Num ergo juvat credere, nos procul ab elatione abesse, ex qua levissimas sæpe rationes gravissimas, & probabilissimas habeamus? Non is ego sum, qui de me id credere possim; atque ideo Dei verbis, & sanctorum, Virorumque summorum vestigiis, ne errem, totus insisto.

§. V.

Peccata quædam ignorantiæ Saulis, & alia in confirmationem induantur.

Nobis una, eademque est tractatio de operationibus factis ex ignorantia, vel ex opinione quacumque falsa, sive probabile, sive probabilius, sive certam etiam, ac evidens existimando quis fallatur, & omnis ad peccandum scienter necessarius scrupulus falsa opinione, & existimatione obligatur; ut enim fuit constans, & numquam in dubium versa veterum Theologorum sententia, quæ, ut dubiam, & scrupulosam hic omittamus reliquam omnem conscientiam in rectam, & erroneam adæquatè aut divisit, aut distinxit, id est, in conscientiam, legi Dei conformem, vel contrariam; neque mediam aliam invexit; neque item distribuit, ex omni ratione falsa, ac errante formari conscientiam pariter errantem, & erroneam; cum omnis falsa opinio ad rationem errantem pertineat, profectò non alia, & alia, sed una, & eadem prorsus est tractatio, & definitio de iis, quæ ex ignorantia, & errore fiunt, & de iis, quæ ex opinione falsa sine scrupulo: & omnis omnino ratio, & probatio opinionis cujusque falsæ; sive probabilis, aut probabilior, visa sit, sive certa etiam, & evidens, est purè sophistica, ut part. prima, & rursus part. 2. libro primo, late ostensum est.

Hinc omnia illa, quæ in libris Dei facta invenimus contra legem ejus, atque præcepta, ad istam de ignorantiis causam revocamus, sive prorsus nescienter, sive ex quantiscumque rationibus apparentibus solùm, & sophisticis (nihil scilicet pro falso, & contra verum nisi solum apparens, & sophisticum militat) peracta sint.

Hæc inter movit pridem Julius Mercorus ex 1. Reg. 15. peccatum illud Saulis, quo contra præceptum Domini pepercit Agag. Regi Amelec, *& optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis, quæ pulchra erant*: nec hoc unius Saulis, sed totius populi facinus fuit.

Nunc excusationem Saulis audiamus: dixit & Samuel: *quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es?* &c. *Et ait Saul ad Samuelem: imò audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus, & adduxi Agag Regem Amalec, & Amalec interfeci. Tulit autem de præda populus*, &c. *ut immolet Domino Deo suo.*

Expendit Mercorus, Regem bono fine servatum, scilicet ad magnificentiam triumphi quod ad gloriam & populi, & Domini etiam ipsius vertebatur; & parum, aut nihil interesse videbatur, quod statim, vel paulò post interficeretur: pecora etiam, ad immolandum servata esse, & occidenda. Confert mox Mercorus hanc Saulis, & populi opinionem cum aliis, quæ modò probabiles existimantur. Audivi quosdam dicentes, has, quas hic Author memoravit, opiniones non esse probabiles; qui sine confundunt passim suum pro-

probabilium probabili universarum, & qoasi omnium Authotum, & hominum vocem, suffragiumque haberent, quod sibi probabile non est, mox negant esse probabilia, cum regulam interea dare nequeant inclusivam probabilium, & exclusivam improbabilium, ut part. 1. habitum est, nec dare possunt, quamdiù per verum rem non exponent; & opiniones qoæque suis Aurhoribus, & sequantibus, & quorum illæ intersint videnrur gravis, in qua gravitatis voce bærent.

Sed ad rem. Dominus haud dixit, etiam Regi non parces, & servato etiam Rege sauli visum est, se jam interfecisse Amales, atque ita implev isse præceptum. Certè non minus clarè, ac semel, & iterùm, ac multoties iterato sermone idem Dominus, non alius, ut §. secundo, visum est, inquit, *quod si per ignorantiam præterierit quidquam horum, & quidpiam de universis mandatis, unum è pluribus*, &c. Et tamen passim, ac in omnibus pæne controversis, quibus tot volumina implentur, admittunt hi Aurbores ignorantias invincibiles. An ergo Saol similis prorsùs verba, quibus demoliri universa Amalec jussus est, mitius intelligere, ac vel unum Regem excipere, vel tantisper interfectionem saltem differre, & sic invincibiliter ignorare non poruit? Diceres forsitam modò, si casus hic nunc novus occurreret, etiam excepto uno, verificari propositionem universalem de interficienda, delendaque Amalec; pro Rege ipso exringuendo mentionem specialem faciendam fuisse; item parui interesse, an statim tunc, an post accideretur: accessisse etiam seditionem exercitus; nam inquir Saol, sed id fecisse, *timens populum & obediens voci eorum*: jussum quidem Saulem fuisse universa delere; at num tanto eriam periculo, ac repugnante populo teneretur, vel etiam posset explicatum non fuisse: passim hodie legem interpretari, temperarique per nimis durum, per magnum præjudicium. Quid ergo Sauli non liceret in eumdem modum præceptum interpretatione lenire: certè ipsi visum fuit, se audivisse vocem Domini, & in via ejus ambulasse: in quo sane deceptus est; omni tamen, qui decipitur, quod sæpè fidenrer usurpamus, fundamenta, quibus dicipitur, digna, graviaqoe videntur: & tamen peccavit, & tantoperè iratus est Dominus atque Saulem abjecit.

Est aliud quoque peccatum ejusdem Ssolis eodem libro primo, capite decimotertio, *Percussit Saul stationem Philistinorum, & erexit se Israel adversus Philistum*, &c. *Et Philistum congregati sunt ad præliandum contra Israel triginta millia unum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena, quæ est in litore maris, plurima*, &c. Quo viso à viris Israel, *& se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis*; & perterritus est universus populus; *& expectavit septem diebus juxta placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. Ait ergo Saul: afferte mihi holocaustum, & pacifica, & obtulit holocaustum.*

Cum obtulisset, ecce veniebat Samuel, &c. & ait ad Saulem: *quid fecisti?* Respondit Saul; *quia vidi quod populus, dilabebaretur à me, & tu non veneras juxta placitos dies; porrò Philistiim congregati fuerant in Machmas, dixi: nunc descendet Philistiim ad me in Galga, & faciem Domini non placavi, necessitate compulsus obtuli holocaustum Domino. Dixitque Samuel ad Saul: stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.*

Sint Sanè graviores causæ, quibus opiniones tot falsæ legi contrariæ innitantur, quæ ad ignoranriatum invincibilirarem ferunrur sufficere: non contendamus; alienum enim à se putant, si ad instar eorum, quos peccasse constat, aut falli ipsos posse, aut peccare dicamus; & ad ejus conscientiam appello, qui primum quærit regnum Dei, & justitiam ejus, qui videar num, & quantum causæ illæ, ac rationes, qoibus lex usurarum, & superabundantiæ. & restituendi, ac solvendi exponuntur, præstent causis quasi in extremo positi Saulis. Ille profectò non scienter peccavit, nec arbitrari potuit, peccando se Deum placaturum, & adversus Philistiim proprium redditurum: sed tot apparentibus rationibus decepto arbitrando se obsequium præstare Deo, in Deum peccavit, utque Carthusianus sit, sacrificium oblatum, non adhibitis Prophetæ precibus, non agnovit Saul, Dei sacrificium non esse. Nec peccatum in eo situm fuit ut ex contextu liquet, at communis, veraque sententia statuit, quod officium sacerdoris usurpans ipse per se, non autem per sacerdores qui aderant, obtuleri holocaustum, sed in eo, quod desperans adventum Samuelis, ante complos dies sacrificium offerri voluerit; *nam cum complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat* non ergo elapsus dies erat. Videnrur verò multæ opiniones de annis, de diebus, & horis compactæ dicendo, inceptum pro completo haberi, parum pro nihilo reputari, & elabentem jam diem esse moraliter elapsum. Periculum certè Saulis erat præsentissimum, & valdè ingens; timentibus porrò causæ etiam leves per magnæ videnrur, & omnia in discrimen vertit timor. Quid ergo non innocenter, & invincibiliter aut præceptum interpretatus sit, aut verisimiliter opinatus, aut sophisticè una cum iis, qui aderant, philosophatus, atque invincibiliter ignoraverit.

Percurrebat alia facta ex ignorantia Hieronymus supra libro primo, quæstionem quartam, §. secundo, *Jonathas*, inquit, *favum mella gustavit in sceptro, & illuminatis oculis periclitatur, quod nesciens fecerit. Hoc autem scriptura testatur, quod ignoraverit, à Patre esse præceptum*, &c. *in tantum autem iratus est Dominus*, &c. *Oza Levites, cum arca Domini transferretur Hierusalem, & lascientes boves plaustrum in partem alteram declinassent, misit manum, ut sustentaret arcam inclinatam. Iratus est furor Domini in Ozam, & percussit eum Deus ibi per ignorantia, & mortuus est juxta arcam Dei.* Hæc Hieronymus.

Saris rari sunt sanè casus isti, & irregulares; & in quibus nostra fortè ratio contrariè judicavisset; sed credendum est Deo peccatorum recto judici, nec in lege, ut idem usurpat Hieronymus, ratio quæritur, sed authoritas; adest sane illa semper in lege Dei, sed sæpè nos miseros later, nec nos censores ejus esse voluit, aut correctores, sed factores.

Iterùm vel nesciens, vel nihil id magnum arbitratus David 2. Reg. 24. Israelem, & Judam jussit numerari: *& addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque in eis David dicentem de Joabe vade, & numera*, &c. *Et dixit David ad Dominum, peccavi valde in hoc facto*, &c. *immisitque Dominus pestilentiam*, qua tribus diebus septuaginta millia virorum absumpti sunt. Verè quippe scriptum est; peccata quis intelligit? cui namque nostrum id in mentem venisset?

Illi etiam Jobi amici Eliphaz Thematites, & Baldad Suhites, & Sophar Noamithites, quorum superius meminimus, nobis hic quoque documento esse possunt: qui certè, & erga amicum officiosissimi, ut ex cap. 3. constat; & de Deo, & homine, moribusque egregie disseruisse mei similibus viderentur: atque eo etiam fine erga Jobum durius egerunt, quod is sibi videretur excedere. At autem Domino non sic visum; qui cap 42. dixit ad Eliphaz Themanitem: iratus est furor meus in te; & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servius meus Job, & offerte holocaustum pro vobis, &c. Quid erit, ô Deus, quando libri nostri de bono, & malo à te judice discutientur, qui tam facile legem universam interpretamur.

Atque in hunc modum alia multa ex divinis scripturis percurri possunt. Non sim ego tam nimius, qui dicam, nullam prorsùs in eis inveniri violationem pure materialem legis Dei, nullam ignorantiam invincibilem, nullas quantascumque tationes apparentes, & falsas ex toto excusantes: ego certè, etsi hoc parum prober, nullam inveni. Invenerint sanè doctiores aliquam, vel aliquas aliquandò raras innoxias, invincibiles ignorantias. At ubi sunt tot illæ tam obviæ, tam frequentes, non tot, quin plures ignorantiæ invictæ, ac culpæ prorsùs immunes? Omnes modò opiniones probabiles falsas, quarum non est numerus, ad invincibilitatem ignorantiarum sufficere, plurimi docent. Illud hic omitto secum pugnans, quod opinionem probabilem tectam regulam dicant, & simul ignorantiæ invincibilis causam; nam recta regula non per ignorantiam excusat, sed per se recta est, & rectificat.

Argumentum à Synagoga ad Ecclesiam hæc in re probat à fortiori. Nullæ in Synagoga fuere saltem frequentes ignorantiæ invincibiles, & ex toto excusantes legis Dei, quæ naturalis, quæ etiam ipsa est Dei. Ergo minus in Ecclesia. Est enim argumentum ab imperfecto ad perfectum, à rudi, ac sub umbris agente, & ignorante populo ad nos, quos plenissimè demùm ipse Dei filius Deus instituit. Illorum certè causæ pleræque per Prophetarum oracula, Deique sententia judicatæ jam sunt; nostræ judicatæ non sunt, sed in futurum servantur: at quid de nobis in similibus causis, & quasi à fortiori judicandum sit, ex judicatis plus minus sumendum est. Certè Dei nostri ingenium, si ita loqui fas est, atque indoles satis tota hac quæstione innotuit, quamque velit, legem suam, ac præcepta ad litteram, ut aiunt, & sine glosis invertentibus credi, non censeri, ac dein etiam servari.

QUÆST. XV.

Quin quod plus est, legem etiam non habentes in iis, quæ contra legem erant, peccabant ex Apostolo ad Rom.

VEterem legem, quam absoluto nomine legem appellat Apostolus, ac fidei contraponit, in moralem, judicialem, ac cæremonialem divisam esse norunt omnes; de qua lege universa, cum duæ posteriores partes propriæ populi Dei essent, non est hic sermo, de illis, sed de prima.

§. I.

Sensus quæstionis, ac intentio.

LEx illa per Moysem, ejusque tempore data fuit, non antè. Quærit profundæ sapientiæ Doctor Sanctus Thomas prima, secunda, quæst. 98. art. 6. utrum oportuno, congruoque tempore illa data sit, cur non statim post lapsum primorum Parentum? cur non Noemo statim post diluvium? cur non saltem Abrahæ ac ejus, tempore, cui scilicet facta fuit repromissio? Hinc scilicet, etsi diggredi videndus sim, ordiendum existimavi, tum ut clarius series tota rei, & non legis, & legis innotesceret: tum ut causæ pateant, propter quas Deus tamdiu homines quasi neglexisse, ac sine sua lege, directioneque prætermisisse videatur: quæ nos quoque causæ recogitare, & considerare cogant.

Respondet ergo Doctor, convenientissimè legem datam tempore Moysis. *Cujus ratio*, inquit, *potest accipi ex duobus secundum quod lex duobus generibus hominum imponitur; imponitur enim quibusdam duris, & superbis, qui per legem compesciuntur, & domantur. Imponitur etiam bonis, qui per legem instructi adjuvantur ad implendum quod intendunt. Conveniens ergo fuit tali tempore legem veterem dari ad superbiam hominum convincendam.*

De duobus enim (subdit profundus ac spiritualis) Doctor) *homo superbiebat, scilicet de scientia, & de potentia. De scientia quidem, quasi ratio naturalis ei posset sufficere ad salutem. Et ideò ut de hoc ejus superbia convinceretur, permissus est homo regimini suæ rationis absque adminiculo legis scriptæ; & experimento homo discere potuit, quod patiebatur rationis defectum per hoc quod homines usque ad idolatriam, & turpissima vitia circa tempora Abraha sunt prolapsi. Et ideo post hæc tempora fuit necessarium legem scriptam dari in remedium ignorantia humana, quia per legem est cognitio peccati, ut dicitur ad* Rom. 5. Verùm numquàm satis didicit, dicet ve humana superbia, & quasi comestione illa scelerata Deo re ipsa pares facti essemus, scientes bonum, & malum, humana ratione, & discursu, nihil fermè aut Dei, aut Sanctorum consultis libris quot, quanta, quam passim decernimus?

Pergit Doctor. *Sed postquam homo est instructus per legem, convicta est ejus superbia de infirmitate, dum implere non poterat, quod cognoscebat; & ideo sicut Apostolus concludit ad* Rom. 8. *quod impossibile erat legi in*

qua

in qua infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum, ut justificatio legis impleretur in nobis : atque alia utilissima subnectit.

Atque ex his respondet, non oportuisse, quod statim post peccatum hominis lex daretur ; tum quia nondum homo *recognoscebat se ea indigere, sua ratione confisus;tum quia adhuc dictamen legis naturæ nondum erat obtenebratum per consuetudinem peccandi*. Addit Abrahæ data quidem fuisse quædam familiaria, & quasi domestica præcepta Dei ad homines; sed ante legem oportuit populum multiplicari,& liberari; nam servi non sunt pars populi, vel civitatis ex 3. Politic. 3.

Quoniam ergo Apostolus multa dicit ad Romanos de his ante legem,ac sine lege factis peccatis,& videtur.ea peccata fuisse jam fateri, jam negare,ad præcedentium magnam, ut arbitror,confirmationem ostendendum hic fuit. non solùm ea, quæ post acceptam legem per ignorantiam fiebant, peccata fuisse, neque ignorantiam ex toto saltem excusavisse, sed nec illis quasi sibi, rationisque suæ regimi derelictis hominibus, qui sine lege vixerunt, densissimas illas ignorantiarum suarum tenebras ad innocentiam, & excusationem sufficisse: ex quo denuò constet, in libris quidem Dominicis multorum multas ignorantias reperiri : quæ verò innoxiæ judicatæ sint, aut nullas, aut raras: argmentumque denuò fiat à fortiori non habentibus legem ad Judæoa eam habentes : rursus verò à fortiori ad Christianos , nec tam facile hic , & ibi , & ubique tam multæ ignorantiæ invincibiles passim admittantur , ut vix omnis jam ignorantia invincibilis non existimetur, & ignorantiam matrem cunctorum errorum, & malorum vix inter mala habeatur , ac mater etiam innocentiæ constituatur.

§. II.

Mens Apostoli ex Augustino de peccatis ante acceptam Legem.

EX his Apostoli locis quidam somniator Præadamitarum nescio quam gentem induxit errore nefario ; atque hic etiam error ex ignorantia, & audacia invectus est: incidit scilicet etiam ille in hæc Apostoli loca ; & quasi eorum difficultas ab ipso primùm visa fuisset, ausus est ineptire ; cum tamen res hæc universa pridem visa, discussa , expeditaque esset à Patribus nostris. Horum licet eadem pænè fuerit hoc circa sententia, & os unum, tamen brevitatis gratia unus pro mille Augustinus noster explanator sufficiat.

Videtur itaque, ea, quæ ante datam legem fiebant,qualia & S. Thomas §.præc.indicavit, & Paulus ipse cap. 1. plenius prosecutus erat juxta Paulum ipsum non fuisse peccata,saltem formaliter, ut loquuntur,talia,sed ut plurimum materialiter. Nam cap. 4. inquit : *lex enim iram operatur; ubi enim non est lex, neque prævaricatio*: & capite quinto, *lex autem intravit , ut abundaret delictum*. Non ergo antea erat prævaricatio vel peccatum.

Rursus eodem cap. 5. *usque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset* ; hoc est (dices) voluntarium non erat, neque formaliter tale. Et cap. 7. *sine lege enim peccatum mortuum erat*, id est , dices, materialiter solùm tale ; neque noxium, sed velut mortua quædam mors. Legi deinde malum omne attribui videtur; nam cap.6 ait : *peccatum enim vobis non dominabitur , quia non estis sub lege*: & capite septimo, *cum enim essemus in carne , passiones peccatorum, quæ per legem erant operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.*

Videtur ergo, quod non in iis , quæ sine lege contra ipsam etiam legem naturalem per ignorantiam sanè extremam , ac miserandam perpetrabant homines formaliter saltem ac imputabiliter non peccarent,eamque omnem ignorantiam fuisse invincibilem.

Accedit etiam ratio in aliquorum Theologia sanè demonstrativa ; nam principii loco habent , non peccari sine cognitione peccati At illi homines non cognoscebant , se peccare. Testis est Paulus capite septimo. Quid ergo dicemus? inquit. Lex peccatum est ? Absit : sed peccatum non cognovi nisi per legem ; nam concupiscentiam nesciebam (id est , illam malam esse) nisi lex diceret , non concupisces. Non ergo peccabant , quin juxta alioa rectè etiam, & honestè agebant in iis omnibus , quæ tanta cæcitate contra legem perpetrarunt ; lex enim modò nobis pars moralis appellatur , quæ ipsius legis naturalis determinativa , & declarativa fuit, ut ex D. Thoma, & ab aliis copiosè habemus. Hinc verò occasio magna legem accusandi, sine qua, & per eam data cognitione peccatum non fuisset beneficiu ignorantiæ ; meliorque hominibus fuisset ignorantia , quam lex neque ista ullum fuisset beneficium : quod absurdissimum est , & contra illud , *non fecit taliter omni nationi, &c.* & item contra illud, *en populus sapiens*, &c.

Indubitatum nihilominus est, homines sine lege , ut se agnoscerent , suæque rationis se solam agentis insufficientiam experirentur, quasi sibi derelictos, peccavisse in iis , quæ ante legem contra legem dictam agebant , quatenùs lex ipsius legis naturalis declarativa , demunstrativaque erat, ut est dictum quod apertè constat ex eodem Apostolo capite primo nunc verò altiùs , ut promissi , ex Augustino hæc sapientiæ Christianæ maxima documenta repetenda sunt

Consuluit simplicianus Augustinum de his Apostoli locis, deque eorum difficultate , & respondet libro primo, ad simplicianum ipsum quæst 1. Præmittit verò primùm Apostolum transfigurasse in se hominem sub lege positum; quin ut ex eodem Augustino conspicitur , personam jam hominis sine lege agentis , & ignorantis ; jam hominis legem habentis, & cognoscentis , neque verò vires habentis ; jam denique hominis gratiam Jesu Christi , ac Novi Testamenti consecuti, & potentis induit ; quæ tria nisi distinguantur, quorsùm se habeat Apostolus in hac profundissima epistola intelligi prorsùs nequeat.

His præmissis Augustinum audiamus , quia *paulò ante dixerat, ait , evacuati sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ut serviamus in novitate spiritus, & non in virtute vetustate litteræ , atque ita per hæc verba quasi reprehendisse legem posset videri , subjecit statim: quid ergo dicimus. Lex peccatum est? Absit Sed peccatum non cognovi nisi per legem ; nam concupiscentiam*

nesciebant, nisi lex diceret, non concupisces.

Itaque non ait, peccatum non feci nisi per legem, sed peccatum non cognovi nisi per legem. Neque rursus ait, nam concupiscentiam non habebam nisi lex diceret, non concupisces, sed ait, concupiscentiam nesciebam, &c.

Unde apparet, concupiscentiam per legem non insitam, sed demonstratam. Consequens autem erat, ut quoniam, nondum accepta gratia, concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam; quia majores vires habet concupiscentia crimine prævaricationis adjuncto, cum etiam contra legem facit, quam si nulla lege prohiberetur. Et inferius: peccatum non legitimè utens lege, ex prohibitione aucto desiderio dulcius factum est, &c.

Consequenter itaque subjungit: occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Erat enim & ante legem, sed non omnis erat, quando crimen prævaricationis adhuc deerat: unde alio loco dicit, ubi non est lex, neque prævaricatio.

Quod autem adjungit, sine lege peccatum mortuum erat, pro eo posuit est, ac si diceret, latet, hoc est, mortuum putatur: quod paulo post evidentius dicturus est: Ego autem, inquit, vivebam sine lege aliquando; id est, *nulla ex peccato morte terrebar; quia non apparebat, cum lex non esset. Adveniente autem mandato peccatum revixit, hoc est, apparuit: Ego autem mortuus sum*, id est, *mortuum me esse cognovi, vel quia reatus prævaricationis certam mortem supplicium comminatur. Et infrà: sequitur* (scilicet Apostolus) *& adjungit: sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator, aut peccatum per mandatum. Unde manifestat, quo sensu dixerat, sine lege enim peccatum mortuum est, non quia non erat, sed quia non apparebat. Et quomodo dictum sit, peccatum revixit, non ut esset, quod erat, & ante legem, sed ut appareret, quoniam fiebat contra legem.* Hactenùs ex Augustino, qui multa alia in idem confert; legis rectitudinem, ac sanctitatem cum Apostolo statuit; ejus tamen insufficientiam nisi gratia Novi Testamenti accedat, quæ per cognitionem legis vires tribuat, altè sapienter, sanctèque prosequitur: quæ gratia in Augustino clara est, quam tamen utinam omnes & rectè intelligamus, ac etiam consequamur: sed nobis de ignorantia, & cognitione; non de infirmitate, & viribus sermo est.

Dubitandum itaque est, hominem ante legem sine cognitione peccati suas concupiscentias prosequendo, & cuncta illa perpetrando, quæ Apostolus initio epistolæ præmisit, peccavisse, & qui sine lege peccaverunt, sine lege perituros, & quicunque in lege peccaverunt, per legem judicandos; & quæcumque dicta sunt his in locis, ut Augustinus ea in summam cogendo concludit, *ideo esse dicta, quia lex augeat concupiscentiam ex prohibitione, & reum obligat ex prævaricatione jubendo, quæ implere homines per infirmitatem non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate convertant.*

Ubi plurima errorum extrema cavenda sanè sunt; nam ad difficilia hujus maximè epistolæ alludit Petrus Apostolus. Cavendi scilicet sunt Manichæi reprobantes legem sicut malam; cavendi Pelagiani, qui legis, & cognitionis gratiam sufficere inepticrunt; cavendi Jansenistæ, qui impossibilia jussa esse effutierunt: cavendus Præ Adamitarum ille fabulator, qui gentes inducit, quæ sine lege viventes nihil peccavissent, aut peccarent: cavendus Lutherus, &, Calvinus, qui hic tuum servum arbitrium, libertatem extinctam, fidei solius sufficientiam, ac alias suas stultitias invenisse se, existimarunt; quæ cuncta vel ex hac una epistola divinæ planè sapientiæ reviti cuntur.

Sed dices: homo sine lege peccatum nesciebat: vitare ergo non poterat: rursus homo sub lege peccatum quidem agnoscebat; at infirmus, & carnalis legem servare nequibat, ut ex Apostolo planum videtur, atque ex Augustino, Thoma, & reliquis Patribus apertissimum. Ergo non peccat, vel impossibilia non faciendo peccabat, quod est hæresis. Denuò & hinc ad hominem sub gratia constitutum, scilicet ad hominem Christianum fit argumentatio, qui si carnalis ad huc sit, & instat viventium sub lege, nec gratiam Novi Testamenti consecutus est, profectò non poterit magis, quam sub lege ipsa, ac in vetustate litteræ, qua occidebantur, degentes, nec quod vult bonum, hoc aget, sed erit, qualis ab Apostolo capite septimo, describitur ergo & hic pet impotentiam peccabit.

Verum hinc lucem, roburque ingens accipiunt multa superiùs constituta. Cernitur enim primò, quanto jure nos iisdem principiis, uno ordine, ac eadem doctrinæ serie de cognitione, ac viribus Philosophati simus; ad utrumque naturam saltem lapsam imparem esse; utrumque Dei esse donum; utrumque à Deo promissum, ac multa consequentia præscripserimus: Pelagianos nos planè nasci, sapienter inquit salmeron, hoc est, ut §. 1. magistraliter S. Thomas assumebat, de duobus superbimus, scilicet *de scientia, & de potentia*: utque de primo homo convinceretur, relictus est sine lege regimini suæ rationis, & totus defipuit: ac rursùs sub lege sine gratia filiorum, ac Novi Testamenti relictus est, & abundavit delictum, & factus est supra modum peccator, & peccatum per mandatum revixit, ut disceremus, si vellemus: sed superbia illa, quæ Angelos de Cœlo, hominem de Paradiso trusit, cuncta pervertit, ac ingenio, rationique nostræ nimirum tribuit.

Cernitur deindè, quam distinguenda necessario sit necessitas, & impotentia altera quidem antecedens, & altera consequens, ut lib. 1. expositum est; quo uno fictæ objectiones repelluntur. Etenim omnis illa vel necessitas vel impotentia vel hominis sine lege, vel hominis eum lege sine gratia filiorum, vel hominis jam etiam Christiani, sed sine hac gratia est necessitas, & impotentia consequens, quæ culpam aliquandò diminuit, non tollit.

Quo autem ordine, & modo, quod instituti magis nostri est, necessitas sua: & ignorantia consequens, voluntariaque fuerit homini sine lege existenti, & viventi, nemo clariùs altius nemo exposuit ipso Apostolo cap. 1. quia, inquit, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & dicentes, se esse sapientes stulti facti sunt &c.* quæ lib. 1. latè declarata sunt.

Præterea vero hoc libro ostensum est, facienti; quod in se est, ex gratia scilicet, & cognitione concessa, ex Dei promissione, & misericordia concedi ulteriorem cognitionem ad se saltem pertinentium. Quare si ii, qui Deum cognoverunt tamquam Deum glorificavissent, & gratias egissent, nec sibi, & suo ingenio, quod suum non erat, attribuentes evanuissent,

haud

haud stulti facti, sed adjuti ad alia fuissent. Undè necessitas omnis peccandi, & ignorantia planè consequens, & voluntaria, ac superbiæ filia est, & ex abusu concessæ cognitionis, & lucis provenit: nam non habent, quin quod habent, pervertenri, & quod habet, auferetur ab eo, & quidem justissimè.

QUÆSTIO XVI.

Utrum ergo juris saltem Canonici & legum humanarum possibilis sit ignorantia invincibilis? ubi de Judicibus.

HActenus de jure, legeque naturali, & divina fidei, & morum modulo nostro disseruimus; utinam verum, ad quod unum universam à principio tractarionem direximus, assecuti simus. Superest modò, ut de ignoranria juris humani, & legum quam brevissimè contineanter dicamus.

§. I.

Nulla lex etiam humana à plerisque, aut plerumque invincibiliter ignoratur.

NOn dico à plerisque, aut plerumque non ignorarur; ignorantur scilicet satis multæ à multis, ac valde frequenter; sed dico, nullam à plerisque aur plerumque invincibiliter ignorari: nondum quippe, ut saris superiùs disseruimus, erasa est à libris distinctio, sive divisio ignorantiæ in vincibilem,& in invincibilem;nondum sub his terminis omnis prorsùs ignorantia constituta invincibilis, omnisque conscientia erronea dicta invicta, excusansque. Comprehendimus verò sub humano jure, & lege jus utrumque canonicum prout distinctum ab omni jure divino, ac jus civile; constiturionesPontificias, legesque alias Principum, & superiorum. De iis autem, quod satis superiùs animadversum, explicatumque fuit,sermo noster procedit, ad quos & quando jus unumquodque pertinet; neque enim sartor,jura tenetur scire judicum, neque ego Episcopotum, nisi eorum conscientiam, moresque regere velim: atque ira de aliis.

Raræ iraque, & in raris, non ut quidam arbitrantur, frequentes obviæ, ac plurimorum sunt ignoranriæ invincibiles legum etiam humanarum, & juris ad unumquemque pertinentis. Atque hoc ut minimum probant disputationes utriusque juris leg. leges sacratissimæ leg. de legibus & alias; ac regula 13. in 6. & alias; probantque communiter Doctores juris utriusque; confertque plura Christophorus de Angusano libro quarto, de legib. contr. 3. quæ, & alia obvia transcribere consilii nostri non est: est verò regulæ alia contraria 47. ne ignorantia facti.

Probarur capitaliter conclusio ex usu judiciorum; nam vel improbandus ille elt, vel nostra admittenda conclusio. In judiciis enim admittitur quidem ignorauria invincibilis, & excusans ex toto, quam probabilem nuncupanr, ut infrà diceruir; eam tamen numquam præsumunt, sed contrarium, & legem quamliber ad se pertinentem suppponunr, sciri ab unoquoque & posse, & debere; præsumptionem verò juris definiunt plus minùs dicendo, esse conjecturam probabilem ex certo signo provenientem, quæ alio non adducto pro veritate habeatur. Hac ergo præsumprione præsumunt, violatorem quemque legis, & juris ad se pertinentis reum esse, & puniendum, pænaque dignum: præsumunt ergo, legem invincibiliter, & citra culpam non fuisse ignoratam. Supponunt ergo, omnem legem ad unumquemque pertinentem à plerisque, & plerumque nosci posse, & debere; raram proindè, & in raris dari ignorantiam invincibilem, & ex integro excusantem. Hæc ultima consecutio patet ex doctrina partis primæ, nam ea solùm præsumunrur, quæ plerumque, & in plerisque, saltem seorsim à culpa contingunt; & quæ raro contingunt, vel non magis contingunt, quam non contingunr, jus nullum, ratio nulla præsumir, magis quam præsumat, tales coenses, vel non coenses, pares, aut impares esse projiciendos: in duello parium hunc casurum esse, vel illum. Ergo lex præsumi nequit scita, & nota, si à plerisque, & plerumque sciri illa non potuir, & debuit; nam si à plerisque, & plerumque sciri potuit quidem, & debuit, etsi à plerisque,& plerumque non sciatur; jure scientiam, cognitionemque præsumit; quia cie, & scire potuisse, & debuisse pro eodem repurar, habetque; jure, inquam; nam si cum possis, & debeas, sufficeret ad defensionem non scire, negligentia, & ignorantia omnium una legum vis, roburque everteretur, & remedium contra unamquamque legem esset eam ignorare, & negligere.

Declaratur; quia si leges non ita essent constitutæ, ac promulgatæ, ut plerisque, & plerumque sciri possent, & deberent, non magis forer præsumenda cognitio, quam ignorantia; & culpa, quam non culpa; & cuilibet liceret ignorantiam allegare; & teneretur actor, vel fiscus probare; quemadmodum contingit circa facta; nullum enim jus præsumit, homicidium, aliudve crimen ab hoc, aut illo esse commissum; sed probar: cognitionem porrò legis non probat, sed præsumit; & siquam probabilem, ac invincibilem ignorantiam admittit, eam reus tenetur probare ex 39. qu. 1. *in lectum*: & quæst. 3. *extraordinariasquis*: & 1. qu. 1. *siquis à simoniacis*; & sæpe: Ergo supponit, leges ad se pertinentes à plerisque, & plerumque sciri posse, & debere; & casum ignorantiæ invincibilis, & ut ita loquar, absolutive esse casum rarò conringentem: ex quo oritur onus, & obligatio eam probandi; nam rarò contingentia sine probatione nec admittuntur, neque creduntur: matrem v. g. diligere filium sine probatione, & ultrò credo; aliquam non diligere, nisi probetur, stultissimè crediderim.

Semper quidam in ore habent fotum interius, & exterius, & per has voces in quamplurimis se rebus expedire arbitrantur, Dicent itaque, hæc, quæ diximus; esse quidem ita in foro exteriori, non in interiori. Et ego jure eodem, ultroque vice versa dixerim ea ita esse debere in foro interiori, non in exteriori: alterutrum quippo dicendi eadem est, id est, nulla est rario. Demonstravimus enim sæpe fori utriusque concordiam per se loquendo, & quandò nulla intervenit falsa præsumprio, & ignoranria; inquam concordiam

concordiam quoad absolvendum, vel condemnandum, non quoad pœnas; cum ex terminis implicet, rectam rationem pugnare cum recta ratione, & rectum judicium cum recto judicio. Quare si ea judicum præsumptio, & usus judiciorum juxta rectam rationem est, ut utique est, & rectum eorum judicium sumptum ex præsumptione, quod leges sciri possint, & debeant, omne contrarium judicium non rectum, sed distortum est. & pravum: quod si judices errant absolvendi non erunt, qui in innocentes, culpæque innoxios grassantur: ac invincibiliter ignorantes damnant, & mulctant: in qua ignorantia repellenda immorandum plus non est.

Ad probationem igitur redeo: & illud suppono, jura & leges esse rectè, prudenterque constitutas: de his enim, non de iniquis legibus disputavimus: suppono item, promulgationes fieri solitas esse sufficientes: nisi imprudentes, munerique suo impares Legum latores, Principesque effutiamus, & leges quidem defectuosissimas esse: solas opiniones horum, & illorum absolutissimas, ac sufficientissimas: quid ergo tot hos Opinatores non semel facimus legislatores, & universi Rectores? Ergo leges sufficiunt ad finem suum: promulgationes item sufficiunt: finis autem est, ut secundum eas vivant homines: est enim lex in civitate, vel Regno, quod Dux in exercitu, quod Præcentor in Musica, ut supponit Philosophus lib. de mundo. At ut suprà disseruimus, homines vivere nequeunt secundum leges, quas scire nequeant: neque tenentur juxta illas vivere, si scire eas non teneantur. Quidquid ergo propter Legislatorum hominum defectum aliquem lex aliquandò aliqua à raro aliquo sciri nequeat, ut dicemus, ac proindè neque debeat, at plerumque, & à plerisque leges omnes ad se pertinentes sciri ab unoquoque possunt, & debent. Et confirmatur: quia quod nefas dictu foret, damnandus veniret alioqui Principatus omnis spiritualis, ac temporalis præter quam exiguæ unius urbis, vel status, si plerisque, & plerumque ab eis regi nequeant: reguntur porrò legibus, præceptisque Ergo ista, quibus regantur, disponi ita possunt, & debent, ut à plerisque saltem, & plerumque sciri possint, ac debeant.

Iterum hinc; quia ex 1. Politicor. apertè constat, dominari est sapientiorum: siquandò verò Principantes minus in eo valent, tenentur defectum suum supplere per sapientiores legislatores, & Administros regiminis; quod si non suppleant, sintque etiam ipsi subditis insipientiores, contra naturam hoc est, & deficiunt, peccantque: finis enim potissimus Politiæ omnis, & Principatus est rectitudo, ac bonitas civium; qui finis directione primùm legum; præmiis deindè, pœnisque obtinetur. Non ergo Principantis, ac Principis ratio, & sapientia est quasi ad se, & ad intra, utque eam sibi habeat: sed ad alios, utque subditos reddat bonos. Sin autem suam rationem, sapientiamque, qua dirigat, vel omnibus vel plerisque saltem, & plerumque communicare nequeat, erit plerisque, vel omnibus inutilis, & insufficiens, atque Respublica sine Principe quoad bonum, & formale Principatus, ac sine lege, & directione: quod est inconveniens. Patet ergo, & Principes dirigere, & subditos dirigi vel omnes, & semper, vel plerosque plerumque posse, & debere ex ipsa institutione Politiæ omnis, & civitatis, ac Reipublicæ.

§. II.

Quæ dicta sunt de lege, tenent etiam de sensu legis, non obstantibus tot contrariis interpretationibus, ac opinionibus.

Luctamur semper cum tot his contrariis interpretationibus legum, & opinionibus, quæ vim, roburque prope modum omne legibus ademerunt. Nunc ergo ostendendum est, sensum verum legis humanæ ad unumquemque pertinentis à plerisque plerumque inveniri posse, & debere, ac per consequens à plerisque plerumque eum invincibiliter non ignorari.

Quid ergo, inquis, dicendum est de tanta interpretationum, ac opinionum contradicentium multitudine circa verum intellectum legum, quæ à Juristis, Canonistis, Theologisque cusæ sunt? quibus non magis verus, quam contrarius legis sensus innotescat? An ne unius ad unam instituto examine falsas omnes objiciamus, verasque deligamus? sed dicemus de hoc lib. seq. quoad institutum conscientiæ: quod ut malum caveretur in Hispania quoad judicia, quia hic uno modo, alibi alio, in uno senatu ex una opinione, in altero ex contraria magno Regni detrimento sententiæ ferebantur. Leges Tauri factæ sunt, quibus juxta quasdam magis opioiones, quam contrarias judicari præceptum est, id est, opiniones quædam in leges assumptæ, conversæque videntur, quare leges illæ parùm servantur.

Dolui equidem lib. præc. istam vel calamitatem, vel miseriam, non certè ex rerum naturis ipsis notam, sed ex vitio, opinor, audaciaque hominum, qui non tam intellecturi leges, quam judicaturi ad eas interpretandas accedunt, ut latè eo loco declaratum est.

Etenim, quod etiam ibi dictum est, (nec enim omnis repetirio earumdem rerum vitio datur) tota quanta societas hominum, atque convictus sermone compactus est, cujus inverso usu, si se contrario homines intelligerent, caderet civitas omnis, & respublica. Hinc cum nihil agant magis homines, quam vicissim colloqui, nec aliud fermè agant, sese passim intelligunt sine glosis, interpretationibus, opinionibusque dissidentibus: historiæ oratores latinioris etiam linguæ, ac fusi sermonia; Poetæ tropis fabulis, ac presso sermone difficiles leguntur, & intelliguntur, &, raro, raræque sunt dissensiones. Hoc unum fuit, quod intelligi numquam potuerit, quod ut ab omnibus intelligeretur, magno otio, diuturno studio, à viris præstantissimis, selectisque scriptum est, scilicet leges sacrosanctæ, & lex quælibet quasi gravida nasceretur, parit mox duas velut gemellas interpretationes, opinionesque contrarias; atque adjuncto statim, quod ex utralibet impunè vivere liceat, vis illius tota evertitur, & lex nascens opinione extinguitur.

Quod malum ut clariùs innotescetet, placuit ex Philosopho 1. Rhetor. 1. quæ de legibus, Legislatoribusque verè statuit, in præsentia conscribere. *Maxime igitur convenit* (inquit) *ut quæ recta posita sunt leges, cuncta ipsa explicent, & quam minima judicibus relinquant.* Quod probat tripliciter.

Primùm quia unum, aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut judicare possint, facilius est invenire, quam multos; ut sunt judices; magis autem, & plures opinatores, & interpretes: nam judices primùm ipsi omnes; & infiniti prætereà alii. *Deinde quoniam longi temporis consideratione leges feruntur; judicia brevissime conficiuntur, difficile est, ut benè à judicibus justum, & conducibile distribuatur*: multo porrò brevius, ac inaudita sæpè parte altera in secreto, & authoritate privata opiniones, interpretationesque conficiuntur.

Illud autem omnium maximum est (jure subdit) *quod Legislatoris juris est; Senator verò, & Judex* (ac frequenrissimè etiam opinator, & interpres) *de præsentibus jam, determinatisque judicant. Undè fit, tum & ament, & oderint, sua quoque utilitas connexa sit, non satis queant veritatem perspicere, sed propria vel voluptas, vel dolor judicia sua obumbret.* Adduxi jam alibi locum istum præclarum; sed non omnes omnia legunt, & hic fortè legat aliquis, non ibi, aut contra.

His de causis absurdum est, verum sensum legum haberi non posse, aut ita implexas eas esse, ut plerumque suus intellectus lateat. Quod nunc est magis declarandum, comprobandumque.

Primo sic: verus sensus, & intellectus opinionum, interpretationumque haberi à plerisque plerumque vel potest, vel non potest? si non potest; ergo interpretationes, opinionesque opinionum, & interpretationum aliæ, & aliæ in infinitum edendæ erunt. Si possit: ergo & legum, & legislatorum. Nam cum Legislatores præstent opinatoribus, & leges opinionibus, ac interpretationibus, nihil potest esse absurdius, quam ita leges, ac legislatores posthabere opinatoribus, ac interpretibus, ut hi quidem dilucidi sint cunctis, sciverintque exponere sua; illi contrà prorsùs extiterint inepti, & barbari, qui à nullo intelligantur; ac farius erit, loco legum reponere conclusiones opinantium, atque interpretantium. Itaque ut paulo ante di cebam, tum libri reliquarum professionum à professoribus; tum ipsæ opiniones opinantium cum ca leges, à plerisque saltem plerumque intelligi possunt, ac intelliguntur quoad verum sensum. Ergo & leges. Quæ consecutio est à fortiori, ubi debitus honor & legibus, & legislatoribus defertur, nec omnium hominum insufficientissimi, & maximè barbari reputantur.

Prætereà, quia ut nuper est ostensum, leges à plerisque, & plerumque sciri possunt, & debent: ergo & verus illarum sensus. Probatur; nam universim de scriptura omni ut superius ostensum est, eam non in littera, sed in sensu consistere, ac verum est de humanis etiam legibus, quod de Evangelio testatur Hieronymus in epist. ad Galat. cap. 1. *nec putemus, in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Etenim cum scriptura omnis, & locutio sit manifestatio conceptus, & mentis præceptivæ, vel prohibitivæ Principis, idem prorsùs est, legem inveniri, scirique posse, & hunc verum conceptum, & mentem, ac rationem Principis sciri, inveniri posse. Sed absurdum est, ut probavimus, leges à plerisque saltem, & plerumque inveniri, scirique non posse, & debere.

Et confirmatur; quia lex, cujus verus sensus, & intellectus haberi nequit, cum ratio, & intellectus legis sit anima tota ejus, & quasi lex inanimis, & mortua: ac proindè quasi non esset, & prorsùs varia, & inutilis proindè, atque si vel condita, vel promulgata non fuisset. Ergo quæ de lege ipsa §. præc. statuimus, tenent de vero sensu, & intellectu ejus.

Quinimò lex in utramque partem convertibilis, & conversa nocet potius, quam prosit fini legis. Nam unius legis unus est intellectus, hoc est, non contrarius, & pro utraque parte. Scilicet cum leges condere non sit dubitantium, sed judicantium; leges item edicere sit enunciantium, judicare autem, & enunciare sit unius partis, & non utriusque contrariæ simul, patet, earum rationem, conceptum, intentionem esse, unius partis contra alteram præscribendo unam, & avertendo contrariam: quæ proindè non sit juxta, sed contra intentionem, & finem legis. Ergo lex in utramque partem convertibilis, & conversa nocet potius, quam prosit fini ejus. Sed absurdum est, leges ita esse dispositas, & per eas ipsas destrui, ac interimi earum finem, nec per eas haberi magis suum intellectum, quam contrarium destructivum. Haberi ergo potest unus ille, & verus intellectus. Sunt autem leges vel pro omnibus, vel saltem pro plerisque multitudinis, pro qua feruntur, & pro omnibus, vel pro plerisque saltem casibus. Ergo à plerisque saltem, & plerumque sciri potest, & debet verus sensus. Alioqui si leges in utramque partem, non nostro vitio, sed de se essent, utramque sanè disponerent, & ideò nullam; nam dicens utrumque, & ita, & non ita nihil dicit, part. 1. disputatum est.

Quarum rerum veritas ita magis declaratur. Absurdum sanè foret, quod in mentem rationali homini venire nequeat, leges ferri ad Latinos græca lingua, ad Græcos, Latina; ad Hispanos Germanica, ad Germanos Vasconica quin in propriam linguam saltem in compendio convertantur. Hoc porrò absurditatis totum in eo situm esset, quòd licet linguarum scientiores pauci aliqui intelligere eas possent, ac plerique sonum quidem vocum audient, aut litteras etiam scriptas videre possent; sed quid sibi vellent, quid juberent prorsùs ignorarent; nec leges obligarent; sed magis eas, earumque Authorem omnes deriderent. Hinc Ulpianus in l. sed & pupil. 11. §. de quo ff. de instit. act. quærit: litteris utrum Græcis, an Latinis? Et respondet: puto fieri secundum conditionem loci, nequis causari possit ignorantiam litterarum: & multa confert Borrel. de Magistr. edictis lib. 2 cap. 11. At ut nuper est ostensum, peius est, leges ita esse dispositas, ut contrariè intelligi possint, quam ut nihil: nam lex nullatenùs intellecta, & ad Hispano Germanicè lata nihil saltem obest; at contrariò intellecta obest; & dirigit in contrarium finis legis, qui supponitur esse rectus. Dicamus ergo, vel leges nihil obligare & esse, quemadmodùm si Hispanis lingua Germanica leges ferres, nec in suam deindè linguam eas converteres; vel legum verum intellectum, & sensum à plerisque saltem, pro quibus latæ sunt, & plerumque in casibus, pro quibus sunt, capi, ac intelligi posse, & debere.

Quod autem uniuscujusque, & omnium fermè legum sint interpretationes, & opiniones contra-

riæ alterutrum duorum probat, vel defecisse legislatores, vel excessisse interpretes, & opinatores: in qua sanè lite pro legislatoribus, & legibus contra interpretes est dicendum: sin minùs exponimus ludibrio & leges, & Rempublicam; statuendumque semel esset, eas ita barbarè constitutas, & intelligibiles nihil magis obligare, quam me obligaret concionator veritatis agens mecum arabicè. Ex omnibus porrò cernitur, quàm de multis, quæ liberè modò gerimus, judicandi simus, quos vel de verbo otioso judicandos fides præscribit.

§. III.

Quantum hoc ex loco metuendum sit judicibus, & advocatis.

Et *nunc Reges intelligite; erudimini, qui judicatis terram: servite Domino in timore: apprehendite disciplinam, ne quandò irascatur Dominus*, &c. tenentur scilicet judices judicium veritatis judicare, ut ex sacro textu quin etiam ex Philosophiæ primis documentis manifestum est, de quo obiter aliqua exhibui part. 1. lib. 1. quæst. 15. & credenda sunt verba Dei dicentis; *horrende, & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt*, Et: *væ vobis, ô judices, væ vobis in æternum*, & ultra; *quia non est in vobis veritas.* Non mea hæc sunt, sed ipsius, qui judicaturus est, Judicis.

Tenentur itaque judices plerumque nosse verum intellectum, & sensum legum, per quas judicant: ad hoc scilicet constituti sunt, hic finis est, scopus totus judiciorum, & judicum, non ut alterutrum sciatur, & judicetur, quod, ut dictum est, non esset magis juxta, quam contra leges judicare: ergo ut judicetur juxta unum illum, & verum intellectum legis: de quo non magis disp nere, aut arbitrari possunt, quam ego, qui judex non sum.

In omni nimirum lite, & causa veritas, lex, justitia, jusque sunt unius, non utriusque simul; & in rebus etiam dividendis neutrius est totum, sed partim unius, partim alterius. In quo veritatis, legis, justitiæ, jurisque natura est prorsùs contraria Doctorum opinionibus; quæ sunt pro hæc, & illa, parte; sed alterutræ sunt falsæ; ac proindè contra veritatem, & justitiam ipsam: in eis ergo, qui secundum illas judicarent, non esset judicium veritatis, sed erroris; nec justitiam statuerent, sed everterent. Sicut ergo justitiæ ipsa unius, & ad unum est, non ad utromlibet; & unius legis unius est intellectus, non uterque contrarius simul, ut dictum est; ita etiam debent esse judices, qui aliud non sunt, quam justitia quædam animata, ut 5. Ethic. dicitur, & vivæ quædam leges, qui id ipsum loqui tenentur, quod leges, quod justitia, cujus ministri, non arbitri sunt, si loqui posset, clamaret. Numquàm autem justitia, vel lex in illa causa utrumque diceret, utrilibet rem litigiosam concedite, nam utrique simul adsum. Neque ergo Judices hoc possunt; sed ad unum, & unius esse debent, & unius quidem illius, atque ad unum illud, ad quod, & cujus justitia ipsa est.

Vel ergo judices plerumqoe ignorant hunc verum sensum legum? & tunc perniciosi potius essent Reipublicæ: vel æqualiter plus minus jam verum, jam falsum norunt? & tunc quasi fortes, & casualia essent judicia, ex quibus scilicet non magis sperari posset jus ipsum, quam contrarium; & foret longè utilius Reipublicæ loco judiciorum sortes instituere. Cum ergo hæc absurda sint, ita debent esse instituta judicia, & tales esse judices, ut plerumque saltem jus ipsum, & justitia magis ipsa habeatur, quam contrarium.

Hæc omnia constant ex iis, quæ hac part 2. lib. 2. de Magistris constituta sunt; latius autem par. 1. de omni mensura, & regula prosecuti sumus. Nulla scilicet in mundo regula, vel mensura est rerum etiam vilissimarum, quæ in aliquo saltem gradu non habeat magis non fallere, quam fallere minimus autem gradus supra casualia, & fortes est plerumque contingentium At judices sunt vivæ regulæ justitiæ, & hic est finis totus quantus judiciorum, & judicum, ut unusquisque consequatur, ut habeat, quod re ipsa suum est; atque in hoc consistit rectitudo ipsorum. Tenentur ergo plerumque nosse hoc, quod unicuique re ipsa secundum leges est, & jus ipsum, & sic etiam judicare.

Hinc patet, non satis esse ad finem, quod judicent, ut sibi videtur, si re vera fallantur; nec item, quod judicent juxta opiniones Doctorum, quæ sunt ad utrumlibet; nam tota regula est veritas ipsa, quam tenentur scire, & sequi, & minimus gradus est, quem præscripsimus Idem est si amore, vel odio; si negligentia studendi fallantur. Idem demùm si impotentia sciendi. Etenim si hæc ad excusationem sufficerent, non tenerentur Principes ad deligendum doctos, & peritos; neque enim Principes assumendo indignos peccant, & assumpti ipsi non peccant, sed utrique peccant, & hic quoque tenet regula, *si cæcus cæco* &c. peccant enim, quicumque cooperantur.

Ratio ergo unica, cur Principes obligantur; cur autem hi, & illi in his, aut illis causis recusantur; cur studere tenentur, & hoc genus cætera sunt propter veritatem, usque habeatur judicium veritatis. Ad hoc ergo tenentur. Ergo & ad verum sensum legum sciendum. Peccant proindè gravissimè opiniones interpretum loco legum sectando.

Ex quibus habetur verus intellectus vocum vulgarium; dicimus scilicet, dignos esse deligendos, vel etiam digniores; indignos verò repellendos. Hæc quippe tota dignitas, & rectitudo desumitur ex conformitate ad leges, & justitiam ipsam: quare vel plerumque discrepantes, & errantes; vel non magis concordantes, quam concordantes digni non sunt, sed indigni: quemadmodùm de Magistris latè dictum est libro secundo.

Peccat quidem graviùs, qui scienter, quam qui ignoranter contra veritatem judicat: at non omnis ignorantia excusat à peccato, nec vel diminuit etiam aliquandò, ut ostensum est lib. 1. quin diximus ex Augustino, sæpiùs offendere cæcum, sæpiùs peccare ignorantem, quam scientem; quem ipsa sua scientia, & conscientia à peccato retrahit: ideoque omnium perniciosissimi sunt Reipublicæ judices ignorantes. Hos inter connumeramus omnes illos, qui ex opinionibus, & quasi ex historia; non autem ex scientia ipsa, & legibus judicant, ut fuse part. 1. lib. 3. tractatum

tum est de confessoribus: estque hoc genus judicandi prorsùs præter regulam.

Atque hæc cursim dicenti satis esse videtur. Ubi plura volens nolens prætermitto: erit fortè dies alius instituto consilio de his, aliisque disserendi.

De advocatis, quorum mea quidem opinione maximum est periculum, obiter nonnihil adjungamus. Dedimus part. 1. lib. 3. quæst. 17. locum Augustini epist. 54. ad Macedonium, ex quo uno periculum suum discere satis possint, si pluris ipsis sit salvari, quam lucrari; sin minùs, nihil proficimus.

Ex dictis itaque sumitur facilè, ad quid Advocati teneantur. Est enim omnium Legum, & Reipublicæ, ac totius strepitus judiciarii finis veritas, ut scilicet secundùm leges & homines vivant, & sua cuiquique patrimonia, ac jura vel tueri possint, vel vindicare: qua de causa constituimus, verum sensum, & intellectum legum esse invincibilem. Scire ergo illum in primis tenentur advocati in causis, quarum patrimonium suscipiunt. Neque verò ut de operantibus limitavimus, plerique tenentur; & pauci aliqui, vel unus quisquam aut judex, aut Advocatus non tenetur; sed omnes prorsùs verum illum sensum, ac justitiam ipsam plerumque scire nosseque debent.

Jam de Advocatis absoluta est conclusio 2 2 qu. 71. art. 3. eos peccare, & ad restitutionem etiam obligari, si injustam causam defendant. Quæ porrò sit causa injusta in cujus defensione peccent, & restituere etiam tum suo Clianti, tum adversario teneantur, est exponendum.

Videntur scilicet existimare, suum hoc esse, ut quamcumque causam tueantur; & illud quidem gloriosius, si deteriores causas etiam vincant quasi finis non veritas esset, sed victoria. Certè rarò quibusvis causis Patroni deficiunt; & quemadmodum de moventibus bella alibi disseruimus, illa non necessitatis, sed voluntaris jam facta esse ex probabili, non modò ut moveantur, sed ut honestè etiam ac sanctè, hoc idem de litibus, quæ velut civilia quædam bella sunt, secutum videtur: qui enim, & ubi sunt, qui litigare velint, & Advocato destituantur?

Mater autem, quæ hoc, & alia gignit, una ipsa est scilicet opiniones, & probabile, quod ad alterutrum est. Putant ergo multi Advocatorum, licere sibi eas omnes causas tueri, pro quibus opinionem in libro aliquo habent in terminis, quod si nulla in terminis adsit, ex commixtis hinc inde opinionibus novam aliam cudunt: implentque allegationibus Authorum nihil veritatem ipsam probantium folia plurima, ac pecuniam multam corrodunt. Et uno verbo sicut in aliis officiis, ita etiam in hoc, illud omne licere sibi existimant, quod fieri solet, nec tam jus, & veritas, quam mos, & consuetudo pro regula usurpantur; & passim nobis quoque illud Cipryani usurpandum est, consensere jura peccatis, & cæpit esse licitum, quod publicum est; mox scilicet defensio Augustini dolosè iniquitatem quærentium arripitur: quam multi hoc faciunt? & quis non facit? Ex quo non ipsos rectè agere, sed plurimos damnari sequatur, cum non multitudo, sed veritas sit regula.

Itaque in omni prorsùs causa re ipsa, ac materialiter, ut loquimur, una pars semper est injusta, & contra veritatem, & justitiam; nam semper pars parti contradicit; alterutra proindè fallitur, aut fallit: alterutra ergo re ipsa contra rectam rationem, veritatem, & justitiam est: & sic etiam alterutra semper condemnatur, etiam quando res dividuntur, nam divisio est contra alterutrius, vel utriusque intentionem.

Undè sequitur, in omni causa alterutrum Advocatorum injustam re ipsa causam tueri, ac re ipsa grave nocumentum inferre tum parti adversæ, cum justitiæ, atque Reipublicæ. Ergo vel peccat, vel ignorantia invincibili excusatur. At ex dictis ignorantiæ invincibiles juris, ut facta nunc omittamus, plerumque non dantur, sed in paucioribus, & rarò; nam ii, ad quos pertinet, invenire plerumque possunt verum sensum legum, & jus ipsum nosse, ut constituimus. Ergo non rarò, sed sæpè, ac frequenter causam re ipsa injustam propugnans peccat: & Advocatus omnis ad hoc legis obligatur, ut plerumque veritatem juris sciat, & contra illam non agat; atque in hoc rectitudo illius consistit.

Declaratur exemplo Medicorum. Medicus enim is bonus, & rectus non est, qui non magis habeat non falli, quàm falli; neque conferre plus in salutem, quam in mortem; & æque plus minùs se habet ad bonum, & malum: quia non magis se haberet ad suum finem, quam ad contrarium: & sic est in artibus omnibus: quas, qui exercent, quin plus artis, quam non artis adhibeant, neque magis non fallendo, & juvando, quam fallendo, & re ipsa nocendo, indigni, insufficientesque sunt, & peccant. At finis Advocatorum nequit esse contrarius, sed conformis fini judiciorum ipsorum, atque Reipublicæ; qui est, ut unusquisque habeat, quod re ipsa suum est; hoc porrò ignorantis, & errore impeditur, quin etiam invertitur. Ergo tenentur plerumque non ignorare, nec errare.

Rursùs Aristoteles 1. Rhetoric. rectè judices confert regulis; sunt enim ipsa regula justitiæ, quâ jus falsum, & phantasticum à vero discernatur. Advocatos proindè, & alios, qui à vero eos avertunt, iis merito comparat, qui usuri aliqua regula, ut v. g. murum, ejusque rectitudinem, vel defectum noscerent, prius regulam ipsam detorquerent, & inflecterent. Hoc porrò faciunt, qui injustam re ipsa causam propugnant, & hoc ipsorum negotium est, scilicet Reipublicæ, & singulorum regulas distorquere. Quod sanè qui scienter faciunt, peccant gravissimè: ignorantia autem, & error invincibilis juris rarò & in paucioribus excusat: ergo etiam sic peccant, qui plerumque causas re ipsa justas non defendunt, & justis, & injustis ex æquo plus minùs utque sors tulerit, adsunt.

Constituo in Republicæ aliquod genus hominum, qui publicas rerum regulas, mensurasque falsarent, ut in monera faciunt tam multi. Esset profectò genus hominum perniciosum. At hoc re ipsa faciunt Advocati causas re ipsa justas oppugnantes, judicesque justitiæ regulas à justitia in injustitiam detorquentes. Quod autem id sæpè per ignorantiam, ac ex errore faciant, nec partium, nec Reipublicæ damnum imminuit, sed insanabilius efficit. Si ergo cæterarum regularum monetæque falsatores, ac inversores adeò & Reipublicæ, & singulis perniciosi sunt, cum justitia tantùm bonum sit, maximam profectò perniciem

niciem inferunt judicum, regularumque justitiæ hi inversorea operamque suam omnem eò adhibenres, ut scienter, vel ignoranter fallant, habeatque nemo, quod reipsa suum est.

Habeo, inquis, quod allegem, undè confundam, judicisque mentem obumbrem. Sed verò habent etiam hoc roboris mendacissimi quique sophistæ. Quin ut part. 1. universim communstravimus, omnes causam quamlibet re ipsa injustam, ac falsam tuentes, non aliud, quam purum opus sophistarum efficiunt. An ergo in scientiis quidem sophistæ improbandi sunt; in foro autem, ubi patrimoniorum, honoris, vitæque summa vertitur, innocentes sunt? & magna etiam præmia justè reportant? Fallere certe homines poterunt; hominem Deum non poterant.

Profectò si apud Advocatos de Medicis dissernere, eosque reua dixero, qui ex æquo ferme ægrotantes aut sanare, aut occidere sciant, opinor, consentient: & consentient etiam Medici, si tantumdem de advocatis apud ipsos reposuero. Alterutri ergo ex alterutris vicissim obligationem suam discere possunt.

De omni itaque conscientia in genere part. 1. ostensum est, eam (ut dubiam, aut scrupulosam transmittamus) adæquate dividi in rectam, & erroneam: nec aliam tertiam probabilem dari. Sic ergo est & de conscientia omnium officiorum Judicis, Advocati, Regis, & cujuscumque. Per verum autem, & falsum hæ differentiæ constant; & omnis conscientia rebus ipsis, & veritati conformia est recta: omnis rebus contraria, & ex doctrina falsa deducta est erronea. Unde omnis conscientia Advocati causam re ipsa injustam asserentia, & tuentis est erronea: & si error est invincibilis, excusatur; sin minùs peccat. Plerumque porrò, & ut in plurimùm error, & ignorautia non est invincibilis citra culpam nostram. Inquam, citra culpam; nam si quis habes, nihilque mente valens advocatum agat, aut judicem hoc ipsum culpa est, nec consequentes ignorantias excusat.

Et hæc quidem ita de divisione adæquata conscientiæ, & peccata etiam ignorantiæ comprehendendo. Quoad peccata verò scienter admissa, peccat Advocatus, si causam oppugnet, quam veram justamque esse, vel certò credit, vel etiam opinatur in sensu composito suæ opinionis, & judicii, ut latè part. 1. universaliter disseruimus: & quamvis re ipsa falleretur, peccaret contra conscientiam. Solæ igitur causæ re ipsa justæ; item dubiæ, quæ citra culpam frequentes esse non possunt, Advocatis tuendæ supersunt. De suitatibus autem doctrinarum lib. sup. dictum est: suitates antecedentes improbavimus; consequentes laudavimus. Hoc ergo idem de Advocatis est habendum; & quascumque causas suas facientes peccant; justas; & veras notas suas esse volentes, ac promoventes merentur, in quibus suitas ex veritate, & justitia nascitur. Hæc nunc obiter: disgressionem autem, vel illationem claudat Canus lib. 10. de Loc. cap. 9. cum lites inundatione sua ait, orbis Christiani fines pervaserint, miscuerint, confunderint, necesse est, eos honore summo affici, qui jurgiorum imponendorum dicuntur esse periti. Componant, necne, ipsi viderint, hoc nos certè videmus, minùs ibi esse litium, ubi minùs est hujus generis litteratorum.

§. IV.

Ignorari nihilominùs invincibiliter, & inculpatè possunt Leges humanæ.

Est hæc omnium Doctorum sententia, ut tradunt Theologi agentes de ignorantia, & Canonistæ cap. *si vir* de cognat. spirit. & cap. *Apostolica* de clerico excommunicato; & cap. *si verò* de sentent. excom. & S. Thomas quod l. 1 art. 19. exemplum affert existentia in carcere, vel in terris remotis, quò constitutio Papæ non pervenit.

Non ergo aiunt, ignorantiam quamlibet esse invincibilem, & satis esse ad innocentiam, nescivi, ignoravi. Supponunt hoc non sufficere, & exceptio hæc ipsa firmat regulam in contrarium, ut satis ostensum est §. 1. & 2.

Hujus totius rei ratio sumitur ex iis, quæ superiùs de jure naturæ, & Dei disputavimus. Diximus scilicet, Deum legem ferentem homines & casus omnes, pro quibus illas fert, non in universali, sed in particulari in conspectu habere: impedimenta itidem singula, rusticorum impotentiam, locorum distantiam & hoc genus omnia excusationem allegari solita, & in æternum allegabilia, Theologias omnes nostras præsentissimas ei esse, qui prætereà vires conferre habet in manu; fieri proindè non posse, ut aliquem vel hominem, vel casum comprehendere lege suas voluerit, qua ab eo homine, & eo in casu servari non posset: nec item fieri posse, ut Deus legem eam ab illo tunc servari vellet, agnosci tamen nollet; aut vellet quidem eam agnosci; ad quod tamen vires deesset: ac postremò fieri omnino non posse, ut Deus omnipotens legem aliquam condiderit; satis autem promulgare aut non potuerit, aut noluerit.

Hi porrò defectus, quos attigimus, quinque in Omnipotentem Deum cadere non possent, in Legislatores homines possunt. Ferunt illi leges universali solùm, non singulari cognitione hominum, & casuum. Quare vel Romanus Pontifex, vel Rex noster pro Hispanis omnibus legem aliquam ferre possunt? & intereà, quosdam esse Maraceci, & hic, & ibi, ad quos lex illa pervenire nequeat. Omnium prætereà vires comprehensas non habent; undè quibusdam impossibilia ea esse possunt, quæ jubentur. Similiter etiam ita legem constituere possint, ut à multis, propter suam ignorantiam, ac rusticitatem intelligi satis nequeat. Omnipotentes deindè non sunt; ac ideò in promulgando deficere possunt. Forte etiam Legislator aliquandò aliquis non satis mentem, suam expressit, nec aliarum priorum legum meminit: & inter se contraria constituere possunt, & confundere; circumstantias demùm plurimas præterire. Atque propter has, & alias causas, ut omnium fert opinio, possibiles sunt ignorantiæ invincibiles legum humanarum.

Primus superiùs, & exposuimus, cognitionem, actualem legum nec muneris esse solius legislatoris simul, & subditi; quarè deesse potest vel propter defectum Legislatoris, qui partes suas non explevit in promulgando, vel propter defectum subditi, qui defecit in quærendo; & puerorum prorsus est illa consecutio: aliquis cognitionem

tionem actualem legis non habuit; ergo lex illi satis promulgata non fuit. Subsumpsimus porrò de Legislatore Deo, eum partes suis explere semper, neque deficere: nos proindè deficere, quandò non cognoscimus; sicut quandò non possumus. At de Legislatoribus hominibus sub sumere id non possumus, eos quippe numquam propter ignorantiam, vel impotentiam, aliave de causa deficere: atque summotum virorum hoc est, ut raro, & in paucioribus deficiant: & sic etiam ignorantiæ invincibiles admittendæ sunt, & 38. dist. cap. *propositiis* admittitur ignorantia invincibilis constitutionis Siricii Papæ, & sapienter Sanctus Thomas hominem carceratum, qui quærere, vix, vel nullatenùs possit, in exemplum adducit.

Dices, Dei esse supplere defectum Legislatorum hominum, saltem Ecclesiæ; quemadmodum scilicet custodit eam, ne erret in ferendo leges, ita in propagatione eam indefectibilem efficiet. Respondeo, potuisse quidem hoc privilegii Deum facere Ecclesiæ suæ: at non fecit; nulla enim de hoc est facta promissio: sicut nec alia sui propria Ecclesiæ concessit, ut leges ejus abrogari cosuetudine nequeant, vel initio non admittantur, & similia. Reliquit ergo leges etiam Ecclesiæ in gradu suo, & ordine, nec ad ordinem legum suarum elevavit.

Dices 2. absolutam esse regulam juris in 6. ignorantiam juris non excusare: absolutam item doctrinam Philosophi 2. Ethicor. ignorantiam universalem, & juris non excusare, quin potius esse reprehensibilem. Philosopho autem sermo sanè non est de lege divina, sed de humana, ergo nulla juris ignorantia excusat.

Respondendum est, omnem orationem intelligendam esse juxta subjectam, materiam juxta summulas; & ideò homo currit, & homo est rationalis valdè diversos sensus habent, quia altera in materia contingenti, in materia necessaria est altera, & ex ipsa materia sensus desumitur. Sic ergo sensus propositionum universalium in materia prorsus necessaria, & in materia probabili, & plerumque ita se habente, in paucioribus tamen, & aliquandò deficiente diversus est, licet utraque propositiu universalis vera sit, altera enim intelligitur sine exceptione prorsùs ulla; at altera cum exceptione aliqua, scilicet rara, & in paucioribus: Quare & regula juris, ut jacet, vera est; & verum etiam effatum Aristoteles sicut verum universaliter est, Matres diligere filios, senes canescere, & similia probabilia, etsi exceptionem aliquandò habeant. Atque sunt hoc genus plurimæ assertiones universales in scripturis, utique verissimæ, ut *omnes declinaverunt*, &c. licet sit exceptio in aliquibus, ut prosequitur Ambrosius, vel potiùs Prosper de vocatione Gentium. Nihil de Recentiorum probabili loquor, quod cum indifferens prorsùs sit ad verum, & falsum, inepta materia est ad assertiones omnes non solum Theologicas, sed vel etiam Rethoricas, nec ullus unquam Rhetor ea ita indifferentibus orationem ullam contexuit, sed ex plerumque saltem ita se habentibus vel in se, vel quoad auditores.

Ex his porrò robur, viresque accipiunt, quæ de jure naturali, ac divino disseruimus. Si enim legum etiam humanarum, quarum tam dispar est ratio, rarò, & in paucioribus est invincibilis ignorantia, ut ex Aristotele in Ethicis, & ex usu judiciorum constat, & Nazianzenus orat. 21. in laudem Athanas. dicit inter alia: *nam cum Romanorum legem nemini quamlibet rustico, & indocto ignorare liceat, nec lex ulla extet, quæ criminibus per ignorantiam commissis opem ferat*, &c. profectò necesse est, jurium illorum vel nullam, vel valdè rariorem esse ignorantiam. Cum rursùs reus humanæ legis violatæ in judicio præsumatur conscius legis, & si ignoravit, tenetur ignorantiam, ex illius justas causis probare; sin minùs condemnatur; planè modò lætè vivimus, nec in judicium à Deo vocamur; tamen cum judicabimur, satis non erit, dicere ignoravi, ut reprobos dicturos esse monemur, quandò *te vidimus esurientem*, &c. nam textum Evangelii ignorabant dicentem, *quod uni ex minimis* &c.

Tractant verò Doctores, quibus modis probare quis teneantur suam humanarum legum ignorantiam fuisse invincibilem, seu ut vocant, probabilem, & innoxiam, supponunt autem requiri justam aliquam causam, ut si tempore promulgationis in terris remotis extitisti, &c. & quærunt, an sufficiat juramentum? Hoc exponere nostra non est; & est tamen è re nostra, numquam in judiciis admitti ignorantias invincibiles legis naturalis, aut divinæ, ut si quis in Judaicam superstitionem lapsus sit, vel usuras. vel peccatum Sodomiæ, vel bestialitatis rusticissimus etiam alioqui aliquis commisisset. Dices, male faciunt. Respondeo ne ergo peccatores damnes, damna judicia, & tribunalia.

QUÆST. XVII.

Utrum ergo factorum etiam dentur ignorantia invincibiles, & quæ, & quando.

ABsolutis his, quæ ad juris, legumque ignorantias pertinent, superest, ut de ignorantia facti, circa quam etiam per excessum, & defectum peccari posse videtur, continenter disseramus.

§. I.

Non omnis ignorantia facti hoc ipso invincibilis est.

COntingit, peccare hoc circa aliquos per excessum, qui ignorantiam innocentiæ matrem constituisse videntur: & modo saltem facti ignorantia sit, sed rutissimos habent, & si quando per oblivionem die Veneris, aut carne, aut perdice vesci cuiquam accidat, gratulari etiam lætissime solent, & utinam id sibi contigisset, exoptant: quod certe sanctarum legum, virtutisque nimium amatorum non est.

Hoc ut caveam, conclusio est, non omnem facti etiam ignorantiam esse hoc ipso invincibilem, est sententia communis Doctorum: & aperte sumitur ex locis adductis ex Levitico, in quibus non solum de ignorantia, sed de oblivione quoque facti habetur, peccari etiam per oblivionem, In jure quoque sicut juris, sic etiam facti notorii ignorantia non admittitur, sit clare traditur cap. *cum in tua, qui Matr.* accus. pos. & ts,

1

qu. 2. qui & divinis, & alias. Unde ergo consecutio illa sumpta est; immemor, vel ignorans diem esse, veneris, perdicem comedi; non ergo peccavi quin fortunatissimus extiti? non quidem, quod hoc etiam ipsum aliquis aliquando citra culpam ignorare nequeat, ut dicetur.

Quamquam itaque juris regula fit circa facta non scientiam, sed ignorantiam præsumi, ut dicemus; tamen non hoc de quibuscumque factis præscribit; nam in primis de factis notoriis contrarium præsumit, ut constat ex tactis capitibus: & deinde cum hæ regulæ exceptionem habeant, & in paucioribus deficiant, hoc ipso locum relinquunt ignorantiis vincibilibus facti; sicut regulæ contrariæ circa jus humanum locum relinquunt ignorantiis invincibilibus juris humani. Ipsa ergo regula supponit, factorum etiam pari posse ignorantias noxias, nec labis expertes.

Universa rursus justitia distributiva versatur potissimum circa facta: nam res facti est dignitas uniuscujusque, & singulorum, qui, quales, quantique sint, quamque idonei, & quinam digniores ad prælaturas, ad gerendos Magistratus, ad Provincias administrandas: mediumque ipsum proportionis geometricæ sane scitu per difficilis ex factorum cognitione maximi pendet. Num ergo Principes horum factorum ignorantia, aut oblivione eligendo indignos, vel minus dignos peccare nequeant, possunt utique; idcirco Magistratus tenetur de idoneitate curatoris, vel tutoris, quem nominat, inquirere, ut leges, & jura disponunt: Principes item tenentur providere dignos judices; Prætores Præfectos, ut ambigit nemo, non ergo omnis quorumcumque factorum ignorantiæ, & obliviones à culpa excusant.

Quinimo adeo necessaria est ad domus cujusque, & civitatis regimen multorum factorum, atque legum ipsarum cognitio, nec ignoratis factis leges robur habere possunt, quæ quippe circa facta versantur, idcirco quemadmodum libro primo, quæst. 1. & 2. de ignorantia, & errore universim disseruimus, necesse omnino fuit factorum etiam ignorantias, & errores prohiberi tum propter se, tum propter aliud, sicut ea qu. 3. explicatum fuit. Judicia temeraria, errores, opinor sunt circa facta: & nihilominus peccata sunt. Omnes item illæ circumstantiæ, quis, quid, ubi, &c. quarum rectitudo ad omnium actuum humanorum rectitudinem postulatur, non jus, sed factum respiciunt: error ergo illarum, vel ignorantia plerumque saltem à culpa non excusat.

Unde nescimus prorsus, quo jure quidam sibi persuaserint, eum non peccare, qui lapidem projicit, aut sagittam jacit in plateam, qua commeare homines solent, & aliquem ferit; quia scilicet tunc ipsi non occurrit, percuti à se quemquam posse, atque hoc genus alia; ut enim sæpe constitutum est, non solum quid cogitaverimus, sed quid etiam cogitare debuerimos, inspiciendum est; nec intellectuum recte gerendorum, quam manuum minor imposita est nobis obligatio. Cito quis credidit, uxorem suam esse mortuam, evolavitque ad secundas nuptias; sane peccavit; sicut peccant alii in aliis cito credentes.

Quæ certe omnia cum perspicua esse videantur, placuit tamen ea hic historia confirmare, quam magnus Gregorius dialog. libro quarto, capite quadragesimo, memorat: atque attigere nobis aures potest: dum adhuc, inquit essem juvenculus, atque in Laico habitu constitutus, narrari à majoribus, atque scientibus audivi, quod Pascha sois hujus Apostolicæ sedis Diaconus, cojus apud nos rectissimi, & luculenti de sancto spiritu libri extant, miræ sanctitatis vir fuerit eleemosinarum maximis operibus vacans cultor pauperum, & contemptor sui.

Sed hic in ea contentione, quæ in ardescente zelo fidelium inter Symmachum, atque Laurentium facta est, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium post unanimitate superatus in sua tamen sententia usque ad diem sui exitus perstitit, illud amando, atque præferendo, quem Episcoporum judicio præesse sibi Ecclesia refutavit.

Hic itaque cum temporibus Symmachi Apostolicæ sedis Præsulis esset defunctus, ejus Dalmaticam feretro superpositam Dæmoniaricus tetigit, statimque sanatus est, post multum vero temporis Germano Capuano Episcopo, cujus superius memoriam feci, Medici pro salute corporis dictaverant ut in Angulanis thermis lavari debuisset. Qui ingressus easdem termas prædictum Paschasium, stantem, & obsequentem in calotibus invenit, quo viso, vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquisivit, cui ille respondit: pro nulla alia causa in hoc pænali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laorentii contra Symmachum sensi, sed quæso te, pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognoscis, quod ex audi rutis, si huc rediens me non inveneris, qua de re vir Domini Germanus se in precibus stringit; & post paucos dies rediit, sed jam dictum Paschasium in loco eodem minime invenit; quia enim non malitiæ, sed ignorantiæ errore peccaverat, purgari post mortem à peccato potuit, hactenus Gregorius.

Laurentium sane digniorem sensisse, & facti, & intellectus, opinor, error, atque ignorantia fuit; & tamen à peccato nunquam liberavit: & Gregorii quoque absoluta est authoritas, Paschasius non malitia, sed ignorantia: non scienter Laurentium minus dignum promovendo, sed ignoranter, & ex errore, eumque digniorem existimando excessisse. Latuit tantum etiam virum pauperum cultorem, & sui contemptorem passio aliqua sua, vel affectio, ex qua Laurentius dignior sibi videbatur: quod si tanti etiam Dei viri ex his haud sibi notis affectionibus errare possunt, peccare, quid nos miseri, nostri amatores magis, quam contemptores timeamus, abeant ergo abeant, qui jurium, & factorum ignorantias, quasque continuo tutissimas arbitrantur.

§. II.

Vulgares regulæ de ignorantiis vincibilibus, vel invincibilibus facti.

Regula est juris 47. in 6. *præsumitur ignorantia ubi scientia non probatur*, de factis primum regulam intelligunt; nam de jure regula potius fuerat 13. *ignorantia facti, non juris excusat*, deinde supponunt Doctores, regulam de ignorantia præsumenda non de ignorantia factorum quorumlibet, sed aliquorum tenere.

Duas

Dantitaque vulgates regulas pro concordando jure tradunt, quæ extant in notis ad hanc regulam quadragesimam septimam, quod nimirum circa ea, qoæ publicè fiunt, præsumitur scientia, nisi probetor ignorantia: contra vero circa ea, quæ clam fiunt, & occulta sunt, præsumitur ignorantia, nisi scientia probetur, atque hac distinctione conciliant textus plurimos, & jura. Limitant autem etiam hoc ad ea, quæ quis indagare non tenetur; sunt scilicet multa etiam occulta; quæque clam fiant, qoæ quis ex officio indagare, explorareque teneatur.

Per difficile sane est, certa constantiqoe regula facta illa determinare, atque sejungere, quorum esse possint, vel esse non possint ignorantiæ invincibiles; quemadmodum lib. seq. tractatum fuit de ignorantiis in genere, vix taxari, discernique posse quantitatem illam diligentiæ, ex qua ignorantiæ vincibiles, ac invincibiles, differant; proindeque semper in ore, & in corde illud habendum, *ab occultis meis munda me Domine*: delicta enim quis intelligit?

Totum scilicet hoc negotii pendet à debita diligentia, vel non diligentia, studioque rebus sciendis adhibito: nec tam ex rebus, quam ex hac animi applicatione, vel desidia, unde ignorantiæ voluntariæ, vel involuntariæ sunt, res hæc tota dijudicanda venit; & possibile est, circa res etiam valde publicas contingere ignorantiam invincibilem; & esse forte vincibilem circa occultas.

Nihilominùs duas regulas haud sane certas, probabiles tamen assignare possumus, alteram sumptam ex rebus, alteram ex quantitate studii, & diligentiæ, res itaque, & facta alia sunt raro, & fere nunquam contingentia; alia aut plerumque, aut sæpe saltem contingentia. Loquimur vero de pertinentibus ad unumquemque.

Hinc dici potest, ea, quæ raro, & fere nunquam contingunt, invincibiliter ignorari: non ita ea, quæ frequenter eveniunt, dixi sermonem esse de pertinentibus ad nos, vel qua homines sumus, vel qua Christiani, vel religiosi certi instituti, vel qua officium aliquod, munusque obiimus: neque enim existimamus, de quo quidam impense curant, nos plus obligari ad res officii, quam ad communes omnium vel hominum, vel Christianorum: dixi etiam, regulam haud esse infallibilem, sed exceptioni obnoxiam, plerumque tamen veram, atque ad præsumendam scientiam, vel ignorantiam sanè sufficientem.

Hinc primò, quæ communis Doctorum sententia est, habetur ignorantiam Noemi, qua se inebriavit, innoxiam extitisse: nondum enim in se, aut in aliis hanc vini virtutem, vinique expertus fuerat, Rexque erat, quæ nunquam eatenus contigisset. Similiter si quis assuetus potare plurimum, nunquam tamen se ebriom expertus est, & bibat plurimum, nec se inebriandum ratus inebrietur, hæc ignorantia, vel error involuntarius, invincibilisque præsumendus est, contra, si quis contrarium expertus sit, & si ultro & temere se hac vice tutum haboerit, error voluntararius est. Similiter si nihil in se expertus potest tamen plurimum: quamquam nihil de ebrietate cogitaverit; quia cogitare, scireque debuit ex plerumque contingentibus: quod ad præsumendum, vel dubitandum saltem etiam de se sufficiebat.

Eodem pacto Philosophandum est de ignorantia, vel scientia occasionum peccandi, item de oblivionibus aut ignorantiis circa recitandum officium, aut horam aliquam, aut invertendi officium; de qoo iterum regula secunda dicetur. Rursùs de oblivione, & ignorantia peccatorum quoad confessionem; atque de similibus quamplurimis.

Habetur Secundò, quæ etiam solemnis sententia est Doctorum, Jacobum, cui loco, Rachelis Lia supposita fuit, non peccasse, sed ab ignorantia facti excusatum fuisse: neque enim, ut Sacer textus assirmat, Liam esse nisi *facto mane* viderat. Hoc est, cognoverat, fuit scilicet ista ignorantia rei fere nunquam contingentis, neque erat, unde Jacobus prævidere, aut suspicari eam potuisset. Movet nihilominus aliqua Guillelmus; ad quæ paulo post dicemus.

Similis est species in Concilio Triburiensi, quæ extat in cap. in lectum 35. quæst. I. in *Lectum Mariti absente uxore soror ejus uxoris; quam ille uxorem putans esse suam dormivit cum ea. Super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit, quod inscius fecerit hoc scelus, pænitentiam quidem, quæ sibi indicta fuerit, agat, & legitimum suum conjugium habere permittatur, illa vero vindicta digna affligatur, & in æternum conjugio privetur.*

Multa hoc in textu visa multis sunt difficilia. Nam primum vix iste etiam rei inscius peccasse videtur; siquidem jubetur injunctam pænitentiam peragere: at ubi peccatum, & culpa nulla est, pænitentiæ locus esse nequit. Rursùs quod factum hoc etiam ab inscio commissum scelus vocetur; scelus autem peccatum est; nec omnis quidem culpa scelus est; omne tamen scelus culpam claudere videtur. Unde arguas: hæc fuit ignorantia facti rato, & fere nunquam contingentis; & tamen à culpa, & à scelere non excusavit: ergo regula vana est.

Tenendum est nihilominus Concilium supposuisse, rem istam talem esse, quæ invincibiliter ignorari possit; item talem, quæ vel sciri, vel non invincibiliter ignorari possit, patet hoc; quia nisi utroque modo evenire potuisset, frustra quod sciendum, utro modo contigisset, probationem securitatis veræ, idest, juramenti aliorumque, ut opinor, adminiculorum exegisset. Deinde hac habita probatione hominem illum supponit culpæ immunem; qua de causa eum permittit, legitimum suum conjugium habere, neque perpetua ipsum pæna, sicut uxoris sororem mulctat, cum tamen gravius ejus peccatum incertus scilicet & adulteris futurum fuisset, quam mulieris, atque hoc supponunt communiter Doctores; sic etiam qui conjugatam ignoranter agnovit, excusatur ex cap. *si vero aliquis* de sent. excom.

Obices porro objecti facile removentur. Cum namque juramentis debilissimum sit probationum genus, quodque in defectum aliarum valeat, non prorsus veritatem evincit; nam juramenta falsa sunt res satis frequenter contingens: unde adminicula etiam alia addita fuisse, crediderim, quod homo ille sponte scelus confessus fuisset: quod nullæ in contrarium suspiciones adess-

sent; quod semel, non sæpe res accidisset; ut facile accidisset, si non prorsus innocenter ea vice, contigisset, quoniam tamen hæc non omnino innocentiam concludunt, & ex voce, ex corpore, & ex aliis suspicio, vel cognitio aliqua ad peccandum sufficiens obvenire potuerat, ad cautelam, securitatemque omnimodam pænitentia aliqua levior injungitur.

Quod autem factum istud scelus à Concilio vocetur, movere eos potest, qui inter excusatum, & bonum nihil distinguentes arbitramur, opera etiam de se mala ab invincibiliter ignorantibus commissa esse bona, honesta, & æternæ vitæ meritoria: quemadmodum jejunia, elemosinæ, & cætera opera bona: movere vero nos non potest; qui ea nunquam ab ignorantia bona reddi part. commonstravimus; & denuo superius lib. 1. ostendimus, ea semper mala esse, & mala vocanda, & adulteria semper esse scelera in se quamquam invincibiliter ignorantibus nunquam imputentur; quia voluntaria non sunt: idcirco neque talium Deus uspiam est author, de quo lib. 1. propter vocum tamen periculum, maxime vero sceleris, ac similium satius erit, distinctione uti, & sensum loquentis declarare; illud nunquam ego concesserim, talia vocari bona, sed hoc, ut summum dederim, vel non esse mala moralia, vel esse materialiter solum scelera, quod idem est. Ex conscientia vero erronea etiam invincibili rectam depromi non posse artificio ullo reflexarum, demum lib. præc. quæst. ult. ostensum est.

Atque hinc etiam Guillelmo satisfit, qui acriter contendit, neque ignorantiam quidem facti, ut in adulteris casibus, esse invincibilem, aut excusare à scelere; quia absurdissimum arbitratur, ea per quamcumque etiam ignorantiam commissa æterno præmio, cæloque donari. Et nos quidem hoc pariter vel absurdum, vel falsum existimamus: distinctione tamen, quam cum D. Thomas, maximi Theologi induxere, usi sumus, condidimusque, nunquam talia à quacumque ignorantia bona reddi, neque ullo digna præmio, sed solum, & pure excusari à culpa; atque ideo etiam à pæna.

Replicat, Jacobum, & similes multipliciter ignorantiam suam deprehendere potuisse, aut ex voce, aut ex corporis modo, aut accendendo lucernam; aut quod omnium rectitudinum caput est, Deum orando; qui facientibus, quod est in se, nunquam deest, omnesque sive de jure, sive de facto instituit, ut copiose prosecuti sumus: unde in nos ad hominem ex jure ad facta argui multifariam potest.

Respondemus, nobis haud licere à posterorum simul, & veterum placitis Patrumque decretis discedere: rem deinde istam, de qua est sermo, talem esse, quæ, ut notavimus, sciri possit vel ex voce, vel ex corporis modo, ut dicitur: talem etiam, quæ ignotari invincibiliter possit, vel propter similitudinem: vel propter silentium, & accuratam simulationem. Cum vero res sit, quam timere nemo possit; est enim raro, & fere nunquam contingens, nemo tenetur ad specialem adhibendam præcautionem; ut de remotis quibusque periculis raro, vel fere nunquam contingentium rerum, ostensum est part. 1. lib. 3. ubi diximus, probabilia, & si raro aliquando deficiant, fallantque, rectam regulam esse conscientiæ cum onere: quod multis ibi exemplis confirmavimus.

Ad id, quod de orando Deo, qui facientem, quod est in se, non destituit, a[...]ebatur respondemus, ea nobis de misericordia, bonitateque Dei, atque Justitia esse speranda, timendave, quo ipse se facturum esse promisit; non autem proprio Marte his ex locis Philosophandum, ut quidam faciunt; nescimus enim, quæ, qualia, & quanta Dei misericordiam deceant, vel justitiam, promisit itaque Deus, se doctorum volentes scientiam suam, legem suam, de legibus humanis, & factis contingentibus idem promittere, facereque potuit; haud tamen promisit, sed ut; quæst. præc. dictum est, humanas leges in suo loco, graduque, ac suis legibus impares, secundum propriam naturam suam reliquit. Sic ergo & à fortiori de factis contingentibus de natura sua incertis, variis, ac syncathegorematice infinitis fecit: quod reliquæ totius naturæ administrationis similitudine declaratur.

Tertiò ex Apposita regula habetur, non sufficere ad præsumendam ignorantiam, quod res in se ipsa iri individuo, vel in specie à Thom., & strictissime raro, & fere nunquam contingat; sed regula intelligenda est de contingentibus in se, vel in similibus, idcirco Gellasius Majorico, Sereno, Joannique Episcopis scribit, ut habetur quæst. duodecimo capite secundo, *qui & divinis*; non esse præsumendam ignorantiam sententiæ proprii sacerdoris: ad quod publicitas, etiam sententiarum juvat. Ita neque præsumitur ignorantia, sed probanda est, quando quis ab hæresiarcha nominatim excommunicato, aut ab invadente alienam Ecclesiam ordinariones accipit, ut extat cap. 3. *ordinationes* qu. 1. similiter neque ignorantia Sardicensis concilii, neque decretorum aliorum Pontificum admittitur ex Gelasio cap. 16. dist. 3. 25. *quod dictis*.

Ex quibus omnibus, ut omittam alia, nimis aperte constat, eam aliquorum Theologiam repellendam esse, qui de ignorantibus facta aliud non curant, nisi utrum ignoraverit; sed indagandum prorsus esse, quæ sint, & quales res, & facta ignorantiæ; & in quibusdam præsumendam esse ignorantiam invincibilem; in aliis vincibilem. Hoc porro examen à quibuslibet, atque ipsam moralem scientiam directim ignorantibus, & solum r. dexe opiniones librorum colentibus; item à prætereuntibus decreta Patrum fieri prorsus nequit, & undique sunt pericula.

§. III.

Regula alia certior ex bona, diligentique voluntate.

Locus hic, ex quo potius modus innotescit inveniendæ veritatis, ad librum consequentem maximè spectat, & brevissimo modo tractabitur. Est ergo origo totius bujus rei bona, vel mala voluntas, ex qua scilicet universa ignorantiarum voluntarietas, vel involuntarietas sumitur. Cum Porro jura, & leges ad scientiam, & regulas revocentur; facta vero contingentia, incerto, varia, & in infinitum vergentia ægre, vel vix regulis comprehendi, scientia vero nullatenus possint, ideirco factorum maximà regula esse debet bona, vel non bona voluntas.

Sunt

Sunt autem quædam bonæ voluntates non bonæ, aut non fatis bonæ, ideſt ſegnes, in efficaces, pigræque: quo ſenſu dicere ſolent his bonis deſideriis plenum eſſe infernum; atque hæ minime ſufficiunt ad ignorantiæ facti invincibilitatem, aliæ contra ſunt, quæ ſufficiant, ſcilicet efficaces, actuoſæ diligentiſſimæque: quas qui habent, feliciſſimi ſunt, & ſi quid aliquando ignoraverint, ignorantia, vel etiam oblivio, tum ab ipſis, tum à confeſſore, cæteriſque naturalis, & omnino involuntaria cenſenda ſit: ut ſi quiſquam horum diem eſſe jejunii, vel feſti ignoraverit, aut completorum, aut aliud recitare oblitus ſit, ſolent Medici adaugendam, memoriam adhibere medicamenta; nos nihil volontate, & amore efficacius eſſe cenſemus, & raro impenſe amantes, aut ignorant, aut obliviſcuntur eorum, quæ ad res amatas, deſideratasve pertinent; & exactiſſimè omnia norunt, omnium meminerunt, ut teſtimonio eſt mundus totus, vel fœde amantium, vel pecunias conquirentium, vel ambientium.

Jam quod ſuperius etiam dictum eſt, & lib. ſeq. retractabitur, regula morum, & vitæ eſſe nequit, hæc mundi bona impenſe eſſe curanda; ea vero, quæ ad honeſtatem virtutemque pertinent, ſive juſſit, ſive factum, curanda eſſe minus. Hoc nullibi, & minùs quidem in Dei judicio ſtatui poteſt. Regula ergo ſit, eorum ignorantias, & obliviones factorum, maximè habendas eſſe, præſumendaſque omnino naturales, & invincibiles, qui res animæ, & virtutem ſic curant, quemadmodum avari, ambitioſi, & fœdè amantes curant, coluntque res ſuas: reliquorum vero præſumendas eſſe voluntarias, & negligentiæ filias, habet certe exceptionem regula, & deficere aliquando poteſt: & impenſe virtutem etiam colentibus eripere poſſunt, unde timeant, ignorantiæ vincibiles facti, ſed raræ: negligentium etiam, & fere ſtupentium aliorum poſſunt aliquæ eſſe naturales prorsùs, & invictæ ratione materiæ, quæ ſcilicet talis ſit, in qua diligentiſſimi quoque ignorare poſſent, & obliviſci, nihilominùs regula conſtituta recta eſt, ratoque deficiena: & ſic ſi non certa, tamen probabilis illa philoſophorum, & ſæculorum omnium probabilitate, de qua part. prima, actum eſt, atque iſta de ignorantiis invincibilibus & vincibilibus, ac de veritatis moralis invenienda poteſtate, & obligatione dicta ſufficerint.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVUS

DE

MODIS INVENIENDI VERITATEM MORALEM, SEV DE GLADIO MISSO IN TERRAM A SALVATORE.



Emrus demum est, ut fidem solvamus, cumque eversis probabilibus, & quibusvis aliis veritatis expertibus, omnia ad unam veritatem resolverimus; cum eam rursus invenibilem esse lib. super. statuerimus, sitque per se absurdum disciplinatis quibusque Deum gloriosum legem dedisse hominibus, ex qua viverent, quam homines invenire nequirent, ostendamus quibus modis, & viis homines invenire veritatem, idest, legem ipsam possint.

Num ergo consilium est omnes libros Moralistarum percurrere: quæstiones singulas promere, opiniones omnes una ad unam examinare, & hanc, & hanc, has, & has veras pronunciare; illas, & illas falsas edicere, & his ex punctis ex solis veris librum istum compingere?

Longe profecto ab his deliramentis distamus; neque hoc singularum rerum, & opinionum examine veritas religionis quærenda est, aut invenienda, ut opere alio constituimus: neque ergo veritas moralis, ut infra magis statuetur, quin eo toti incumbimus, ut ab hoc opinionum, & dissidiorum in certo extrahamus salutis amatorem quemque, ducamusque in viam aliam celsiorem, arctam illam, & Evangelicam, atque pauciorum, tamen verissimam, & nulla vi expugnabilem. Qua de causa librum etiam inscripsimus de modis inveniendi veritatem moralem, seu de gladio misso in terram à salvatore. Etenim morum doctrinam contrariis ubique, & de omni quoquomodo dubitabili dissidentibus opinionibus adeo implicarunt, & fædarunt, ut certe implexior esse nequiverit nodus ille Gordianus, quem Alexander non digitis expediendum, sed gladio abscindendum censuit. Sic ergo & nos gladio, quem Dei filius salvator noster misit in terram, non enim pacem venit mittere, sed gladium, nodos omnes amputandos esse existimavimus; quamquam filiis hominum Deo amarissimam eam in pace amaritudinem prudentiam vocent; stultitiam vero quidquid gladium bellumve redolet. Quemadmodum ergo ut significavi, in causis fidei citra opinionum examen per præscriptiones certissimas indoctis etiam intelligibiles veritatem fidei evincimus, hoc idem in præsentia servandum est eisdem de causis ut dicetur.

Haud vero, Lector, existimes, arcana aliqua mysteria à nobis servanda, aut inauditam aliquam doctrinam ex profundo terræ, vel ex cæli solio adducendam. Nihil plane minus, sed doctrinam dabimus in libris etiam vulgaris sermonis Avila Granata, Teresia, Puente, Arias, & similibus obviam, & qua sanctorum Patrum opus omne confertum sit. Ex hac doctrina multos modos exuemus inveniendi veritatem moralem, eosque toto rigore Theologiæ veros esse; alios autem lubricos, & ad latam portam, spatiosamque viam pertinentes ostendemus.

Atque cor nobis hic exigit salvianus ad Eccles. Cathol. lib. 4. fine *Dura hæc forsitam, inquit, atque austera videbuntur. Quidni? omnis enim disciplina, ut ait sermo divinus non est gaudii, sed mæroris. Dura hæc, & austera sunt, sed quid facias? non licet rerum mutare naturas, & enunciari aliter veritas non potest quam virtus ipsa exigit veritatis, Dura hæc quidem putant, scio. Sed quid facias? Nisi duris non itur ad Regnum; arcta enim, inquit Dominus, & angusta via est, quæ ducit ad vitam, & Apostolus, existimo, inquit, quod non sunt condignæ passiones &c.*

Ideo nihil durum, aut austerum videri debet Christianis: quid quantalibet pro sempiterna beatitudine Christo offerant, vile est, quod datur, ubi tam grande est, quod accipiatur: nihil magnum in terris ab hominibus Deo solvitur, ubi quod est in cælo maximum comparatur.

Durum est, avaris, ut largiantur sua. Quid mirum? totum durum est, quidquid imperatur invitis. Pene omnis sermo divinus habet æmulos suos: quot genera præceptorum sunt, tot adversariorum. Si largitatem in hominibus jubet esse Dominus, avarus irascitur: si parsimoniam exigit, prodigus execratur sermones sacros horrent raptores quidquid de Justitia scribitur: horrent superbi quidquid de humilitate mandatur &c. Aut nihil ergo dicendum est, aut quidquid dictum fuerit, cuicumque supradictorum hominum displicebit, &c. Inter hæc quid agant, quibus loquendi officia à Christo mandantur? sed ut Judæis Apostoli responderunt expedit Deo magis obedire quam hominibus.

Hæc salvianus; qui melius sane statuit dura sua, quam Recentiores suavia, sua pridem evidenter vulgari etiam sermone eversa à Francisco Arias, sed non solum, ut salvianus differit, singula præcepta habent æmulos suos, & adversarios, sed lex etiam universa, & non pridem in Academia magni nominis plures subscripserunt; eam nisi incerto concludat, non obligare. Quod aliud moris, vel

in

in schola, vel inlite cum adversariis nostris servamus præter hoc, de quo inferiùs : nam exorbitant à tota Dei scriptura, ac proinde etiam à Theologia, non eam loquor suarum ratiuncularum, & ingeniorum.

QUÆSTIO I.

Praambula quibus signis Tgologice noscendum sit quem esse vel non esse in gratia & in via salutis.

HAnc quæstionem præambulam, & quæstionem, ad quam unam cæteræ quæstiones morales referuntur, præmittendam censuimus, propter eos, qui hoc Theologiæ, & Theologi, quo nihil minùs habent, nomine pleni sunt, & quidquid de sua illa Theologia non est, parui habent. Nunc ergo scholastissimè ex scholastissimo Theologo D. Thoma videndum est, utrum per vias communes recentium opinionum, an signis aliis longe diversis, & longissime positis noscendum sit, quem esse, vel non esse in gratia, & in via salutis, ut incipiamus à talium opinionum incerto fideles abducere.

§. I.

Unde homo scire possit se esse in gratia ex lib. 2. qu. 1. 12. art. 5.

COpiosè rem istam contra præsentes hæreses Doctores prosequuntur, ut ostendant vanam esse eam, quem unicuique justo arrogant, suæ gratiæ certitudinem. Nos non huc imus, sed ut breviter declaremus, quantum requiratur intra ipsos etiam Theologiæ scholasticæ terminos sistendo, ut quis noscere quoquomodo possit, & conjicere, se esse in gratia : ex quo facile quisque colligat, laxitates præsentes, non modo scripturis Dei, & sanctorum minime congruere, sed neque Theologiæ scholasticæ : at congruere maximè, quæ tradituri sumus; ne nobis caput ubique rumpant, & stomachum moveant ea ad Theologiam scholasticam provocatione.

Ergo Theologiæ Scholasticæ facile Princeps S. Thomas quærit eo art. utrum homo scire possit se habere gratiam? id est, justificantem, & filiorum, quorum duntaxat est regnum, opponit primum pro more aliqua pro parte affirmativa: & tertio loco sic arguit: lumen est magis cognoscibile, quam tenebræ ; quia secundum Apostolum ad Ephesios. 5. *omne, quod manifestatur, lumen est.* Sed peccatum, quod est tenebra, per certitudinem sciri potest ab eo, qui habet peccatum. Ergo pari ratione, qui gratiam accipit à Deo, scit, se gratiam habere.

Præterea Apostolus dicit I. ad Corinth. 2. nos *autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui est à Deo, ut sciamus quæ à Deo donata sint nobis.* Sed gratia est primum donum Dei, ergo &c. atque ut vides, hæc eram olim Theologia scholasticè ex scripturis Dei hausta, deductaque scientia.

Sed contra est, inquit Doctor, quod dicitur Ecclesi. 9. quod nemo scit, utrum sit dignus amore, vel odio. Sed gratia gratum faciens facit hominem dignum amore Dei, ergo nullus scire potest, utrum habeat gratiam gratum facientem.

Jam doctrina Doctoris omnibus Dei scripturis; concordans arrectis plane auribus excipienda est. Dicendum ait, quod tripliciter res aliqua cognosci potest, uno modo per revelationem; & hoc modo potest aliquis scire se habere gratiam; revelat enim hoc Deus aliquando aliquibus ex speciali privilegio, &c alio modo hom ı cognoscit aliquid per se ipsum, & hoc certitudinaliter; & sic nullus potest scire, se habere gratiam. Certitudo enim non potest haberi da aliquo, nisi possit dijudicari per proprium principium, si enim certitudo habetur de conclusionibus demonstrativis per indemonstrabilia universalia principia. Principium, autem gratiæ, & objectum ejus est Deus; qui propter suam excellentiam est nobis ignotus, &c. quæ probat & firmat ex Jobi 2. & 36. & denuo totam hanc partem ex Apostolo statuit ex I. ad Corinth. 4. *sed neque me ipsum judico &c. qui autem judicat me Dominus est?*

Tertio, modo cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua signa, & hoc modo potest aliquis cognoscere, se habere gratiam, in quantum scilicet (adverte) percipit, se delectari in Deo, & contemnere res mundanas; & in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis. Secundum quem modum, potest intelligi, quod habetur Apocalip. I. *vincenti dabo Manna absconditum, quem nemo novit, nisi qui accipit.* Ista tamen cognitio imperfecta est, unde Apost. dicit primo ad Corinth. 4. *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum:* nam ut scriptum est Psalm. 18. *delicta quis intelligit.* Ecce tibi rursus obiter, Lector, ad quid ratio, & ingenium servire debeant in Theologia scholastica, ut omni subjectione inserviant sermonibus Dei.

§. II.

Brevis comprobatio Doctrinæ Doctoris.

HIc plane articulus terrere quemque potest, & cogere, ut serio de statu suo excogitet. Ecce enim quot, & quanta postulat, ut quis vel conjecturalem, vel probabilem, quam & secundum quid certam moraliter vocant, cognitionem assequatur status sui in gratia: nisi vero in hoc statu simus, cætera quantiscumque opinionibus unita flocci non sunt; nam damnabimur. Promptum porro esset, si instituti id nunc nostri foret, universam hanc S. Doctoris doctrinam, scripturis plurimis commonstrare; sed magnum nobis ubique est, eos Doctores sectari, quos ex Ecclesiæ Matris & Magistræ nostræ institutione Doctores vitæ habemus in terris.

Signa vero illa tria, quod quis percipiat, se delectari in Domino, ac proinde in rebus etiam suis; & quod res mundanas contemnat; & quod conscius sibi non sit peccati mortalis, non quali divisivè, & seorsim, sed collective, & conjunctim requirit : neque ex uno solo ulla etiam conjecturalis, & probabilis gratiæ probatio, cognitioque ducitur, patet ex textu allato Apostoli, ubi ex eo, quod nihil sibi conscius sit, non se putat justificatum ; licet autem in Apostolo diligentissimo ex adjunctis aliis propriis ejus ex non conscientia

recte cognitio illa hauriretur, non tamen in aliis negligentibus, & Apostolo dissimillimis. Rursus id patet ex toto libro 1. & doctrinis adductis pro peccatis ignorantiæ, & erroris; nec Pharisæus ille, qui gratias Deo agebat, sibi peccati mortalis conscius erat; nec Episcopus Laodiciæ, qui potius divitem se, & locupletatum existimabat. Patet rursus; quia proverbium verissimum Theologiæ est, Deum punire occultam superbiam per manifestam luxuriam & per alia peccata; & aliquando sane in salutem, ut in Davide, in Petro, & in aliis; quia per hæc alia peccata nota sese noverunt, & humiliarunt juxta illud: *bonum mihi quod humiliasti me.* Ergo habebant superbiam, sed sibi non notam. Ergo signum illud solum, quod quis sibi conscius non sit peccati mortalis, non probat. Patet denuo; quia solum per philosophiam, & philosophice res humanæ propter brevitatem suam vilitatem, & propter alia contemni possunt. Ergo hoc solum signum seorsim non sufficit. Ergo neque alia seorsim. Iterum quia si sanctissimus alioqui aliquis gravissimè tentatus in peccatum cadat, non continuo & momento nec desinet delectari in Deo, & si continuo à peccato resurgat: quia tamen conscius sibi est peccati mortalis, nullam cognitionem habet de gratia, sed de contrario: ergo signa hæc non seorsim, sed conjuncta requiruntur. Item si S. Thomas in ea quorundam objecta opinione fuisset, ut existimaret, ex non conscientia peccati mortalis in quolibet recte deduci eam imperfectam cognitionem status gratia absurde cætera illa signa addidisset, ut certe addere non solent illi, qui illud unum sufficere vel arbitrantur, vel in praxi servant. Item quia sectarii, qui per solam fidem, qua propter merita Christi sed justificari credunt, inquam, per spuriam hanc fidem suam, & errorem jam se justificatos arbitrantur, & non manent conscii peccati mortalis, sed magis decepti, & profundissimè seducti, & tamen manent in peccato. Præterea quia alioqui fere omnes sæpe saltem essent totaliter certi de sua justitia; quia totaliter certi sunt, sibi conscios non esse peccati mortalis.

Horum omnium probatio authentica est; quod qui Deum super omnia & proximum sicut se ipsum non diligit, manet in morte nisi Joannea aboleatur: qui porro sic diligit, profecto delectatur in Deo, & in rebus ejus; & res mundanas contemnit: nec conscientiam habet peccati mortalis; quæ probatio ex universa pæne scriptura constat; maximè vero ex Evangelio, & ex Epistolis Joannis, & Pauli: atque infra uberius de hac dilectione tractabitur; ac ea maximè loca, quæ pro errore suo vanaque certitudine congerunt, propositum nostrum evincunt, ut illud ad Romanos 8. *non enim accepistis &c. Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba. Pater; ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes*, &c. Hoc ergo testimonio, ac probatione, cui cuncta illa tria nexa sunt, innotescit, quod simus filii Dei. Ergo & quod simus in gratia.

Hinc consequentissimè idem S. Doctor in 4. dist. 3. quæst. art. 3. quatuor ad idem signa ex Bernardo postulavit; quæ quatuor in tribus jam positis clauduntur. Primò cum quis devote verba Dei audit, ex Joan. 8. *qui ex Deo est verba Dei audit.* Secundo cum quis se promptum ad bene operandum invenit; *nam probatio dilectionis exhibitio est operis*, ut dicit Gregori. III. cum quia à peccatis abstinendi in futurum propositum habet. Quarto cum de præteritis dolet: quia in his vera pænitentia consistit, ut dicit Gregor. hæc S. Thomas, & no alib. 2. cum Augustino eos non pænitentes, sed irrisores habuimus, qui vitam, in qua mortaliter peccare solent, non mutant, probanda igitur est dilectio, ut probetur justitia.

Ex his ut quis imperfecte cognoscat se esse in gratia, non sufficit, si virgo sit, aut raptor non sit: ac decimas etiam solvat, & jejunet, ut constat ex Evangelio, nec si servet præcepta negativa omnia. Unde quod quis conscius sibi non sit in similibus non sufficit, ut debitam sui status cognitionem habeat.

Hinc diminutæ admodum sunt, ac deficientissimæ regulæ & mensuræ, quibus quidam utuntur ad frequentes quotidianasque communiones concedendas, vel etiam imperandas; idque, quod fœdius est de jure divino esse, ac pecent Prælatoa, si prohibeant, & alia contra praxim Ecclesiæ, & sanctorum hominea alioquin parum docti obloquuntur de praxi, sensuque Ecclesiæ & Romanorum Pontificum & conciliorum constat ex pænitentiis olim in Ecclesia imponi solitis, & frequentissima erat privatio communionis brevior, vel diuturnior, vel usque ad mortem etiam pro qualitate peccatorum, cum ergo hoc tam notaria & publica sint quid talia affirmare non erubescunt?

Sed non de hoc nunc tractato, sed de defectu regulæ, quo conscientias vel suas vel pænitentium probant, & examinant, hoc scilicet unum examinando, & videndo an quippe conscii sint peccati mortalis, sed ostensum est, hoc solum signum sine cæteris illis nullum esse signum status gratiæ, qui ad communionem per se requiritur; nam est sacramentum vivorum, deinde quod toto hoc opere constitit, & hoc libro constabit, numerus peccatorum, ad paucissima solum corporalia, & sensibilia redactus est, & spiritualia quæ ex genere suo majora sunt, vix peccata esse censentur, probatio autem ex dicto Apostoli necessario instituti aliquando solet solum de corporalibus; & timeo ne pharisæo Evangelii virginibusque illis quinque allatis non solùm communio probaretur, sed quotidiana etiam injungeretur, si apud nos nunc eo pacto viverent. Ergo undique deficientissima est regula; nec solatium sæpè adest, tot communionum in humilitate, in patientia in modestia, mundique contemptui correspondente: & sæpe viri quotidie communicantes impensissime pecunias, honores, præfecturas, & quæcumque mundus magni facit, inquirunt; & quemadmodum olim plus minus gentiles Romani ista curabant; fæminæ vero profanissime vestiuntur, ac scotaturis meretriciis utuntur, ac usurarum mille modos, superbiam fastumque prætereaam: idcirco inter nos tot imbecilles, & dormiunt multi: quod si nos ipsos dijudicaremus &c.

Ob hæc & alia sapientissimus Doctor Thomas post illa quatuor signa apposita, continenter subdit: unde si aliquia per hujusmodi signa facta diligenti discussione suæ conscientiæ, & si forte non sufficienti, ad corpus Christi devote accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod

quod ejus cognitionem prætersugiat, non peccat; imo magis exui sacramenti remissionem peccati consequitur. Unde Augustinus dicit, quod quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos, & inferius dist. 3. art. 3. addit: unde & sacerdos Populum monet sursum habere cor. Sursum autem habere cor, ut ex Augustino infra dicetur, aliud non est, quam diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Nam tunc sursum in Deo est cor, quod verò S. Thomas dicit, facta diligenti discussione, & si forte non non sufficienti, non ita intelligendum est, ut quis debito suo defecerit, sed non sufficientem vocat ad inveniendum, & cognoscendum peccatum aliquod, quod reipsa inerat.

Opponens: ergo peccatores, cum primum convertuntur, ad communionem admittendi non sunt. Probas; quia tunc, & tam cito adesse non possunt illa tria signa status gratiæ posita in summa; vel illa quatuor ex sententiariis adducta, vel paulisper ad ea procedetur, aliqui forte respondeant, satius fore, si communio differatur, & majori conversione pænitens reddere jubeatur, sed præscindo modo ab hoc, & respondeo, justos omnes distingui in incipientes, proficientes, & perfectos: ad justitiam autem etiam in sacramento pænitentiæ consequendam requiri, ut nos eum aliis censemus, delectionem Dei inchoatam inceptam, & imperfectam. Quemadmodum autem est dilectio, ni sunt omnia illa signa vel incipientium, vel proficientium, vel perfectorum, & incipientes diligere incipiunt in Deo delectari, & mundum contemnere &c. & præterco necesse est, ut si quis incipiens, & ad pænitentiam accedens statuat, proponatque proficere, ut universim infra disputabamus de omnium obligatione ad studium perfectionis status. sui, ne vero imperitissimi quidam Recentiores nos carpant propter eam inceptæ, & imperfectæ dilectionis necessitatem ad sacramentum pænitentiæ, sciant, si tamen ipsis Romani Pontifices, quidpiam sunt, ab Alexandro VII. decreto edito 5 Maii 1667. fideles omnes etiam eminentissimos Cardinales prohibitos esse *alicujus censura Theologiæ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam*, sive eam dilectionem requirentem, sive non requirentem, *donec à sancta sede fuerit aliquid hac in re definitum*: & in terra hi Recentiores jactabant, rem esse definitam à Trid. & nunc ineptias illas proferent, vel decretum non esse à Senatu, approbatum: vel non esse satis promulgatum, quia ad ipsos cursores missi non sunt, ac similes stultitias, nisi peccata inexcusabilia essent, plane ridendas.

Ut porro in rerum multarum specimen videas, vel Patres etiam Doctores Ecclesiæ excutiisse, vel multos sacramentorum administros valde deficere, Magni Gregorii in homil. 24. Evangelii ea doctrina est, quæ habetur distinctione 6. de pæn. cap. 7. *Negotium quod ante conversionem repetere culpa non fuit, &c. sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi, vix aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem animus non recurrat.* Atque conversio ad justificationem, opinor, est, & interea quæ cura est hujus rei, non modo in vita, sed in ipso etiam mortis articulo vel relinquendi re ipsa similia negotia, vel eum saltem vitæ modum instituendi, ut ea licet peccati periculis impleta, sine peccatis tamen exerceant, & sic moraliter saltem relinquant.

Ex his duo accipimus; alterum est, plures sæpe Regnum cælorum nimis vane, ac sine fundamento promittere more pseudo Prophetarum prospera prædicentium, ut lib. 2. tractatum est: cum contra charitas omnis, & pietas, ac benignitas eo potiùs dirigat, ut proximos nostros ad veram conversionem, & pænitentiam adducamus, quod vero sine fundamento promittant, & sic crudeliter fallant, patet ex signis propositis à D. Thoma. Deinde qui justi sint, qui non sint; & qui salvandi, vel non salvandi, solum colligere possumus ex revelatis à Deo in sua scriptura: ergo qui non hinc divinationes suas sumerent, sed suo judicio, & spiritu bonas pollicitationes loquerentur, prorsus vanæ Prophetarent, & nunc quidem consolantes in futurum perderent, in scripturis porro Dei alia justorum, & justitiæ signa non suppetunt, nisi ea à D. Thoma proposita, & similia alia connexa, & convertibilia, quibus plenæ illæ sunt.

Alterum ad scopum hujus libri proprium est, ne Recentiores existiment, nos à Theologia aberrare, dum in sequentibus eos modos veritatem moralem inveniendi conferemus, qui vitam spiritualem agentium, & librorum spiritualium, & sanctorum Patrum proprii sint, non S. Thomas Theologiam, eamque scholasticam tradebat, dum ea signa conferebat, quibus imperfectè saltem cognosceretur, quis justus esset, vel non esset, sive monachus, sive etiam laicus, & quicumque quantuscumque. Signa porro duo priora erant delectari in Deo, & res mundanas contemnere: quæ certè via spirituali incedentium sint, quod si duritiem, & similia vulgata sua obloquantur, Salvianus in primis nuper respondebat, deinde Pollentius similia Augustino opponebat lib. 2. de adulterinis conjug. cap. 14. *in humanamque & feralem* legem Christi futuram esse, aiebat; *quam crudelitatem*, ait Augustinus, *volens exaggerare dixisti*, &c. Augustinus tamen immotus perstitit: & sæpe diximus, ipsos magis esse crudeles; quin etiam legem Dei eos reddere impossibilem, à principio operis lib. 1. quæst. 2. ostendimus: & rursùs dum eam ab invitis susceptam, nec nisi à convictis ferendam philosophantur, reddunt denuo impossibilem, ut infra ex Bernardo dicemus; & Salvianus aiebat: *totum durum est, quidquid imperatur invitis*, experientiaque testatur: unde si pii essent ad amorem magis legis inducere deberent; non ad litem, contentionem, aversionem, & uno verbo ad illud, probet, & *concludenter probet, si servari vult.* & Turcæ etiam concludenter probanti concedendum, consentiendumque esset. O Deus, in quo statu es, & lex tua sancta est, quam in medio cordis sui servi tui habuerunt, & hac Doctores tuos laude Ecclesia tua cumulat, quod fuerint legis tuæ amatores.

QUÆSTIO

QUÆSTIO II.

Ad quæ, & quanta ex toto opere teneatur quicumque vult in via opinionum persistere, & an supersit ei modus veritatem inveniendi?

CUm consilium nostrum sit ab hoc dissidentium opinionum incerto omnes salutis suæ studiosos abducere, juvabit ad hoc si breviter ex toto opere ostendamus, & colligamus, ad quæ & quanta reneatur, quicumque ab hoc incerto ad tutiorem aliam viam egredi de tractat.

§. I.

Nos haud promisimus, nec promisit Deus, via opinionum incedendo veritatem esse invenibilem: nec in hoc Recentioribus contradicimus.

DIxi libro 2. quæst. ult. sæpe contingere, ut nobis quidem vicissim videamur contradicere, quin tamen revera contradicamus; quia alii absolutè, & nullo posito statuunt; alii quibusdam positis, & ex suppositione: atque in præsentia videtur contingere inter Recontiores negantes, nos ad veritatem ipsam obligari, eamve esse invenibilem: & internos, qui ad veritatis ipsius directæ (hanc enim semper loquimur) legem omnes obligamus in gravibus omnibus graviter, & in levibus leviter. Nihil plane videtur contrarium magis, & repugnans, scilicet veritatem, id est, legem ipsam esse, & non esse invenibilem.

Cæterum explicato sensu illorum, & nostro, nihil videtur superesse dissensimus. Nam ipsi, opinor, negant, leges ipsas in se, & veritatem esse invenibilem via opinionum, & intra eam sistendo, & si contrarium factis suis ostendant, ut lib. præc. quæst. 2. demonstratum est. Nos porto non affirmamus, nec Deus promisit, se quærentibus ostensurum veritarem suam, & legem determinate hoc medio, & via opinionum incedendo, & intra eam sistendo, sed absolute, & nullo positо promisit, ut lib. præc. Visum est, nosque absolute, & nullo posito affirmamus, & hoc etiam sensu offerimus modos multos inveniendi veritatem moralem; unde quod via opinionum nullus modus superesset inveniendi, contra nos profecto non esset. Hactenus autem Recentiores, & dissidentium vicissim opinionum moralistæ non dixerunt, similes opiniones relinquendo, & viam aliam capessendo veritatem ipsam voluntatemque Dei, & legem inveniri non posse; nec sine illis verè justos, quales S. Thomas describebat, vinire posse: constatque, aliquos ipsarum etiam talium opinionum Authores longissime ab eis discedendo vitam duxisse.

Sed quam, inquis, voco viam opinionum? eam curabo describere multipliciter, & si liceret, libris etiam designatis manifestarem, primum itaque voco viam opinionum viam probabilium, quæ sinu suo eas omnes complectitur, & velut magna mater fovet, & tuetur. Deinde voco opinionum viam aliam, in qua de bono, & malo, de peccato, & non peccato pares cum paribus, ejusdemque plus minus ordinis, & nominis authores dissident, & affirmant, & negant: qualibus confertæ sunt, & plerumque constant libri pure moralistarum, & casuistarum; licet enim aliquandò in numero excodat altera pars, tamen solet excessus esse numeri non facientis majus; & hac ætate in hoc vincunt communiter laxiores quæquæ opiniones; quia multi eo consilio scribunt, ut peccara, ut aiunt, tollant, quod sibi visum est pietas. Hæc porro additio nihil significat, nec facit majus, nec inæquale ad rem. Qui vero sint Authores ejusdem plùs minùs ordinis, & anthoritatis, satis ex lib. 2. constat. Tortiò voco opinionum viam omnem eam morum doctrinam, cujus conclusiones authores sui raro, vel nunquam in doctrinam revelatam Dei & Ecclesiæ, & sanctorum resolvunt, neque instar sanctorum, & librorum spiritualium dicta sua Dei verbis statuerunt. Quarto opinionum viam eam voco, qua diligentes, ac noti servi Dei, nec ipsi quidem earum genitores vivere solent. Quinto voco opinionum viam illam, quæ magis abducit, à Deo & spiritualibus, quam inducit: Quæ sectarores suos mundo non extrahit; sed conciliat magis amicitiam hujus mundi cum amicitia Dei & justiria, atque hæ nunc descriptiones sufficere possunt, vel volentes nos intelligant; & aliæ ex toto opero sumi possunt, problemata item illa omnia, hoc durum, hoc blandum est; alioquin mulri damnarentur; possessio stat pro libertate; lex Dei satis promulgara non est, & similia ad viam opinionum reduco; & sæpe eversa sunt: quo circa hoc libro alia dabimus.

§. II.

Recentiorum argumenta quod modus non suppetat veritatem inveniendi, sive doctus, sive indoctus, solum probant de via opinionum, & in ea persistendo.

BRevissime ista percurram, quæ jam superius eversa sunt, & pro doctrinæ magis ordine hic memorantur. Primò exagerare solent opidanos, & montanorum incolas; quibus nullus modus superest veritatem, & legem ipsam quærendi, & inveniendi, nisi quærendo & consulendo parrochum suum, sed hoc medio veritatem, legemque ipsam invenire nequeunr; nam Parrochus in primis ipso eam ignorat. Ergo modus eis non superest veritarem, legesque ipsas inveniendi.

Secundo arguunt ex ignorantibus, & idintis etiam urbium, & Academiarum; quibus nullus modus, nulla via suppetit veriratem inveniendi; nisi confessores & alios vocatos Theologos consulendo, & rogando: at ex his veritatem assequi non possunt, quam quippe etiam ipsi ignorant, & inter se dissident, & utri recte sapiant, vel errent prorsùs nescitur. Ergo his quoque deest modus veritatem inveniendi, & confirmatur; nam de ignorantibus omnibus universim loquendo, illi inprimis eam quærere nequeunt res ipsas examinando: nam alioqui, ut alia mittam, deberent omnes fieri Theologi, non item aliis credendo, qui docti, doctoresve esse existimantur; nam hi dissentiunt, & alterutri ignorant, vel errant, & opinionibus contrariis scholæ, & libri pleni sunt: quibus autem præ aliis credere

debeant,

debeant, ignorantes discernere non possunt: præterquam quod inter hos etiam ipsos Doctores habitos, & confessarios multi inepti sunt, qui inter opiniones ipsas potuerint veras à falsis segregare. Ergo in doctis omnibus, & ignorantibus modus omnis deest veritatem quærendi, & inveniendi.

Tertiò, de doctis ipsis, seu Doctoratum profitentibus eodem modo arguitur. Ecce enim pares cum paribus dissident, & pugnant, non hic, aut ubi, & raro, sed fere semper: quæ propositio constat apertis libris moralibus; in quibus ad singulas pæne quæstiones allegantur pares, vel ferme pares qualitate; quippe de numero Gregoriorum aliorum jam paulò ante dictum est. Ergo facta reflexione, non est, unde alterutri præsumant, se invenisse veritatem. Deinde hoc singularum opinionum, & quæstionum judicium est negotium plurimorum annorum maximeque ingenii, & otii: ergo pauci, & vix in senio illud perficiunt: ergo neque ipsi antea, neque cæteri professores unquam veritatem invenient: ergo cæteri semper; & ipsis nisi post plurimos confectos annos, & labores modus non superest veritatem inveniendi; ergo neque obligario ex veritate vivendi. Rursùs quid si tanto hoc peractum examen obeant, & prius, ut alius dicebat Augustinus, finiant vitam, quam transeant de morte ad vitam, id est ad veritatem? denuo illud ingens impedimentum obstat, quod maximæ cujusdam cæcitatis instar videtur, quod cùm scholæ divisæ sint, & contrariæ, plerique alii quidem, quia juvenes sunt; alii quia tanto negotio impares, nequeunt ipso directo rerum, & quæstionum examine, & per viam Theologiæ dijudicare, & dignoscere, has, & has opiniones esse veras, & contrarias falsas, præsertim de universa rerum, & quæstionum multitudine loquendo: & interea uniquique assumunt ex schola sua aliquos præcipuos, hi quidem hos, & illi illos, quos in summo gradu collocant, & vix in praxi loco Apostolorum Petri & Pauli non habent: & sciunt utrivis, suos in contraria schola nec tanti, nec magni fieri: nec habent, unde tantos esse credant, nisi quia sui sunt, & contrarii sui non sunt; nam ut ponimus, rerum ipsarum examine dijudicare inter eos non sufficiunt. Hi ergo omnes dimoveri divellique ab his suis columnis non possunt, ex quo eis interclusa omnis via, & modus veritatem inveniendi videatur, & addunt: quod sui illi præcipui haud invenerunt, se invenire non posse: at non superest, cur illi magis quam sui contrarii adversæ scholæ inveniunt. Modus ergo deest veritatem inveniendi.

Et hæc ferme sunt argumenta, quæ populariter circumferunt. Enim vero indigna sunt, quæ à quoquomodo Theologis opponantur, & à schola Luciana, & academica mixtim sumuntur. Primo scilicet habent instantiam in terminis in hæreticis, Judæis, & Paganis, & in doctis, & ignorantibus eorum: Erroneum autem, ut minimum est, si dixerint, eos vel sine fide propria, & stricta Christi, vel extra Ecclesiam salvari. Secundo hæreticorum, & cæterorum eorum Magistri hæc ad verbum argumenta resumere possunt, ut suorum conscientias sedent. Tertiò habent instantiam in Judæis ante extinctam synagogam. Quæ omnia, & alia lib. 2. & alias ostensa sunt.

Quarto habent instantiam in terminis in sua probabilitate; nam nemo hactenus probabilistarum adeò desipuit; certe vidi graves non adeo desipuerunt, ut dicerent, quorumlibet parrochorum, confessorum, vel Theologorum dicta esse hoc ipso probabilia, sed probabilitatem suam variis, ut scitur, cautionibus circumscripserunt. Ergo nec probabilitatis inveniendæ modus superterit, quæ ergo erit ultima consecutio? certe illa, quam part. I. & etiam hac secunda lib. 1. ostendimus, omni homini hanc esse adæquatam vivendi regulam, & legem, scilicet existimationem suam sive probabilem, sive improbabilem, sive erroneam, aut hæreticam, aut diabolicam, quæ sequelæ ostensæ sunt, & strita cum sequentia ipsa.

Nunc ad argumenta brevissime respondeo: Ergo modus non superest veritatem moralem inveniendi via, opinionum, atque in eis sistendo, transeat consequens: ergo modus non superest ab his dissensionum, quasi fluctibus caput erigendo, & alio eundo; nego consequentiam, porro superesse alios modos & doctis, & in doctis, toto hoc libro constabit.

Itaque cum via opinionum sit via rationis, & ingenii, & raræ, aut nullius authoritatis probativæ, ut dictum est, longissimè absumus, ut in ea ostendamus modum inveniendi veritatem moralem, & sciendi; nam hæc via pure Philosophica est, & minime Theologica, nec sapientiæ Christianæ, ut lib. 2. fuse tractatum, & explicatum est. Sed ut ubique has veritates vero cuique Christiano per necessarias obiter saltem ingeramus, in breviario sic inquit Chrysostomus. Miratur primum, quod nonnulli vel numerum Epistolarum Pauli ignorent. Deindè: *neque enim nos, qua scimus. si quid scimus, ab ingenii bonitate, atque acumine scimus: sed quod erga hunc virum* (id est Paulum) *impense affecti ab illius lectione nunquam discedimus:* quod amantium esse probat, & experientia omnia comprobat, sed forsitam tibi surrepit cogitatio, qua clam, & in latibulo cordis existimes, vel te, vel hos alios, qui non lectione Apostolorum, sed via rationis veritates morales quæsierunt, præcellere Chrysostomo bonitate ingenii atque acumine, stultitia est, crede.

Resumir ibidem textum Evangelii, quo potissimum lib. præc. veritatem moralem invenibilem esse statuimus: & *verax est enim*, inquit *sermo Christi dicentis; Quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Mox ut recte quærant, conjugatis etiam & omnibus studium scripturarum suadet, vel quod ipsi adhibeant per se, vel quod aliis audiendis impendant, quantum pecuniæ ait *colligendis impertientes; nam etsi turpe sit non nisi tantum studii à vobis exigere optabile tamen erit, si tantum tribuatis.* Millies; itaque & centies millies damus Recentioribus, via opinionum incedendo atque in ea persistendo modum non superesse veritates morales plurimas, & magna saltem ex parte inveniendi. Atque hoc moltis aliis modis exponi distinguique potest. Negamus tamen toto corde modum non suppetere veritatem inveniendi.

§. III. Ad

§. III.

Ad quæ tamen, & quanta obligetur, qui in ea vult persistere.

Notavimus, obligationem in gravibus gravem, in levibus levem esse semper intelligendum. Primo igitur ex toto nostro opere qui in ea via vult persistere, tenetur numquam præter, aut contra suam opinionem eisdem servatis circunstantiis contra legem agere. Est enim omnis ratio, & opinio, & conscientia nostra regula secundaria, & subordinata legi directæ Dei, ac cum ea necessariò concordanda; & ab hoc velle præscindere, est nosmet Deos, ac supremas regulas somniare quod blasphemum est. Ergo reus est legis violatæ, qui contra eam operatur, vel opinando eam dari, vel nesciendo errorum detur: & sic semper tenetur ad partem tutiorem. Quod vero quidam dicunt, Deum nostrum omnes voluntates suas, & leges opinionibus nostris subjecisse, & derogare, si nos contra opinemur, est iterum nos Deos, supremasque regulas effingere, & est hominum non intelligentium de quibus loquuntur, & affirmant; & dictum est supra.

Hinc secundo in casu æqualium probabilitatum semper tenebitur ad partem tutiorem, item quoties opinio probabilior est pro lege, item quoties, & si contraria probabilior quoquomodo sit, non tamen adeo, ut ipse eam veram judicare possit, semper scilicet ratio primum, & deinde conscientia concordanda est cum ipsis directis legibus: sin minùs operabitur præter, aut contra suam supremam regulam, quæ sunt ipsæ illæ divinæ leges, & autem manifestè peccatum velle operari, & vivere contra, aut præter nostram supremam regulam, ut patet, & conscientia nostra est lex nostra, in quantum est applicativa ejus dictando, eam dari, vel non dari; & non aliter, ut sæpe multipliciter demonstratum est.

Tertiò plerique omnes in omnibus controversiis tenebuntur ad partem tutiorem, in qua nullum esse possit peccatum. Quoniam in talibus sunt opiniones contra opiniones; plerique autem omnes, ut §. præc. constat discernere inter eas non possunt; nec nisi temere aliis præ aliis Theologis credere; nec multitudo vulgarium ad rem facit, ut dictum est §. 1. Unde si omnes pensatis omnibus, hac via opinionum numquam habebunt, unde vere & coram Deo quiescere possint, & apud se statuere, hoc vel hoc non esse prohibitum: quamdiu ab hoc incerto egredientes non statuent, ex eis Doctoribus, librisque vivere, quos Ecclesia sancta Mater, & Magistra nostra non tulerat solum, sed probavit, etiam, nobisque sequendos proposuit. Hæc omnia dura esse acclamabant, sed sunt consequentia ad suam viam.

His factis, & servatis, vitabit quidem sectator via opinionum peccata scienter commissa, id est scienter non peccabit, verum à peccatis ignorantiæ, & erroris immunis non erit; hæc enim solum, & unicè vitantur vel ex ipsa veritate directa vivendo, vel eam prorsùs invincibiliter ignorando, ut patet ex lib. 1. & ex tabulis Theologiæ. At qui in via opinionum vult persistere, & ex ea solùm vivere, non invincibiliter, sed ultro, & valde voluntario veritatem ignorat; quam scilicet scire posset, si in ea via nollet persistere, sed vivere ex alia doctrina. Ergo ignorantiæ sibi suæ sunt voluntariæ: ergo peccata ignorantiæ vitare non potest in ea via persistendo.

Neque ab eis liberabitur semper etiam tutiorem partem sectando. Nam ut lib. 1. constitutum, & declaratum est, conscientia erronea vincibilis, & contraria legi Dei proponit tamquam partem tutiorem, quin etiam obligatoriam eam, quæ est contraria legi: & tamen de fide est, ut Recentiores etiam testantur, conscientiam erroneam vincibilem legi Dei contrariam non excusare à peccato. Ergo non superest, quo pacto sectator viæ opinionum vitet peccata ignorantiæ, & conscientiæ erroneæ. Sic Judæis conscientia sua proponebat internecionem Christianorum: sic Paganis sua: sic hæreticis sua dictat, Papam non esse caput visibile Ecclesiæ; imagine non esse adorandas; Eucharistiam esse conculcandam, & tamen peccant juxta has suas conscientias erroneas operando: & qui hoc negarent, à Theologia exulare deberent. Una ergo veritas, ut scriptum est nos liberare potest: & negative raræ aliquæ ignorantiæ invincibiles, quæ tamen locum non habent in eis, qui ubi oportet, & quantum oportet, veritatem non quærunt, & ultro relictis aliis viam opinionum capessunt, nec Theologiæ fontes locaque requirunt: sicut voluntario aquam turbidam biberet, qui cum posset fontem adire nollet: & sic in aliis.

Dices, has ipsis, de quibus loquimur opiniones examinari, discernique posse, quæ veræ, quæ falsæ sint fontes ipsos, ut modo loquebamur, locaque Theologiæ requirendo Ergo in ipsis etiam illis opinionibus veritas reperiri potest. Respondeo, in eis sistendo, nego; ab eis egrediendo, seu ipsas per superiorem aliam doctrinam censendo, & dijudicando, concedo. Nos porro locuti sumus de volente persistere intra ipsas opiniones, & earum viam, quia cum inter alias proprietates via opinionum, quam talem vocamus, eam habeat ut ratione, & ingenio, vel unice, vel potissimum agat, & quærat; & veritas Christiana hoc pacto inveniri nequeat, ut lib. 2. habitum est, profecto in ea via sistendo, & hærendo veritas nequit inveniri, vel utrum inventa sit, sciri.

Replicabis: via opinionum constat opinionibus contrariis, & contradictoriis: licet autem contrariæ ambæ possint esse falsæ, non tamen contradictoriæ: ergo qui has habent, ex veritate invenerunt: ergo ex eis vivendo, ex veritate vivent. Respondeo concedendo: pauciores tamen sunt, qui eas habent; & reliqui fideles non habent, cur eis magis credant, quam contradicentibus: neque hi ipsi contradicentes habent. Deinde iis ipsis veritatem habentibus plurimæ aliæ veritates morales desunt ad vitam Christianam, & justitiæ necessarias; quas via opinionum, & rationis assequi non possint, ut lib. 2. ostensum est, & in sequentibus etiam constabit. Postremo, & si veritates eas aliquas invenerint, & eas se habere existiment, ut existimant etiam omnes errantes, tamen si in se, suumque modum philosophandi reflectant, nihil magni momenti invenient, quo quiescant, & se, magis, quam contradictores veritatem invenisse secure credant, ut in tanto negotio oporteret: quæ magis sequenti quæstione exponentur.

QUÆST. III.

Egrediendum igitur est ab incerto opinionum, & certior alia via capessenda.

QUoniam modos inveniendi veritatem tradituri sumus longè à via opinionum positos, ipsa in primis illarum incertitudine, & præjudiciis ab eis divellere, & quasi ablactare cępimus, ad eos porro sermo noster est, qui vere salvari volunt; ac eos dimittimus, qui vellent, sed nolunt, seu ita salvari vellent, ut mundo simul & amicitia ejus, seu veriùs servitute fruerentur contra Dei constituta! atque his palam denuntiamus, nos nescire modum, quo ipsi vel veritatem invenire possint, vel salvari.

§. I.

Primo argumenta ex dictis.

VEl enim quis viam opinionum sequi instituit, aut eam juxta ipsius statuta sectando; vel in ea juxta doctrinam nostram se gerendo? sed neuter modus sufficit: non enim primò si vivere instituat juxta statuta ipsius viæ, probabilia quæque sectando, & aucupando, &c. ut opere nostro demonstratum est, non item in ea juxtà doctrinam nostram vivendo, tutiora sectando, &c. ut qu. præc. declaratum est, egrediendum igitur est ab hoc incerto, ac certior alius vitæ modus instituendus.

Præterea arguitur ex quæst. I. nam via opinionum sectatorem suum non deducit, ac provehit ad ea signa, quibus quis saltem imperfecte cognoscere possit, se esse in gratia & justum, ut scilicet in Deo, rebusque divinis delectetur, & mundanas contemnat; in quo uniuscujusque eam viam sectantis conscientiam testor, & promptum est relatia in specie opinionibus demonstrare; quæ magis eo diriguntur, ut ostendant, quo pacto sine peccato possint fideles divitiis, honoribusque cumulandis impense intendere; quomodo occidere, quin peccent; quomodo concubinam habere, quin peccent; lucrari ex mutuo, profane vestiri, non orare, concalia Dei negligere, quin peccent; & alia sine fine: quæ certè in ea signa neminem provehunt, sed avertunt magis, in mundoque, & rebus ejus immergunt. At omnis homo gravissimè obligatur vel esse in statu gratiæ, & justitiæ, ejusque signa aliqua, & pignora habere, vel saltem eum vitæ modum instituere, quo ad statim illum pervenire possit, & ad signa illius propria; ut paret ex præcepto spei, ex debito providendi propriæ saluti, & aliis. Ergo omnis homo tenetur à via, & incerto opinionum egredi, & alium vitæ modum instituere. Neque de his non recogitare est excusatio; sed cæcitas voluntaria.

Rursùs probatur; Quia cum lex Dei & Evangelii non sit solum declinandi à malo sed etiam faciendi bonum, nec via justorum sit solùm non vitiorum, sed etiam virtutum, tamen videtur, quod via opinionum eo tota vel fere tota incumbat, ista malo avertat peccata tollendo, ad bona autem, & virtutes parùm obligat, & obstringat. Hæc porro via præterquam quod ad justitiam deficientissima, est præterea servatu impossibilis saltem diu. Hoc ostendi part. lib.1. qu.2. & alias: sed aliam probationem nolo nisi experientiam ipsorum, qui hanc viam negativam servandam assumpserunt, id est crucem sine Christo præcepta, & litteram sine spiritu, id est, sine lectione, oratione, sine dilectione, quæ vivificat; littera autem occidit. Ergo tenemur hanc viam relinquere.

Præterea hoc idem probatur argumento quo scotus in 4. dist.18. q. unica §. *sed neque istud* visus est pro præcepto, & obligatione confessionis probanda. Tunc, inquit, hanc majorem accipio: ubi est via facilior, id est, magis in potestate hominis, & certior ad gratiam recuperandam tenetur quilibet ad eam viam: ita quod non, omissa illa, attentet aliam difficiliorem & incertiorem, & quia tunc exponeret se periculo salutis suæ, & videretur esse contemptor propriæ salutis, sed illa via suscipiendi sacramentum pænitentiæ (ponamus nos) sed illa via egrediens ab incerto, & dissidio opinionum est magis possibilis homini, & certior ad gratiam recuperandam (vel pone ad non amittendam) ergo &c. quod argumentum hoc saltem ait concludere, quod præceptum de confessione facienda est valde rationabile pro multitudine; quia & si aliqua persona possit habere aliquod remedium speciale, tamen de isto remedio, quod communitati est possibilius & certius, rationabiliter datur præceptum etiam omnibus in communitate, in dictum est supra de Baptismo dist 4.q.6.

Hæc scotus; quæ eadem vi probant, viam opinionum dissidentium & inter se confusarum esse relinquendam; & ad hoc esse obligatum quemlibet hominem ex obligatione qua tenetur vel gratiam non amittere, vel amissam recuperare, propriæque saluti providere, nec tam contemnere. Dato deinde ut dabat scotus, quod pauci aliqui scientissimi via opinionum scirent re ipsa legem Dei agnoscere, & servare, velficto, quod via ea negativa declinandi à malo sufficeret, possentque pauci aliqui in ea se fortiter continere diu, quin ad certissima peccata prolaberentur; quod est moraliter saltem impossibile, & experientia omnis confirmat; nihilominus rationabile est præceptum omnibus in commune positum relinquendi eam viam, ut scotus de confessione disserebat; quia multitudini est impossibile ea via legem Dei magis, quam non legem agnoscere: & rursùs est impossibile in ea via purè negativa se diu continere.

Ludum porrò illum reflexarum, quo de incertis certa faciunt, & incerta convertunt in certa, id est, domum super Arenam fundatam firmam se suis magnis Ingeniis, redder emoliuntur, sæpè attrivimus: & est hominum non pluris ducentium servare legem Dei, quam non servare; aut vivere juxta legem Dei, vel contra patet; nam reflexis assumuntur, & probantur, vivendum omnes in confuso opiniones probabiles veræ, & falsæ; nec pluris ducunt ex aliis præ aliis vivere. Sed juxta veras vivendo servatur lex ipsa Dei, & vivitur juxta legem Dei: falsas autem sectando non servatur lex ipsa Dei, nec juxta eam, sed contra eam vivitur; alioquin falsæ non essent, ut paret omnibus micam intellectus habentibus. Ergo hi reflexistæ non pluris ducunt servare legem Dei, quam non servare, nec juxta eam quam contra vivere, & hi sunt Prophetæ in Israel, ac medici animarum.

Ubi rursùs ipsi communiter aiunt, quoties præjudicium proximi imminet vel in salute, vel honore, vel pecunia inter æquales opiniones illam sub peccato esse sectandam, quo id præjudicii vitetur, & à fortiori non licere sequi minùs probabilem, unde illud infertur. Quo iterum palmariter ostendunt, quo ipsis loco sit facere voluntatem

Dei. & custodire judicia ejus: nam violationem eodem prorsùs modo voluntarium legis Magni D. dicunt, esse peccatum si proximo præjudicet; non esse si non præjudicet: ergo ipsis impressio est salus, honor, & pecunia proximi: non ita lex Dei, violationem porrò esse eodem modo voluntariam, patet demonstrative: nam eodem modo præcognitum, & volitum, eodem modo est voluntarium, nisi Theologia omnis crepet: sed violatio legis Dei eodem modo est præcognita, & volita in utroque casu, sive præjudicet proximo, sive non, ut patet, ergo violatio legis eodem modo in utroque casu est voluntaria. Jam Magni animarum rectores distinguite, & dicite; violationem voluntariam legis Dei citrà salutis, pecuniæ, & similium præjudicium non esse peccatum: esse vero, ubi salus, pecuniave intereft. Eccur autem ita? alio hoc resolvi ... quis, nisi quod lex Dei ipsa per se nihil est: salus porrò, & pecunia magnæ res sunt infero: ergo tenemur relinquere hanc viam probo; quia tenemur relinquere tales Doctores.

Accedit authoritas alia, & ratio ejusdem Scoti in prolog. sent qu. 2 fines & si objicias, inquit, multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & expositorum (ecce vobis probabilia vestra.) Respondeo, ait non est dubia via salutis simpliciter; quia à talibus tamquam periculosis debet homo sibi cavere, & custodire se, nedum se exponit periculo incidat in peccatum, quod si noluerit quærere salutem, sed non curando se exponat periculo, ubi forte de genere actus non est peccatum mortale tamen peccabit mortaliter se tali periculo exponendo. Hæc Scotus. Quidquid porrò via opinionum clauditur intra eam sistendo, hujusmodi est saltem multitudini, nam est dissensio quædam perpetua affirmantium, & negantium peccatum: & suppositis omnibus doctrinis Doctorum hoc solum invenire possunt in manibus suis; nesciunt scilicet, utri veri sint, & depositis suitatibus plerique coram Deo scire non possunt utrum Navarrus, aut Suarez, aut Cajetanus, Vazquez, Victoria, Corduba, Sotus, vel Emmanuel sit verus, & plerique omnes ad pactum non deducerent centum scuta nec decem pro veritate horum præ illis cum ipsi per se se dignoscere nequeant; nec habeant, cur aliis præ aliis credendum sit. Ergo nisi scuta centum, vel decem pluris sint, quam salus animarum nostrarum, tenetur homo sub mortali cavere sibi à talibus, nisi alio eundo, & sic intra viam ipsam opinionum non sistendo, certius invenerit, hos præ illis verum dixisse, inquam, alio eundo vel materialiter, vel formaliter, id est vel alios libros, quibus credendum sit, requirendo, vel in his ipsis, quos memoravi, Doctoribus videndo, alterum proprio Marte, & ingenio statuere; alterum scripturis Dei, & sanctorum probare, quod ponit: & huic, haud dubie standum est; & tunc non Cordubæ præ Soto, aut viceversa credo, ad quod nullum est fundamentum; sed credo Cordubæ verbi gratia cum Paulo, Augustino & similibus, quos adhuc est, & quibus standum est, hoc idem subtilis Doctoris præceptum commendavit religiosis maxime ejusdem ordinis per Hispaniam pietatis laude insignis Maria de Jesu; & speraveram sanè, notatorem operis promoturum doctrinam præceptoris sed Glossa fuit, licere usum opinionis minùs probabilis. Notatorem haud loquor Reverendissimum P. Samaniego ordinis in Hispania commissarium generalem à me maxime habitum, & hoc liceat dicere, collegam.

Accedat postremo hoc §. authoritas, & ratio Augustini scoticæ consona lib. de fide & oper. cap. 13. ubi de Matrimonio fidelium cum infidelibus, & similibus quæstionibus moralibus disserens, ait: *talem quippe in quibusdam negligentiam; in aliis imperitiam in aliis ignorantiam probabiliter Dominus somni nomine significare intelligitur: ubi ait, cum autem dormirent homines* (agri quippe custodes) *venit inimicus, ut super seminaret Zizania.* Subdit de similibus non inveniri expressas leges & concludit: *quæ autem dubia omnino cavendum est, ne fiant tales conjunctiones, quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?* Jam autem, ne pueriliter evadant, ostensum est part. 1. opiniones contra opiniones, & authoritates, & rationes, & jura contrarii rem facere propriè dubiam; & dubium negativum non esse dubium.

Confirmatur quia in humanis omnibus rebus ita faciunt homines, nec vel in prælio quidem, nec in ipso etiam incertissimo ludo, nisi vel spes major adsit vincendi, vel necessitas vel bonum majus recompensans, vel delectatio unquam incerta opinionum contrariarum, inter quas dijudicare non possint, committunt res suas, quas diligunt, pecuniam honorem, salutem, matrimonia, sed incertitudinem, & periculum aufugiunt, & contrarium imprudens habent, sed pro salute nostra plus tenemur, & obligamur. Ergo tenemur incerto tot dissidentium opinionum, quibus plenus est mundus, & vel ipse ferme mundus inuserit, salutem nostram non committere. Expendit sapienter, & Christianè Franciscus Arias, quantis contrariis opinionibus esset mundus implexus, implicatus, & involutus ante adventum salvatoris; & quanto erga mortales beneficio has tenebras sua certissima doctrina fugaverit. Num ergo Christianis iterum ad tot opinionum dissidia, & incerta redeundum fuerat? haud planè mirum, si omisso, quin etiam ignorato libro salvatoris, aliunde de moribus, & de bono, & malo Philosophari cæperunt. Nihil scilicet plus sumus philosophis illis, nisi utamur gratia & beneficiis salvatoris.

§. II.

Item egrediendum est à via opinionum, & certior alia via capessenda propter pericula multarum consequentiarum.

Nihil est in usitato modo philosophandi opinionibus fæcundius & aliæ alias sine fine, parturiunt; cumque illis effectum sit ut pecunia bonorum etiam philosophorum judicio res sterilis, & infæcunda, rerum omnium præ agris, vitibusque fertilis, fæcundaq; inter ipsos etiam Christianos reddita fuerit, haud mirum, si opiniones etiam ipsæ, quæ parere docent, parturiant.

Ob hoc ergo relinquendæ sunt, quod ipsis admitti cæptis non est, ubi tuto pes figatur, sed de opinione in opinionem sine fine iter, primo probatur ex facto; quia hoc modo res moralis in immensum aucta est arguendo de opinione in opinionem; & nisi concludens solutio afferatur, jam opinio illata, & denuo genita probabilis reputatur & ad familiam adscicitur, at sæpe concludens solutio non occurrit: & licet contra omnem Logicam, & lumen naturæ sit, respondentem cogere ad evidentias, quibus consequentiam, & sequelam restinguat, & probanti potiùs, & actori

[illegible]

incumbat onus probandi, & ipse teneatur consequentiæ bonitatem ostendere; tamen in foro & tribunali opinionum omnia inversa sunt, & ponens, & respondens, & quasi reus cenetur probare sequelam alterius opinionis non esse bonam, idque certo, & concludenter; sin minùs illata illa opinio, & proles probabilibus mox annumeratur, & doctrinis salutis adscribitur. Deinde quamquam evidentissimam solutionem habeas, plerique eam non capiunt ob hebetudinem, vel quia nullum modum sciendi, & regulam servant, nec Doctoribus scientificis, sed solutis quæstionibus, & casibus assueti sunt, vel quia eo consilio eunt, ut peccata collant, unde moraliter impossibile est, ut evidentissimis etiam solucionibus omnes prorsùs acquiescant; maximè vero arguentes ipsi, & sui quod experientia demonstrat. Si verò unus, vel duo recalcitrent; quo jure opinio Mater, & prima censebatur probabilis, quia ab uno, vel duobus posita fuit, eodem planè secunda opinio, & hinc mox alia. & alia doctrinis salutaribus adjungitur. Ex quo factum est, ut una sola opinio, aliquando vera, sed non debitis principiis statuta; & aliquando, & sæpius falsa plusquam centum opiniones filias pepererit, & pariat in dies sine fine, evolverem moralem, & consenties, & modicus initio discussus factus est decies centena millia major. Quæ ex genere ipso suo absurda, & spuria sunt; & à regula vivendi Christianorum aliena est ista vicissitudo, & varietas.

Sic Moralismus crevit per sequelas. Alia, magna obstetrix, quæ steriles ipsas opiniones facit parere, sunt paritates; quod satis vel ex uno Caramuele addis paritates provocante notorium est: & à quolibet in quodlibet arguitur, & de genere in genus, ex juramento ad votum; ex parvitate tanta in tantam; ex parvitate in hac materia ad aliam; ex vita ad honorem; ex honore ad pecuniam; & sic defensionis nomine multa homicidia, furta; fornicationes, modo mulier mere passive se habeat, & similia horrenda probata sunt; quorum aliqua magis in specie infra memorabo, ut ostendam, hoc genus opinionum nec à doctrina Dei, nec sanctorum originem trahere, sed aliunde obrepsisse, nec per ostium intrasse earum Doctores. Hujusmodi ergo incrementis constat maximè via opinionis, nec in tanta omnium confusione scire multitudo potest, nec scientissimi etiam possunt, ubi pedem figant, & quæ, & quatenus concedant; & quæ, & quando negent: cumque sæpe opiniones, qua pro antecedentibus assumuntur, falsæ sint, & negandæ: ex quo tamen veritatis cura omnis à re morali relegata est, & probabilitas regnum tenet, antecedentia admittuntur, & falsis falsa assuendo incrementa fiunt. Sed & quando veræ opiniones assumuntur, cum his, & illis disparitas nulla occurrit propter imperitiam, vel propter hebetudinem, vel propter rei ipsius difficultatem, jam arguens obtinuisse sibi videtur, & nova alia opinio probabilis ponitur, & mox alia, & alia sine fine. Hæc autem licet in quacumque facultate contingere possint, multo tamen facilius in re morali: quam scilicet quilibec tractare ausi sunt etiam illi, qui commentarios in Aristotelem edere erubuissent: quin confessores etiam quique resolvunt & definiunt. His de causis hæc facultas infinita quædam illegitima prole aucta est: ex quo planè nescias, quid probandum sit, vel respuendum: & ubi toc consequentibus occurrere nequis, consultius est antecedentia ipsa negare, vel dimittere, & alio ire juxta illud Augustini *tene certum, & dimitte incertum*; ipsaque infinitudo consequenciarum reddit antecedentia incerta, & suspecta.

Hoc pacto ut aliquid in specie significemus, quia principio Theologiæ à D. Thoma, & aliis magnis veris admissum fuit, in mutuo aliquid ultra sortem accipi posse propter damnum emergens, ex damno ad lucrum cessans itum est: & sic jam plus minùs sunt mutua plurimorum Christianorum, sicut Judæorum: & opinionum acumini factum est, ut utrique quidem idem agant, & alteri usarii sint alteri non sint. Sic etiam formalissime S. Thomas docuit, non esse peccatum, si quis se defendendo alium occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Unde plurimi pinguiores non intelligentes, quid inter sic inter hos terminos, se defendendo occidere, & occidendo se defendere pravas opiniones induxerunt, & docuerunt, si quis timet ab alio se occidendum, posse eum præoccupare, aggredi, & occidere: quin fore consultius, si scopleto, aut alio modo, quem proditorium jura omnia censent, rem exequatur: quia sic non se exponit mortis periculo, atque hoc ad imminentem infamiam vel suàm, vel suæ communitatis extenderunt, &c. Ex quo venena, & crudelia quæque liceant: duella probentur, & eum qui te percussit, insequi, & repercuttere possis, & tot alia.

Inde quia non pluris est castitas, quam justitia, non desunt, qui per consequentiam admiserint, licere semen corruptum ejicere: item fæminas ad vitandam mortem posse, se mere passive habere, etiam cum periculo consensus: & quia honorem passim vitæ conferunt, ac etiam præferunt, idem ad vitandam infamiam concedendum erit nisi antecedentia restringuantur: quare viris satis erit si minentur, se infamaturos: & rursùs quia plus est homo in actu, quam in potentia, & in semine, causæ homicidia excusantes, id quoque excusabunt: & utinam clam, & in occulto consequentiæ hujusmodi non admittantur, omitto, rerum fædarum, & Christianarum aurium offensivarum seriem retexere: & hæc sola insinuata facies fædissima rerum satis, superque est, ut verus quisque Christianus longissimè fugiat ab hoc baratro, & animam suam, & salutem alio dirigat.

Dedi lib 2. insigne Augustini documentum ex lib. contra mendac. cap. 18. & hoc loco partem resumam. *huc accedit, ubi miserabilius ejulandum est, at, quod si concesserimus pro salute illius ægri de vita filii ejus esse mentiendum, ita paulatim minutatimque succrescit hoc malum, & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum sensim subintrando perducitur, ut numquam possit penitus inveniri, ubi tanta pestis per minima additamenta in immensum convalescentia possit obsisti. Unde providentissimè scriptum est, qui modica spernit, paulatim decidit, quid quod vita hujus tales amatores, &c.* Hoc, quod Magnus Augustinus in mendaciis, timuir, & cavit, non nisi exacta quædam descriptio est viæ opinionum: iisq; ipsis gradibus, & additamentis minimis illæ in immensum convaluerunt.

Sed objicient nobis hic, & ubique quod Pollentius lib. 2. de adulterinis conjug. cap 10. Augustino opponebat. Agebatur utrum viro qui propter adulterium & causa fornicationis uxorem dimisisset, liceret aliam ducere? & ratio dubia non exigua erat textus Evangelii Matth. 5. de quo acris est disputatio Catherino cum Cajetano.

Augustinus tenebat oon licere. Pollentius terrendum Augustinum existimavit, hac Recentioribus adeo trita objectione. *Sed Respondes mihi* (inquit Augustinus) continenter vivere paucorum est; & Deo qui fornicentes conjuges dimiserunt; quoniam non possunt reconciliari, (est quippe rea ardua viros præsertim uxoribus adulteris reconciliari) *tantum se vident periclitari; ut legem Christi non humanam, sed feralem pronuntient.* & cap 14. *non mihi videri amantissime Pater.* (opponit Pollentius) *hic divinus esse sensus, ubi Pietas, & benignitas excluditur.*

Num vero his morus fuit Augustinus, ut laxaret? Respondet: *O frater, quantum ad incontinentes attinet, multas querelas habere possunt, quibus, ut dicis, legem exempti feralem pronuncient non humanam, & tamen non propter illos Evangelium Christi pervertere, vel mutare debemus, eo quippe sola eorum querela per movet, qui conjuges causa fornicationis antecedente dimittunt, itaque si dimissa adultera, non ducatur alia, justam querelam, sicut putas, habebit hominum incontinentia, sed attende quam plura sint, &c, quid si enim aliquo diuturno, & insanabili morbo corporis teneatur conjux, quo concubitus impediatur? quid si captivitas, vel vis alia separet? &c. nonne lex Christi displicet incontinentibus, qui uxores litigiosas, injuriosas, imperiosas, fastidiosas, &c. & interposito repudio abjicere vellet, & alias duceret?* hæc Augustinus, quæ Apostatæ filii Lutheri, & sequacium hac in materia sectam etterunt.

Nunc ad nos si via opinionum dimittatur homines vivere non poterunt, & duram, ac feralem dicent, non humanam legem Christi; hoc scilicet movere passim Recentiores solent, distinguimus ergo sic: homines vivere non poterunt, & durem, ac feralem dicent, &c. homines amatores mundi, incontinentes, averi, superbi, &c. Concedo: homines qui primum quærunt Regnum Dei, & Justitiam ejus, nego. brevius: amatores mundi, concedo; amatores Dei, & Legis ejus, nego, videant, utri sint judices meliores boni, & mali: rursùs ubique Augustinianæ mentis altitudo notanda est, atque ex uno concesso procul videt, quanta sequantur, ut in discursu ejus conspicitur, idcirco antecedentia restrinxit, & radicem effodere, & extirpere semper compendium exstinguit. Ergo via opinionum saltem propter suas sequelas relinquenda est: & quemadmodum latens malitia superbiæ per manifestem luxuriam detegitur & manifestatur; sic pericula viæ opinionum per ipsa incrementa sue, & consequentias, & filias. Præterea hic tetrum illud, & perniciosum, quod loco satis præcipuo inter juvenes Recentior quidam nuper, vel credidit, vel dixit, scilicet posse quem nova peccate confiteri tamquam antiqua, & jam antea clevibus, & confessioni subjecta: quod unum ad evertendam sufficit juventutem, & utinem non etiam everterit plures, atque hoc, ut ait ille, Senatus videt, Consul intelligit; nec movetur, sin verò juvenes doceamus nos ista morum præcepta, quasia, lector, vides, quæ certè ad virtutem ducunt, crimen est atque &c. quæ sane rerum series solatio nobis, est, non mæreri: nem causam justitiæ manifestant, in quo plurimum juvit illustrissimus Ceremuel, deprehensa, & ob oculos ipsos posita sunt.

Atque hæc quæ dixi, de via opinionum, non esse, ubi persigatur, in authoribus, & Doctoribus, quorum fide, & dicto plerique vivunt, & resolvunt palmariter conspiciuntur, nullus in primis opinionum fautor, vel author hactenus desipuit, & dixit; *ex cujuslibet authoris, Theologi, confessarii vel dicto, & opinione vivere licet.* Sunt ergo alii authores, & homines, quorum opiniones valere debeant; alii, quorum dicta non sufficiant. Jam hos modo intelligibili designere non possunt fidelibus, & multitudini, qui per se discernere non velent, dicendo & includendo hunc & hunc, & hunc eos nominibus suis significando; & excludendo hunc, & hunc eodem modo. Nec est planè inter eos, in quo sisti possit, & uno concesso, concedendus est alter & moraliter, & sic usque ad infimos, ut re ipse praxis est. Nos vero Doctores nostros, quos sequendos proponimus propriis nominibus, & signis notis omnibus lib. c. designavimus, & inferius iterum faciemus. Loqui solent Authores graves & similia, per hæc tamen Populus nihil intelligit, & alii pinguiores; alii teniores; Concionatores alii intelligunt: & praxis, ut dixi, ad omnes ducta est, onde erguitur; omnis via ducens ad malum, & quo non oportet, fugienda est; sicut quæ ducit ad inconveniens; & quæ ducit in infinitum, sed via opinionum loquendo de Doctoribus ducit ad malum, & quo non oportet, & quo nolunt ipsi ejus vindices; nam ducit, ut vivetur ex opinione omnium & cuilibet, ergo vitanda est.

§. III.

Idem commonstratur argumentis probatis ab omnibus orthodoxis.

Mirè nos juvant causæ religionis ad causas morum, maximè in Ecclesia Dei, ubi fide sanctum est, solem fidem non sufficere ad salutem, sed requiri præterea bonos mores. Jam ergo argumentum ad præsens produco, quod orthodoxi omnes proberunt contra Mahometanos, & plures sectas præsentium hæreticorum, scilicet adversus omnes illos qui concedunt, nos in nostra religione, & fide salvari; quamquam sua, ut aiunt, præstancior sit: nos vero negamus, eos in sua salvari, aut ullibi salutem esse præter Ecclesiam nostram & fidem; licet & in hoc desipere quidam Recentiores cæperint. Arguunt itaque Catholici ex hac eorum confessione adversus ipsos; nam siquidem concedunt, se, & nos in nostra religione salvari; sit autem saltem quæstio, utrum in sua salventur, temeritas est, & contra debitum propriæ salutis procurenda est, eam religionem non capessere, in qua juxta nos simul, & ipsos salvari possunt.

Cujus celebratissimæ probationis vis tota ad has propositiones resolvitur, temeritas, & peccatum præcipitationis contra debitum salutis procurandæ est medium, quod extra quæstionem certum, & indubitatum est, dimittere; & aliud eligere, quod in quæstione saltem est. Hoc patet, quoties de salute corporis, vel vita agitur; vel de honore, vel de fundis &c. Ergo à fortiori ita est in summa rerum, & salutis, vel condemnationis æternæ, sed extra quæstionem certum est, omnes in religione nostra posse salvari; in quæstione vero saltem, utrum in alia salvari quisquam possit. Ergo temeritas & peccatum præcipitationis contra debitum procurandæ salutis est, nostram religionem dimittere, & aliam eligere, & tenere. Major probata est; majorem ii concedunt, quibus cum disputamus: consequentia vero sequitur: & tota hæc probatio ex dictis etiam roboratur: & summa probationis est, quod in summo negotio tenemur gra-

vissimè tenere certum, & dimittere incertum, ut ex Augustino ponebamus.

Ecce orthodoxis omnibus in causa religionis probatam rationem; quam si Recentiores aliter, & melius proponere, urgereque scient, rem nobis facient longè gratissimam. Subsumamus modo ad præsens sic, sed hæc ratio eodem modo, & termiois probat, dimittendam esse viam opinionum, & eligendam aliam, quæ juxta nos, & adversarios, & juxta omnes plane certa est; neque cum nos, & alii ad tutiorem partem obligamus, opinatores, & probabilistæ, negant, hanc viam esse certam; sed volunt solum, suam etiam esse tutam: ut in causa religionis affirmant aliarum religionum sectatores, nos autem, & quicumq; usum probabilium impugnarunt, incunctanter asserimus, viam opinionum non esse salutis. Ergo vel hæretici illi non tenentur suam religionem dimittere, & nostram assumere; vel opinatores, & probabilistæ tenentur viam suam relinquere, & nostram capessere, quod portò alia sit causa religionis, altera morum, nihil vim rationis variat: nam vis non eo resolvitur, quod causa sit hæc vel illa; sed quod in summa rerum temeraria præcipitatio sit contra debitum procurandæ salutis non dimittere incerta, & assumere certa: parumque, opinor, intererit, sive defectu fidei, sive morum damneris. Hæc tota probatio constat prærerea ex part. 1. toto lib. 4. brevissimè itaque: in causa religionis tenemur ad certa, dimissis incertis: ergo etiam in causa morum: incertitudo quippe periculum grave est: tenemur autem vitare periculum grave: ergo etiam incertitudinem, quod exemplis humanis declaratur.

Jam cùm hæc ita sint, nihil respondere in causa morum adversarii possunt; quod ad verbum reponere nequeant hæretici in causa religionis. Cantelinam in primis illam, quod in dubio possessio stat pro libertate à quocumque Lutherano eodem jure resumi poterit: & in moribus, & in religione hunc purum ludum vocum disiecimus eo lib. 4. deinde quod odia sint restringenda, & similia eodem pacto favent Lutherano, quod durum sit, & similia, urgentius Lutheranus objiciat contra cælibatum, contra vota religionis; contra præceptum confessionis, quam conscientiarum carnificinam vocabant; contra quadragesimam, & similia, ais: ipsi hæretici sunt; nos non sumus, verum ab argumento egrederis; non enim eo nunc argumento contra hæreticos agebamus, quod ipsorum religio hæretica sit, atque ideo relinquenda, sed eo alio argumento, in quo præscinditur, utrum hæretici sint, vel non sint; & ab incertitudine suarum religionum, & certitudine nostræ probamus, nostram esse capessendam. Ais rursùs, te minimè dubitare viam opinionum esse tutam, & securam. Sed vides, hoc ipsum reponendum à Luthero pro sua religione. Deinde quod nimis expertus affirmo, plures opinatores nihil dubitant; quia legere nolunt, nec legunt ut plurimis etiam hæreticis contingit, vel ergo celeberrima orthodoxorum ratio contemnenda est, vel omnes tenentur viam opinionum dimittere.

Hoc ferme in statu Romæ inter Philosophos erat immortalitas animæ, quam alii & alii affirmabant, & negabant, qui verò piorum hactenus dubitavit, consecutionem illam Clementis fuisse legitimam; in rebus dubiis præstat bene vivere? cum ergo nos de ipso hoc primo fundamento immortalitatis animæ, & insuper æterni cruciatus, vel gloriæ certissimi existimamus, à fortiori valebit consecutio, in rebus dubiis, & utrimque tanta contentione disputatis præstat tenere certa, & dimittere incerta.

Aliud insigne testimonium veritatis religionis Catholicæ illud est; quod nullus uspiam Catholicus in periculo mortis, ut obiret tutius, religionem nostram dimiserit, & Calvinianam, vel Lutheranam, vel aliam assumpserit: è contra verò aliqui in eo periculo Lutheranismo, aliisque sectis abjurarunt, & religionem nostram amplexati sunt: quod invictum testimonium veritatis est. Hoc idem in re nostra accidit: nullus uspiam ullibi terrarum, qui via opinionum non vixerit, sed ex libris aliis, in mortis periculo suam viam reliquit, & ut aliquando unum aliquem liceat nominare, Avilam pro Diana, Caramuele, vel Scobar commutavit: è contra vero multi viam opinionum, & laxitates, & formalitates satis sæpe pingues relinquunt, & ad certiora se convertunt, ut aliqua securitate obeant, ecce multi libri scripti sunt de arte bene moriendi, aliosque juvandi. Lector, Christiani sumus, & moriemur, nec Deum judicem fallere quid in his libris de via opinionum? num fidem, spem, charitatem, dolorem peccatorum quantis possumus viribus non ingerimus? num verba sancta Dei, & sanctorum & similia non ingeminamus? omitto prolixius an disserere, an lugere planè nescio. Ergo vel hoc unum insigne testimonium est veritatis nostræ, & insufficientiæ opinionum: & ex adversariis unus de suo, ignoro, an laudare, an vituperare vellet, dicebat tamen doctrinam meam esse bonam pro morte. Hoc idem cernitur, quoties aliquis ex peccatore vere convertitur, ac Deo servire impigre incipit, vitamque vere mutat. Nullus similiter ex libris aliis doctrinisque vivebat; & tunc illis relictis viam opinionum capessit, sed contra: sicut etiam in religione accidit, & ex Ecclesia ad alios abeunt, non ut mundo renuntient, sed ut uxores ducant, liberiusque vivant, ergo via opinionum undique deficiens, & suspecta est: ergo relinquenda. Nullus similiter, ut in prologo differebam, viam opinionum sectando ullam virtutis, pietatisque laudem adeptus est; & ferme stultitiæ instar foret, si quis de ejusdem modi aliquo beatificando causam introduceret. Dehiscit igitur, undique via ista.

Cogitaveram hoc loco, non uni vocationem quidem, sed Analogiam quandam percurrere præsentium sectarum cum via opinionum. Quemadmodum scilicet, fidei derogata regula, novam sibi quisque religionem finxit, & si Lutherus potuit, non erat, cur Zvinglius Calvinus, cæterique sine fine non possent; ita scripturarum, ac doctrinæ Patrum regula prætermissa, ut alii de suo opinari cæperunt, idem sequentes, & quilibet imitati sunt, & unusquisque novas opiniones, vivendique regulam invexit: Romanorum item Pontificum, & Bullarum, sicut sectæ omnem penitus authoritatem negarunt; sic opiniones, arbitrandiq; libertas maximè labefactarunt, ut tot experientiis quotidie cernimus; postremo, ut omittam alia, illud proprium præsentium sectarum fuit, quod exitum, finem, terminumve non haberent; & hoc apud suos intelligentiores in causa fuit, ut vilescere inciperent, Provinciæque non ut principio heresi ferveant, & deficiant, sed magis ad veritatem accedant, in via opinionum, ut superius

accedant, in via opinionum, ut superius arguebam, hoc idem accidit; non est exitus, non finis, neque terminus; & cum jam apud plurimos vilescere cæperint, forte quondam deficient; & ad sanctorum Patrum regulam revertetur.

Vere nos inopes copia ipsa facit, cujus non aptitudo, habilitasve nostra causa est, sed viæ illius inconvenientium multitudo, idcirco etiam prætereo appositum ad præsens Aristotelis præceptum 2. & hic lect. 11. apud D. Thomas, & videmut certe actum egisse: nam hoc toto opere principia, quod sciam omnia eversa sunt, quare ex toto opere constat, eam haud dubie esse relinquendam.

§. IV.

Num ergo, dum certum Tenendum statuimus, quæ de probabilitate tradidimus, retractamus?

INstitimus, tenenda esse certa, & dimittenda incerta, sed probabilitas illa antiqua, quam part. 1. exposuimus, & quæ plerumque, ac fere semper veritatem affert, & raro deficit, & fallit, non est certa; sed infra certum. Ergo contra quam part. 1. tradidimus, hæc etiam probabilitas relinquenda est. Similiter docuimus, conscientiam etiam ipsam sæpe esse solum probabilem explicata ea probabilitate; & tamen, si vera sit, & legi concordat, esse rectam; sin minùs, esse erroneam vincibilem, vel invincibilem: & omnino explosimus dictamina illa evidentia Modernorum quæ ad non peccandum requirunt: & nunc magis illa aversamur. Dices itaque: qui cum hac conscientia solum probabili operatur, non tenet certum, & dimittit incertum, sed contra; nam sequitur conscientiam probabilem; & hoc, in quis, non faceret in hora mortis, &c. ergo doctrina hujus quæstionis evertit doctrinam partis primæ.

Respondeo: vera veris concordant, nec retractamus, quæ de probabilitate, & de conscientia probabili tradidimus, scitur quippe ex 1. Ethic. indisciplinati hominis esse certum eodem modo in omnibus scientiis requirere; ideoque Aristoteles, ut præfatur, ex plerumque veris suam scientiam moralem contexuit. Hinc duas certitudines, aliam simpliciter, quæ numquam fallat; aliam quasi certitudinem, & secundum quid, quæ cum probabilitate nostra coincidit, petitiores distinxerunt; quique vulgaria, & incerta omninò probabilia impugnantes certitudinem postularunt, ut sapientissimus, Metcorus, & alii non aliam, quam illam quasi certitudinem intellexerunt; ac litteris ad me datis per benigne, jureque conquestus est, me secus eum intellexisse. Hanc porro probabilitatem, & quasi certitudinem constitui part. 1. esse regulam, sed cum onere bene vivendi, si quando falleret; cum de essentia hujus regulæ sit, raro saltem, ac in paucioribus fallere, & deficere.

Ex his plurima ad objectionem respondere distincte possumus. Primò nos cùm hac quæstione pro certo tenendo institimus, de hoc saltem quasi certo tenendo locutos esse; nec in humanis etiam charissimis aliam sæpe certitudinem habemus, ut de propriis parentibus, fratribus, amicis, de vita filiorum absentium; de negotio, de lucro, &c. & ut part. 1. declaravimus, rara pericula sunt pericula remota: ad quæ vitanda non obligamur, ut patet in periculo vitæ in navigatione, in cibis, an veneno infecti sint, &c. Sin vero indicium aliquod superesset, tenemur hærere, & bene videre, ut patet in his exemplis: ac in re nostra explicui superiùs verbi gratia, D. Thomam esse saltem regulam probabilem, & quasi certam conscientiæ: qui tamen, si ut censent plurimi, docuisset, Matrem Dei esse conceptam in peccato originali, propositionem in præsenti ejus sensu intelligendo, teneretur quis eam regulam relinquere; quamquam ego longe ab hoc absim, qui censeo, in alio prorsus sensu, tunc temporis satis proprio S. Doctorem esse locutum: & idem est in D. Augustino, Hieronymo, &c.

Hinc Secundò, Respondemus hanc viam quasi certitudinis non abhorrere à via justorum; nam scitur, & supra ex Bernardo explicuimus, viam justorum esse inter spem, & metum; inter securitatem, & timorem non solùm de futuris peccatis, sed etiam de præsenti statu, ut patet etiam ex quæstione prima Theologica ex D. Thoma. Si autem omnia essent incerta, & ad utrumlibet, ut est via opinionum, nec spei, nec securitati ulli locus superesset: si rursùs cuncta essent certa prorsùs, & evidentia, nullus locus relinqueretur timori, nullus, ferme humilitati saltem in hac parte, quæ plurimum humiliat; quod nescat certo servus etiam diligentissimus Dei utrum amore dignus sit. Unde dictamina illa evidentia Modernorum valde aliena sunt à via justorum, servorumque Dei, & Mundum vana confidentia implent, sunt deinde deficientissima; quia ex non remorsu conscientiæ inferunt similia dictamina, ut patet ex lib. 1. Et sic etiam inferre possunt de præsenti statu uniuscujusque in gratia: in quo superfluit omnis disputatio, & ad spiritum timentium Deum, servorumque ejus verorum appello.

Tertiò, Respondemus, nos probabilitati nostræ, & quasi certitudini onus adjunxisse circumspiciendi, an hic, vel ibi deficiat: in quo si faciat quis, quod suum est, & partes suas expleat, dominus diriget viam ejus, & custodiet diligentem se, ne erret, aut deficiat; neque hoc ex cerebro divinamus, sed ex Dei promissis constituimus lib. præc. neque tamen justus ipse totali certitudine certus erit vel status sui, vel singulorum actuum, quia formidabit, utrum partes suas expleat, Deoque inserviat, quantum tenetur. Prorsus enim cavendæ sunt evidentiæ, & certitudines Modernorum.

Neque in ipsa etiam hora mortis plus certitudinis requirere debet anima humilis, & devota, verbi gratia Viaticum corporis Domini susceptura est, velle non debet, quod nimius esset factus, evidentiam, & totalem certitudinem, quod digne manducet: sed satis est certitudo, & cognitio illa imperfecta, de qua quæst. 1. dictum est, & quam utinam haberemus, quando manducamus corpus Domini, & per eas saltem conjecturas sciremus, non nobis judicium manducare, beati Recentiores, qui infallibiliter, ac evidenter semper norunt, se non indigne manducare; quin actu honesto, & meritorio se manducare, quam scire vellent, quis sanctorum Dei ita de se existimaverit, aut præsumpserit.

Postremò missis aliis respondeo, aliud esse de via quasi universa disserere; aliud de singulis occur-

occurrentibus uniuscujusque viæ statuere v. g. Matriti, & quis Vallisoletum profecturus est: & dissensio est; an primò ponte Segoviensi iter capessendum sit, an etiam porta Toletana conveniunt, ponte segoviensi rectum esse iter; an vero etiam porta toletana recte eatur, contentio est & alii mordicus affirmant; alii affirmatissime negant. Dicimus stultitiam fore, ponte segoviensi iter non arripere, hoc tamen non tollit, quominùs in hac via juxta omnes recta deinde dubia occurrant, utrum ad dexteram, vel sinistram eundum sit, & aliquando uni viatori creditur, hujus generis fuit nostra disputatio, scilicet de universa quasi via, utrumquippe via opinionum sit eundum, an certior alia, in qua omnes conveniant, capessenda? & instituimus, hanc illa relicta esse instituendam. Hoc tamen non tollit quominùs in hac ipsa via deinde progressu alia dubia occurrant, de quibus totalis certitudo haberi nequeat; nec Deus voluit eam haberi sed timori, humilitati, orationi, qua remissionem peccatorum jugiter petamus, & similibus locum relinqui.

Quod ut exemplis pateat, nemo dubitat, si quia juxta Evangelium vitam instituat, eum viam capessere certam: tamen nec de statu suo, nec de singulis actibus totalem certitudinem habebit; nam & si nulla sit incertitudo, sed totalis certitudo in regula, tamen errare potuit in sensu, item in mala applicatione juxta scitam S. Thomæ de conscientia Theologiam, similitet est, si dicamus, juxta doctrinam sanctorum Patrum; juxta doctrinam librorum spiritualium esse vivendum. Certæ sane regulæ sunt, licet infra Evangelium: tamen in singularibus actibus contingentiæ occurrunt, propter quas integra certitudo haberi non possit. Ex quo denuo dicere absolute possumus fore in se certas, & salvandos re ipsa haud dubie, quotquot per eas impigre, veraciterque gradiuntur, ac perseveraverint; non tamen fore prorsùs certas quoad ipsos; ipsi namque, ut dictum est, semper habebunt, unde timeant judicium Dei.

Hinc probationes factæ instaurantur; nam si illi etiam, qui viam adeo certiorem gradiuntur, adeoque longe positam à via opinionum, adhuc offendunt, dubia, & incertitudinem aliquam; profectò nulla spes superesse posse videtur nullaque securitas etiam imperfecta viam opinionum tenentibus.

§. V.

Quid ergo, inquis, faciendum est de tot libris via opinionum docentibus?

QUid per viam opinionum intelligam, satis quæst. præc. § 1. significavi, ac ex ipso etiam prologo hujus partis constat, & multiplici alio modo exponi res potest. Inde autem constat similiter, qui sint libri via opinionum docentes: qui mea quidem sententia plurimi sunt, & deprehendi ab unoquoque facile possunt, si vult: contra nolentes autem disputandum non est, sed orandus Deus. Dicent igitur, & quærunt quid faciendum sit de his libris, an omittendi, & prætermittendi sint an tractandi, ac evoluendi, ut quæ recta sunt, accipiantur, cætera dimittantur. Quod si primum concesserimus, hoc summum inconveniens plurimi existimabunt. Sin vero id vitare voluerimus complura videbuntur obstare, significanda hoc loco fuit hæc objectio, ut ordo doctrinæ constaret; eam tamen tutius infra qu. 6. §. 8. expediemus, postquam tractatum fuerit de perpetuitate rectæ doctrinæ morum in Ecclesia Dei: inde enim, invictis, jactis principiis judicium tuto fiet de novis doctrinis.

QUÆSTIO IV.

Utrum ergo necesse sit, veritati Morali notas aliquas, signaque subesse, quibus præter examen opinionum dignoscatur.

SI quid ab incerto opinionum egrediendum præscripsimus; aliunde vero omnes ad veritatem ipsam obligamus, eamque inveniendi modos promittimus, videndum nunc est, utrum eo incerto opinionum, & earum examine prætermisso suppetere debeant notæ aliquæ, & signa, quibus veritas inter noscatur, & deprehendatur.

§. I.

Refricanda hic primum est fides de necessitate bonorum operum, & rectitudine, morum præter fidem ipsam.

HOc loco pridem vera fides impetita fuit, arrepta ex Epistolis Pauli præsertim ad Rom. occasione ubi adeo fidem deprædicat, ut tum alii, tum Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 14. testatum relinquit; atque de hoc intelligit vulgatam Petri authoritatem de Epistolis Pauli. In rebus tamen adeò apertis, notisque non puduit. Post sæcula sectarios eundem errorem suscitare: quem stuporem miraremur in dies magis, si nesciremus, quid est homo: nullus quippe Apostolorum clarius, sæpius, ex pressius Paulo necessitatem rectitudinis morum, & operum non legis, sed fidei per charitatem operantis præscripsit.

Stultissimo hoc in præsentia misso errore, necesse tamen est fidem de necessitate eorum operum, rectitudinisque morum refricare, quamquam enim orthodoxi omnes procul ab ea stultitia distent, in consideratio tamen aliqua quibusdam irrepsisse videtur, ut jam ab operis totius exordio quæst. 1. annotare cæpimus, qua ad unam fidei doctrinam intenti reliquam de rectitudine morum ac bonorum operum doctrinam non tanti faciant; & modo fides salva fit, reliqua putant arbitrio quasi suo, & discursui fuisse relicta; unde si quid severius ex Dei scripturis, sanctorumve in hac doctrina morum afferimus, vel objicimus, vix non commoventur, & irascuntur, & ad hæreticos solos cuncta detorquent: quasi vero Deus gloriosus unam fidem mysteriorum curaverit, ex aliqua de moribus neglexerit, quæ certè existimatio nimium in errorem illum declinat, revellendaque hic fuit.

Augustinus eo lib. cap. 3. alium ibi e rot m. dificiens, hanc etiam in consideratonem sic expungit: *quod si absurde dicitur: ergo fateantur, Apostolos doctrinam suam ex utroque perfectam suis Epistolis indidisse: sed propterea plerumque primi insinuasse fidem*

ac deinde, quod ad vitam bonam pertinet, ſubjeciſſe, quia & in homine ipſo, niſi præcedat fides, bona vita ſequi non poteſt, &c. & ſi in hoc arbitrari, & innovare Recentioribus quibuſdam placuerit; ſed ipſi peribunt; verbum aotem Domini manet in æternum; & paulò ante: *quaſi aliquas Apoſtolorum epiſtolas legant*, ad eos, qui baptizati ſunt, datas, ubi de ſola fide diſputaverunt, & aliàs ad Baptizatos, quibus præcepta de malis cavendis, boniſque inſtituendis moribus continentur, com igitur, eos ad Chtiſtianoa jam baptizatos ſcripſiſſe, conſtet, cur utroque ſermone contextæ ſunt, & eo ſcilicet, qui ad fidem, & eo, qui ad vitam bonam pertinet?

Quid ergo, bos Recentiores, vel loditis, vel neſcio quid facitis? & fidem, & fidem; hæreticos, & hæreticos loquimini, & quaſi cætera nihil eſſent, opinione, rationeque decernenda arbitramini? notorium itaque eſt, fidem, quatenus à doctrina morum diſtinguitur, & quaſi ſpecolativam ac myſteriorum non ſufficere, nororium item eſt, nec Prophetas, nec Evangelium, nec Apoſtolos eam fidem tradidiſſe. Notorium rursùs eſt, has maximè ſeripturæ partes eſſe confertas doctrina morum, conſequentia evidens eſt: ergo fide integre accepta, maxima quædam para doctrinæ morum eſt etiam doctrina fidei, item conſequentia evidens eſt: ergo fide integrè accepta, maxima quædam pars doctrinæ morum eſt etiam doctrina fidei, item conſeqoentia evidens eſt: etgo Dominus, ergo Apoſtoli non unam illam fidem myſteriorum, & ſpeculativam curarunt, ſed præterea de moribus plurima fide tenenda, & credenda tradiderunt: quæ ſi in praxi tenerentur, non tanta multitudine opinionum & quæſtionum opus eſſet, admitteretur in praxi hoc unum: *qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Admitteretut veraciter hoc unum: *qui vult venire poſt me ab neget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me:* Oto te, his aliiſque admiſſis, de quibus infra tractabo, quid plurimis opinionibus indigeremus? ſin verò fides integra non conſtet, ſalvi eſſe non poſſumus.

§. II.

Ergo ſicut veritati fidei myſteriorum, ſic veritati Morali inſunt notæ, & ſigna, quibus ab omnibus dignoſci, inveniri que poſſit.

DIxi cauſas religionis, de quibus aliàs egimus, mirè nos juvare ad has cauſas, & controverſiaa morum: & eodem nunc jure, & quo modo orthodoxi omnes tenent in eſſe veræ religioni, & Eccleſiæ notas, & ſigna, quibus ab omnibus cognoſci, invenirique poſſit, oſtendendum eſt, ſimiles aliqoas notas, ſignaque ſubeſſe veritati morali, qua morum honeſtas, rectitudoque conſter.

Quod primo oſtenditur ſic, ſicut Deus dedit fidem ſuam, & myſteria revelavit, ut ea crederent homines, Eccleſiamque ſuam fundavit, ut intra eam ſalvarentur (extra enim nulla eſt ſalus niſi ſomniata;) ſic idem hic legem Deus ſuam dedit, ut eam homines cuſtodirent, & juxta eam viverent. Ergo ſic fecit legem ſuam cognoſcibilem, & invenibilem ab hominibus, ſicut fidem ſuam, & Eccleſiam. At idem eſt Deum feciſſe cognoſcibilem, & invenibilem legem ſuam, atque feciſſe veritatem motalem agnoſcibilem, & invenibilem; ſicut idem eſt feciſſe fidem ſuam, & Eccleſiam cognoſcibilem & invenibilem; atque feciſſe cognoſcibilem, & invenibilem veritatom fidei; nam ut ſpe fidentiſſimè ſumimus, id eſt in intellectu verum, quod in rebus eſſe, ut ait S. Thomas; & verum dicimus, cum dicimus eſſe, quod eſt, nt inquit Auguſtinos, & eſt per ſe notum. Ergo ſic eſt cognoſcibilis, & invenibilis, veritas moralis; ſicut eſt cognoſcibilis, & invehibilis veritas fidei, & Eccleſiæ, id eſt, ipſa vera fides; & vera Eccleſia; & reflexæ ſolum veritates (dato, quod ſubſiſtere poſſent) utrobique eodem jure vanæ nugæ ſunt, & hactenus certe demonſtratum eſt lib. præc.

Nunc ad præſens ſubſumo, ſed veritatem & ſigna quibus citra rerum, & articulorum examen innoteſcat, & doprehendatur, atque ſubſumpta hæc minor orthodoxorum omnium eſt, & pleniſſime à nobis alibi ſtatuta. Ergo etiam veritas moralia habet ſuas notas & ſigna, quibus citra examen rerum, & opinionum innoteſcat, & deprehendatut, inveniaturquè. Conſequentia in genere conſtat; quia eædem prorsùs cauſæ ſunt, & probant, utrique veritati ineſſe notas illas, & ſigna.

Sed verò ne fidei & Doctrinæ Legentiom rem totam committam, breviter ſignificabo cauſas potiſſimas, quibus oſtenditur, veritati fidei, ſeu veræ fidei ineſſe notas illas, ut ſic palam videat quiſque eaſdem urgere cauſas in veritate morali: unà cauſa eſt, quam alibi ex Auguſtino urſimus, quod ſi per examen rerum, & articulorum de prædeſtinatione, de gratia, & libero arbitrio, de Purgatorio, de Papatu, de unitate Perſonæ Chriſti, de Dualitate naturarum, & operationum; de Trinitate Perſonarum in Deo, & unitate ſubſtantiæ, & naturæ, &c. ſi inquam per horum, & aliorum ſine ſine examen, & diſcuſſionem inveniri, innoteſcereque deberet veritas fidei, priùs quis, aiebat Auguſtious, *finiet vitam iſtam, quam tranſeat de morte ad vitam*, & de non fide ad fidem: & alter adoleſcena moritur, alter vit, & ſic alter in principio examinis, alter in medio, & ad totum non ſufficit centenarius. Siquidem ergo ſalus omnibus adultis eſt poſſibilis; & præter veritatem fidei, & Eccleſiæ nullibi eſt ſalus, & contrarium ad minùs erroneum eſt, concluditur, ſupereſſe modum, & viam, qua homines citius, & brevi ad veritatem fidei perveniant: & ob hoc illa nobis illis, & ſignia effulget, quibua facile innoteſcat, & inveniatur, Hæc porto ratio eodem modo probat de veritate morali; nam primò ſola veritaa fidei non ſufficit ad ſalutem, ſed ſicut credenda ſunt, quæ dixit Deus, ſic ſervanda ſunt, quæ Juſſit, ut patet ex univerſa ſctiptura Dei. Deinde verò priùs finietur vita iſta, quam ſciantur, quæ Deus juſſit, per examen, & diſcuſſionem rerum, & quæſtionum, & opinionum moralium: quod me tacente demonſtrant tituli tot tractatuum, & tanta multitudo magnorum voluminum uniua etiam authoris, & alter in principio examinis, alter in medio morietur, & omnes ſane infecto negotio, ergo ſicut veritati fidei, id eſt, veræ ipſi fidei, & Eccleſiæ inſunt notæ, & ſigna, quibus citra examen rerum, & articulorum citò, & breviter innoteſcat, atque his ſignis eminet civitas ſancta Dei; ſic veritati morali, id eſt, veræ ipſi legi Dei inſunt

notæ

notæ, & signa, quibus citra examen tantarum opinionum, & quæstionum, & rerum innotescat; atque his signis emicat via justorum, & salutis, si arripere eam vellemus: sed nollemus eam, & quærimus, vel quærere affectamus aliam, quæ nonest; ut contingit aliarum religionum cultoribus.

Altera causa demonstrans, veritati fidei in esse debere notas illas, & signa est; quia Deus fidem suam haud dedit solis Theologis, sed omnibus hominibus, viris, & fæminis, Principi, Nobili, Ignobili, Ingenioso, Inepto, Agricolæ, Sartori, sutori, libero, servo nautæ, militi: neque jussit, neque voluit, hos omnes esse Theologos, & relictis cæteris, cunctos vacare controversiis de gratia, & libero arbitrio, de Trinitate, de Papatu, de peccato originali; &c. ergo superest via, qua hi omnes citra examen illud, & quin Theologi fiant, inveniant veram fidem, & Ecclesiam: & hæc via est notarum illarum, & signorum, quibus inveniri possit à viris, à fæminis, laicis, idiotis, nautis, agricolis, pro quibus scilicet etiam omnibus scripta est, *qui non crediderit condemnabitur; & sine fide impossibile est placere Deo*, & alia, quæ libro superiore contulimus tamquam in re *firmissime tenenda* & deficientia; & si Recentiores quidam saltem epistolam ad Rom. colerent, non auderent vane promittere salutem sine vera, & propria fide Christi. Nunc ad nos. Sed hæc ratio & causa eodem dem protsùs modo convincit, & concludit in lege, & in veritate morali, sicut enim de fide dicebamus, Deus legem suam non dedit solis Theologis, neque eis solis jussit custodire mandata sua, præcepta sua, judicia sua, & verba, sed omnibus viris & fæminis, Regi, servo, libero, ancillæ, ingenioso, inepto, idiotæ, sartori, nautæ, &c. Nec jussit, neque voluit, omnes esse Theologos, & scite tractatus de sacramentis, de Baptismo, de Pænitentia, de Eucharistia, de Contractibus, de legibus, de justitia, de restitutione, usuris, simonia &c Licet jam summis vulgaribus omnes effecerint Theologos, & Theologas; quemadmodum sectarii suos, & suas. Ergo superest via qua hi omnes citrà examen illud, & quin Theologi fiant, inveniant veritatem legis Dei, & mandatorum & præceptorum: &c. Atque hæc via debet esse notarum aliquarum, & signorum, sicut in fide. Et ratio ubique est ipsissima, quia sicut credere non possumus, quæ Deus dixit, quin cognoscamus, quæ dixerit; ita neque custodire, quæ præcepit, nisi noverimus, quænam præceperit; & sic lib. præc. ostendi adversarios facere impossibilia præcepta Dei, & Jansenizare in alio sensu. Sicut ergo omnibus hominibus, & fæminis superest modus, & via, ut quin Theologi, vel Theologæ fiant, inveniant veritatem fidei, sic & veritatem moralem.

Tertia alia causa eaque invicta, quare veritati fidei eæ notæ tribuendæ sint ea est, quod doctrina fidei non sit rationis, inquisitionis, investigationisque naturalis, & naturæ quasi partus, sed superior, & divina, ac divinitus tradita; diximusque, per examen rerum nostroque ratiocinio potius prævalituras esse religiones falsas, victurasque veram: quare necesse fuit, ut Deus, qui nos ad fidem suam obligavit insigniret illam aliunde notis, & signis, quibus dignosceretur, falsasque vinceret, & prævaleret Sed hæc ipsa ad verbum omnia tenent eodem modo, & via in veritate morali veraque lege Dei: quam, & ejus doctrinam rationis investigationisque naturalis haud esse, sed superiorem, & divinam, divinitusque traditam lib. 2. Theologicè & dogmatice, atque palmaribus præterea exemplis demonstravimus: & innotuit, potiùs prævalituras falsa doctrinas morum, si ratiocinio nostro examen instituatur. Cum igitur Deus ad legem suam, & præcepta omnes obligaverit, necesse fuit, insigniret eam notis, & signis, quibus dignosceretur, & falsa, effictaque discerneretur, & prævaleret, ut haud dubio prævalebit.

Sive ergo rationem attendas sive Dei erga homines providentiam; sive promissa sua, sive necessitatem nostram, unam eandemque quoad hoc invenis in veritate fidei, & morum rationem, & causam. Eo enim causa omnis & ratio devolvitur; quod Deus nos omnes in salutem ordinaverit, & direxerit, quantum est ex parte sua: & non pervenianus id nostrum est, nec per ipsum abest. Inferunt hinc Theologi omnes: ergo providit Deus hominibus media necessaria, quibus ad finem illum pervenire, ducique possent; quod multipliciter demonstratur: & alioquin illuderet Deus, & subsannaret. Sed fides, non hæc, aut illa: & hinc, vel inde controversa, & asserta, sed ipsa illa quam dedit, adeoque vera, & veritas ejus est necessaria ad salutem. Ergo providit illam Deus, modumque quo inveniri, haberique posset: qui, ut est ostensum nequit esse per examen rerum, & articulorum, sed similiter, nisi scripturæ omnes fallunt, est ad salutem necessaria rectitudo, & honestas morum, & quod cultidamus legem non hanc, aut illam, & hinc & inde controversam, & assertam, sed ipsam illam, quam dedit, ideoque veram, ipsa mandata sua, præcepta, testimonia, & verba sua. Ergo providit modum, quo inveniri, servarique possent: qui modus, cum per examen rerum, quæstionum, & opinionum esse nequeat, ut est ostensum per notas, signaque alia provisus est.

Horum omnium tam in fide, quam in moribus notoria comprobatio est factum ipsum, scilicet omni ætate, & ex omni sexu, & ex doctis, & indoctis fuerunt, qui & rectâ fide, & rectis moribus floruerint in Ecclesia Dei, mandataque ipsa ejus custodierint juxta illud Augustini; *surgunt indocti, & cælum rapiunt; nos autem cum litteris nostris volutamur in carne & sanguine*. Factum est innegabile: ex actu autem ad potentiam evidens consecutio. Opinor vero, agmina illa Monachorum, Eremitarum, Anachoretarum veterum libros hos tot nostros moralea, quæstiones, & opiniones non habuerunt, quarum discussione examine, disputationeque invenirent, quæ esset voluntas Dei bona, & placens; neque cæteri in urbibus servi Dei habuerunt: & tamen invenerunt. Superest ergo modus citra hoc.

§. III.

Sicut ergo Theologi his notis & signis visibilem constituunt veram Dei Ecclesiam, sic visibile dicendum videtur in Ecclesia Dei, quæ sit via justorum.

HOc sequi videtur ex dictis: quia sicut vera Ecclesia, & fides a suæ veritatis notis, & signis insignita est & fulget, sic lex Dei, & via mandatorum, & justorum veritatis suæ notis, & signis insignita

insignita est, & effulget, ut probatum est, sed noræ illæ suæ, & signa reddunt veram Ecclesiam, & fidem inter tot Ecclesias malignantium, ac inter tot falsas, & spurias fides visibilem, ut loco suo Theologi exponunt, tuenturque adversus sectarios, nosque disputavimus: & alioqui nugaretur Christus jubens, *dic Ecclesiæ*. Ergo & legem, Dei, ac viam mandatorum, & justorum veritatis suæ notæ, & signa inter tot opiniones, & controversias, & dissidia reddunt visibilem; alioqui nugaretur Christus jubens, *contendite intrare per angustam portam, & arctam viam*, utique mandatorum, & justorum, quæ ducit ad vitam, & diceret identa. *Domine per quam?* sicut jubenti, *dic Ecclesiæ*, Respondéremus, *Domine cui?*

Frustra deinde esset, Ecclesiam, ejusque veritatem reddidisse visibilem, si deinde via justorum, & vitæ ac veritas ejus maneret anceps, & dubia, neque pateret; satis enim non est recte credidisse, si viam mandatorum, & vitæ non ambulemus. Ergo utraque veritas est visibilis; & non est excusatio, nisi nolo, & subterfugio, quod magis practice decursu constabit, ubi multiplicem modum inveniendæ veritatis moralis exponimus.

Illud quod hic, & ibi, & ubique refuto, hoc etiam loco est significandum, subterfugia, & tergiversationes omnes, & dicteria quorundam Recentiorum, quæ ubique offendunt, instarі ad litteram in notis veræ Ecclesiæ, & fidei ac visibilitate veritatis ejus. Causantur scilicet multitudinem opinionum, & dissidiorum: & diversis, contrariisque de religione opinionibus, & factionibus plenus est mundus, causantur idiotismum; ducausantur institutionem, & consuetudinem; duritiem, præjudicia, possessionem; jugi Christi suavitatem; Dei misericordiam; legum non promulgationem, non remorsum; ignorantiam invincibilem, & hæc ad verbum magis urgent in causis fidei, & religionis, sed bis suis principiis, ut à fructibus arbores cognoscerentur, contra apertissimas veritates, & definitiones, & fidem sanctorum, eo aliqui ducti vel prolapsi sunt, ut dicebamus, ut citra veram fidem & Ecclesiam promittant justitiam, & salutem; sed manifeste fallunt.

Hinc vero magni deprehenduntur, & dignoscuntur: nam Deus sua gratia fideles, & catholicos ipsos non effecisset, sed inter sectarios relinquisset, his suis principiis excusassent suos ab obligatione quærendi, vel accipiendi veram Ecclesiam, maximè cum ad hoc sæpe necessarium eis sit exequi, quod Dominus imperavit, scilicet relinquere, & odio habere Patrem & Matrem, uxorem, & filios, & hæreditatem omnem: aliunde vero ea sua principia, quibus morum doctrinam tenent, ibi eodem modo insternur; & nunc etiam audeant eis salutem promittere; nec Dominus dixit, propter fidem quidem relinquendi sunt Pater, & Mater &c. propter mores autem non ita, at vel ipsi, vel quicumque sectarii salutem promittunt, aperte decipiunt. Ergo sua principia suspecta sunt.

Adversus hæc itaque omnia tenendum est constitutum invictum principium visibilitatis veræ Ecclesiæ, & fidei ac veritatis ejus per notas suas, & signa; & sic etiam veræ viæ justorum, & legis Dei, ac veritatis ejus, ut sint inexcusabiles omnes, qui extra veram fidem, ac viam justorum exerrant.

Quod porrò quidam mirautur, adeò visibilem esse Ecclesiam Dei; & eam tamen an multos ignorare, & sic etiam in lege; hoc, inquam, fregi late aliàs; atque inter alia illud incunctanter asserui, si qua gloriosus Deus pro sua in mundo manifestanda Ecclesia, & fide; & nunc addo etiam lege gessit, pro conferendo auro, immortalitateve corporum effecisset, à nemine in mundo ignorandum modum consequendi aurum, & immortalitatem. Nemo sanè diceret, aurum non esse satis promulgatum, nec reliquam illam proloquiorum, & excusationum catenam retexere, quod ergo nos cuncta invertamus, & maxima negligamus, & abjecta impense colamus, & inquiramus, non res in causa sunt, sed stupor noster: at in mundo (aiebat Gentilis historicus) ubi per socordiam vires, tempus, ingenia defluxere, naturæ infirmitas accusatur, suam quique culpam actores ad negotium transferunt. Quod si hominibus bonarum, rerum tanta cura esset, quanto studio aliena, ac nihil profutura, multum etiam periculosa petunt, neque regerentur magis, quam regerent casus &c.

QUÆSTIO V.

Augustino antea decepto, & postea veritatem fidei, & morum adepto, & in exemplum proposito inductimur in modu veritatem moralem inveniendi.

Augustinus præ omnibus, quod sciam, Doctoribus eam nobis Theologiam sublimissime exposuit, quomodò scilicet Deus mala ipsa, & errores, ac scelera inordinem sæculorum redoxerit, & bonis & malis unum quasi carmen composuerit. Hoc quod præ omnibus docuit, præ omnibus etiam imitatus est, & fecit, ut peccatis etiam suis, & erroribus se, & nos luculentissime juverit, & erudierit. Idcircò magnum operæ pretium futurum existimavi, si quomodo, & cur erraverit; & quomodo, & unde edoctus sit, ab ipso disceremus, ut ejus exemplo ad modos inveniendi veritatem, quam plenissime ille invenit, inducamur, manu ducamurque.

§. I.

Augustinus à Manichæis deceptus fuit magna pollicitatione rationum, ac humani ingenii nimia existimatione.

Titulus hic ipse satis probat, quam è re nostra sit ista tractatio; nam hoc eodem morbo plurimi, vel laboramus, vel etiam tabescimus, nec aliud auditur, quam ratio. & ratio; ac cætera parvi fiunt: quod unum Theologiam omnem evertit, ut lib. 2. ostensum est. Augustinus itaque errores suos, & eorum causas; deinde vero dubitationes, & veritatis inveniendæ jam spem, jam desperationem, & quasi in tempestate jactatæ mentis fluctus, atque animi sui angustias; & qua demum via veritatis, & voti compos factus sit, memorat maximè in libris confessionum, & in aureo lib. de util. credendi, quo nobis potissi-

potissimum est utendum: ubi cap. 8. *Edam tibi, inquit, ut possum, cujusmodi via usus fuerim, cum eo animo quærerem veram religionem, quo nunc exposui, esse quærendam.*

Præmittit primùm tam longe à vero positis veritatis inveniendæ difficultatem; neque dubitaverim, de suo opinari assuetis eam esse difficillimam. *Nihil enim, ait, est faciliùs, charissime, quam non solùm se dicere, sed etiam opinari verum invenisse. Sed quam re ipse difficillimum sit, agnosces, ut confido, his litteris meis.* Longè enim divinum lumen, ingenii ab ea parvarum mentium vilitate abfuit, ut aliquid existimaret esse opinari, se invenisse, aut falsas opiniones se scire existimantium in pretio haberet, ut opinatores faciunt; quin id tamquam malum magnum abhorrebat, nosque lib. 2. demonstravimus, melius esse prorsùs ignorare, quàm quoquomodo etiam probabiliter errare. Demonstravimus, inquam, disciplinatis; nam iis, qui errores aliquos bonum intellectus esse, quin etiam esse gratiam per Christum, dicere non erubuerunt, quid demonstres?

Jam Augustinus causas prodit cur à vero tam longe arreptus sit. Causas loquor doctrinales: nam peccata sua, pravamque cordis affectionem, & dispositionem, de quo lib. 1. dictum est, hic prætermitto lib. 1. retract. cap. 13. *Jam vero, inquit, apud Hipponem regium presbyter scripsi librum de utilit. credendi ad amicum meum, quem deceptum à manichæis adhuc eo errore non eram detineri, & irridere in catholicæ fidei disciplina quod juberentur homines credere; non autem, quod esset verum, certissima ratione docerentur,* quæ porrò hic Augustinus ad amicum, hæc ipsa scribo ego ad omnes amicos meos nimios rationis, & ingenii æstimatores, si vel de fide morum, reliquamque Christianam doctrinam rationibus suis, & ingeniis judicare, & eam effodere, vel invenire præsumant: quo nihil ad inveniendum obstat magis.

Lib. de utilit. cred. cap. 1. inquit: *nosti enim, Honorate, non aliam ob causam nos in eos homines incidisse, nisi quod se dicebant, terribili authoritate separata, mira, & simplicitatione introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat annos fere novem, spreta religione, quæ mihi puerulo à Parentibus insita erat, homines illos sequi, ac diligenter audire, nisi quod superstitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari, dicerent: se autem nullum premere ad fidem, nisi priùs discussa, & enodata veritate? quis non his pollicitationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in schola Doctorum hominum disputationibus superbus, & garrulus: qualem me tunc illi invenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, & ab eis promissum apertum, & syncerum verum tenere.* Habes hic, & habemus omnes qualis iste tunc esset, ut colligamus, utrum tales simus: & misereri eorum obiter possumus, qui toto anno, & tota vita eo instituto vivunt, ut de divinis, & humanis ratione sua, & ingenio philosophantur & definiunt, & ent sim etiam hoc pro libro primo adverte, nec Augustinum, neque Honoratum, siquidem decepti adeo erant, & rem nostram aniles fabulas putabant, non peccasse, ut ait opinio eorum, qui tollunt peccata mundi. Abeant & nos relinquant rectè sapere.

Iterum inquit: *Tu nondum Christianus &c. qua, quæso, alia re delectatus es, recordare, obsecro te, nisi magna quadam præsumptione, & pollicitatione rationum?* & cap. 6. illudentis instar inquit: *sed scilicet intelligentissimi adolescentes, & miri rationum evolutores &c. apud illos* (id est catholicos) *credendum putavimus, qui istis inimici sunt, voce commoveri, apud quos falsa pollicitatione rationis &c.*

Post multa deinde discussa hortatur Honoratum cap. 8. ut relictis aliis catholicam disciplinam capessat: & opponit sibi sic: *ridiculum; inquis, istud est, cum omnes hanc (id est catholicam) profiteantur se tenere profitentur hoc omnes hæretici: negare non possum; sed ita, ut eis, quod illiciant, rationem se de obscurissimis rebus polliceantur reddituros, eoque catholicam maximè criminantur, quod illis, qui ad eam veniunt, præcipitur, ut credant; se autem non jugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur. quid, inquis, dic, potuit, quod ad eorum laudem magis pertineret? non ita est. Hoc enim faciunt nullo robore præditi, sed ut aliquam concilient multitudinem nomine rationis. Qua promissa, naturaliter anima gaudet humana, nec vires suas valetudinemque considerans, sanorum escas appetendo, quæ male committuntur nisi valentibus, irruit in venena fallentium.*

Hæc, credo, sufficiunt ad fidem propositi tituli solvendam. Patet vero ex contextu, & ex toto eo libro, non ita de veritate religionis inveniendæ tractari, ut solum de fide mysteriorum, non autem de moribus sit sermo, sed de disciplina ut loquitur, Christiana inquiri; ut enim quæ præ aiebat Doctor, nullas epistolas scripserunt Apostoli, in quibus quasi seorsim de fide, non autem de moribus tractarent, sed utroque sermone illæ omnes contextæ sunt, ut aiebat; sicut & reliqua scriptura? & si etiam ipse utramque una veritatem invenit. Hæc porrò adeo signata magni Doctoris præcepta ad utrosque Theologos speculativos, & morales nos convertunt; satis quippe ratiocinatum est; satis, nimiumque datum ingenio, & escis sanorum, & ad fæces ferme discursuum, & ratiuncularum devenimus, & viros doctos, ut aiebat lib. 2. Canus, ad nauseam provocamus, & delectatiores ad contemptum. Hic liber sublimis planè de utilitate, quin etiam de necessitate credendi ad credendum nos cogit: sin minùs nec ipsa quidem fidei mysteria integra constant nec lex Dei: & de mysteriis certe, de Trinitate, de transsubstantiatione, & conversione, panis in corpus Christi, & aliis, si instituti nunc nostri esset, facile rem explicarem: & de peccato originali, de homine illo semivivo relicto vix apud quosdam nisi nomina supersunt. Huc scilicet ducit ratio non priùs credens, non serviens, sed soluta, & imperans: de quo iterum ad finem quæstionis. *Anima itaque gaudet humana* si ratio, & intelligentia promittatur; magis vero si ipsa inveniat, & quasi creet: nam ut ex eodem Doctore alibi diximus, quod credimus, alteri debemus; quod scimus, quasi nostrum, magis autem, si invanimus: & rursùs: quia intelligere, quam credere ex genere præstantius est, postremò affectatam illam divinitatem: *eritis, sicut Dii scientes bonum, & malum,* numquam ex integro exuimus: verè enim Dei est scire, & docere bonum & malum: *qui scilicet docet hominem scientiam:* de quo lib. 2. & 3. Opinionistæ vero de suo de bono, & malo philosophantes, ac statuentes fecerunt se sicut Deos: & timendum, ne serpens deceperit.

§. II. Argu-

§. II.

Augustinus falsitate Manicheismi deprehensa jactatur fluctibus jam in academismum, de vero in invenibili, jam in contrarium.

VT enim ait quæst. 8. *à vobis trans mare abscessi, jam cunctabundus, atque hæsitans, quod mihi tenendum. Quid dimittendum esset: quæ mihi cunctatio major in dies oboriebatur &c. magnamque deliberationem jam in Italia mecum habuit constitutus, non utrum manerem in illa secta, in quam me incidisse pœnitebat, sed quo nam modo verum inveniendum esset, in cujus amorem suspiria mea nulli melius, quam tibi nota sunt. Sæpe mihi videbatur inveniri non posse, magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum suffragia ferebantur.* Et hic est, ubi sistunt, & hætent probabilistæ, & nulli ipsis longius à vero inveniendo absunt; ut nulli magis à salute consequenda, quam qui desperant.

At Celsissima mens Augustini parvis his animabus longè dissimillima non hæsit, sed perstitit; ex quo Aristoteli quamquam acutissimo eum semper prætuli, & præferò, omni quippe errore robustiorem, & victorem. Subdit itaque: *sæpe rursùs intuens, quantum poteram mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam, latere veritatem à nisi quod in ea quærendi modus lateret.* Ecce quam è re nostra ista sint: qui modum, & modos quærendi, inveniendique veritatem inquirimus. Sed, inquis: en Augustinus mirè ex tollit mentem humanam, perspicacitatem, vivacitatem, & ingenium: & nos etiam ipsi nuper efferebamus Augustini ipsius ingenium, & robur: quid ergo aliunde hæc cuncta deprimimus? concordia est, humanam mentem, & ingenium esse quidem præstantissimam dotem & valere ad plurima, si modum inveniendi, sciendique servet, quem Doctor præscribit, si credat, si serviat, & sequatur, & à Deo discere veraciter velit, atque ad sobrietatem sapiat: secùs si ratio secum ipsa fornicetur abs Deo & spiritualiter luxurietur; si imperet, &c. & satius tunc esset ineptos esse, quam ingeniosos, neque Doctor lib. 2. asserebat, quædam magna ingenia eo periculos jus ierunt, quanto præfidentius suis quasi viribus cucurrerunt; ac nisi Deum sessorem habeamus, ejusque doctrinæ inhæreamus, jam diximus *fallax equus ad salutem.*

Vicit itaque in Augustino, ac prævaluit ea pars, quod inveniri posset. Hoc autem principio quidem naturali quadam consideratione sumpsit; mox vero fortius ac robustius divinis promissis in animo fixit: quæ Dei promissa, & Doctoris, aliorumque Patrum testimonia lib. præc. prosecuti sumus. Quare hoc loco statuenda denuo non est hæc veritatis invenibilitas, sed supponenda, atque solùm propter doctrinæ ordinem, & progressus Augustini seriem breviter significanda.

§. III.

Fixit ergo in corde primum Augustinus, verum inveniri posse: Quod quilibet inventurus præfigat, necesse est.

LOquor de iis, qui doctrinæ ordini inventuri sunt; nam de cætero Paulus ad Rom. cap. 10. testatur: *Isaias autem audet, & dicit: inventus sum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Ex quo à fortiori lib. præc. inferebamus, inveniendum haud dubiè ab iis, qui debitè quærunt; non ad quos idem Isaias dicit, *si quæritis, quærite*; non enim quærunt, sed affectant.

Sanxit igitur Augustinus, fixitque in corde firmiter, verum inveniri posse: *tenemus promissum* (inquit) lib. 12. confessionum cap. 1. *quis corrumpat illud? si Deus pro nobis, quis contra nos? Petite, & accipietis: quærite, & invenietis, &c. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit. Promissa tua sunt: & quis falli timeat, cum promittit veritas?* Sed forsitam, ò Recentiores, omnis qui quærit invenit, quæ sint credenda non autem, quæ præceperit Deus facienda. Abite; & hæc quidem jam provectior Augustinus: atque alia ejus in idem testimonia debemus lib. sup.

Sed de ipso progressu, & quando jam quoquomodo fixo verum inveniri posse, quomodo hoc quidem teneret; progredi tamen nesciret, prodit & lib. 5. confess. cap. 13. & lib. de util. cred. cap. 8. *occurrebat igitur*, inquit, *quædam inexplicabilis sylva, cui demum inseri multum pigebat: atque inter hæc sine requie cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lachrymosis, & miserabilibus vocibus, ut opem ferret, deprecarer.* Hæc primum facite, Recentiores; & post honestius liceat dicere, verum ipsum inveniri non posse, sed ex probabilibus vestris esse vivendum, forsitam vero Augustinus reflexam illam vestram veritatem, qua nosset, quid quisque vere, vel falso opinaretur, tantis miserabilibus vocibus exorabat: quin ut scitur tantopere à falsis opinionibus abhorruit, ut cap. 11. inter detestanda illa tria genera hominum unum posuerit *opinantium, id est eorum, qui se arbitrantur scire, quod nesciunt*; omnis autem, qui falso opinatur si firmus quidem sit assensus, arbitratur se scire, quod nescit: sin verò minùs firmiter, saltem arbitratur, se nosse, quod nescit.

Ut itaque Doctrinæ ordine, & studio, vel quærendo quis inveniat veritatem, necesse est ut præfigat prius in animo, se illam invenire posse; alioquin minimè quæret, cùm, ut est principium, nemo moveatur ad impossibile; quamquam vero scriptum sit, omnis, qui quærit invenit; at scriptum non est, etiam qui non quærit, invenit; quin jam de lege communi, & communiter non quærentes non inveniunt. Sed qui non credunt, invenire posse, non quærunt. Ergo communius non inveniunt; & si quando inveniant; est præter doctrinæ ordinem, ac studium suum ex sola pura gratia: de qua inventione non tractamus. ergo veritatem inventuro cuique necessarium est, ut figat prius in corde, se invenire eam posse: quod obviis exemplis demonstratur. Academici inquis, quærebant: & tamen putabant, se invenire non posse. Responsum est à magnis viris, & à nobis supra, primò stulte quærebant. Rursùs non ita corde existimabant; alioquin moti non fuissent ad quærendum; nam quærere est, ut inveniatur: at qui movebantur: ergo non corde existimabant, se invenire non posse, & sic etiam super lib. contra Recentiores disseruimus, eos non corde putare, se in controversiis, & probabilibus suis veritatem invenire non posse: alioquin non eam indagarent, & quærerent: sed

quærunt

quærunt, & indagant omnes: non ergo putant se invenire non posse. Quinimo omnes libri sui pleni sunt affirmationibus, & negationibus: qui autem affirmat verum id putat, quod dicit; & similiter qui negat, falsum putat, quod negat, & contrarium verum. Ergo vel recentiores, & omnes libri sui mentiuntur, vel ipsum putant, se etiam in controversiis, & probabilibus suis verum invenire non posse; quin putant, se etiam de facto invenisse.

Naturæ igitur Author Deus injecit nobis appetitum, & desiderium sciendi? sicut injecit appetitum, & desiderium beatitudinis, ut primò merh. traditur. Non autem injecit appetitum sciendi vera vel falsa; & falsa non sciuntur, & sunt mala naturæ, & non juxta desiderium suum, & præterea principium est, quod non est non sciatur, & principium rursùs est scientiam non esse nisi verorum, si quæ porro veræ sciendi appetitum Deus injecit, maximè sciendi illa, quæ vitare, & agere oportet, ut boni simus, & ad appetitum beatitudinis perveniamus, ut alias magis constitutum est. Hoc ergo appetitus insito in ipsis etiam probabilibus, & controversiis moventur omnes, ut in singulis quærant veritatem. Hæc proinde supponitur invenibilis ab omnibus se moventibus ad quærendum. Sed infelicitas est, quod eam multi non quærant, ubi est, sed ubi non est, nec quantum, nec quatenus quærere oporteret; ut contingit etiam in felicitate; quam plerique non quærunt, ubi est, sed in honore, in voluptate, & divitiis, & mundo, ubi non est: atque ita sanè per multi quæront veritatem in ingeniis suis, in rationibus suis, in libris quibusdam, in quibus vel non est, vel prorsùs latet: & sic modum illum quærendi, quem Augustinus inquirebat, prorsùs ignorant, aut ignorare volunt: sicur in eodem exemplo quærentium beatitudinem cernitur,

Ex his Augustinus universum genus hominum mente complectens eodem nostro libro famosam, ac realissimam illam divisionem inducit, quæ omnes eos in quinque ordines distribueret, laudandos quidem in duos; improbandos vero, & detestandos ad tres. *Duæ enim personæ*, inquit cap. 11 *in religione sunt laudabiles. Una eorum, qui jam invenerunt; quos etiam beatissimos judicare, necesse est. Alia eorum, qui studiosissime, & rectissime inquirunt. Primi ergo sunt etiam in ipsa possessione: alteri in via, qua tamen certissime pervenitur.* Quod si quæras ab Augustino, unde certissime? Recantabit suum illud: *tenemus promissum, quis corrumpat illud? &c. Omnis qui quærit, invenit: promissa tua sunt, quis falli timeat, cum promittit veritas.* Rectissime ergo concludit, eos, qui studiosissime, & rectissime inquirunt, esse in via, qua certissime pervenitur.

Jam adversarii nostri neutri horum hominum sunt. Non primi, quia invenerunt, & sunt in ipsa possessione veritatis; alioqui enormiter mentirentur dicentes, veritatem inveniri non posse; & multo magis dicentes ipsius disciplinæ Catholicæ, qua recte vivitur, sed ipsius etiam religionis, & Ecclesiæ, & fidei Catholicæ, ac mysteriorum dari, & passim dari, & in confiniis ipsis Italiæ dari ignorantias invincibiles veritaeis Neque item secundi illi homines, qui studiosissime, & rectissime inquirunt, & sunt in via, qua tamen certissime pervenitur; nam alioqui rursùs egregie mentirentur dicentes, non dari hanc viam certissime perveniendi ad veritatem: de cujus inventione tractat Augustinus. Superest ergo, ut ad sequentia tria genera pertineant.

Tria sunt (subdit continenter) *alia hominum genera profecto improbanda, ac detestanda. Unu mest opinantium, id est, eorum, qui arbitrantur, se scire, quod nesciunt. Alterum eorum, qui sentiunt quidem, se nescire; sed non ita quærunt, ut invenire possint. Tertium eorum qui neque se scire existimant, nec quærere volunt.* Ipsi respondeant, ad utros horum pertineant? vere enim gravissimum punctum hoc est, & ipsi viderint, & mundus viderit. Quod si existimabunt, Augustinum audaciorem extitisse, & desipuisse, & nunc demum magna ingenia, & scientiam natam esse desinant nos, precamur, cum Augustino, ó rudes, ineptos, fungos esse: & valeant, illa porro Decalogi, & non Decalogi; expressorum, & similes evasiones lib. 1. & lib. 3. disjecimus: nec ad promissa Dei, vel simile resolvi possunt, magis quam impotentia, & deffectus virtutis, & gratiæ, sive ad expressa, vel non expressa: quod vero Deus vires magis promiserit, quam veritatem suam, & cognitionem mandatorum suorum; aut non expressa non sint mandata sua; aut promittenti Deo non sit possibile æqualiter adjuvare, & dirigere gressus nostros, & docere voluntatem suam in magnis, & parvis: de quo lib. sup. satis; & sunt positiones vires nostras dimetientium; non autem gratiam Dei.

Sed quoniam dicent, ad neutrum horum trium generum se pertinere, licet relinquere hoc ipsis vellem; tamen mihi ipsorum pace ad omnia mixtum tria pertinere videntur. Primò namque totum mundum gubernare volunt, & casus omnes definiunt, & asseverantissime hoc peccatum, hoc non peccatum decernunt. Ergo arbitrantur se scire; vel fallunt, aliunde dicunt, in his ipsis rebus verum sciri non posse. Ergo arbitrantur se scire, quod nesciunt. Et hoc erat primum genus hominum. Deinde in omnibus pæne quæstionibus dissident: & utrique arbitrantur se scire; nam utrique incunctanter asseverant, quod dicunt. Ergo utrique arbitrantur, se scire. At alterutri nesciunt. Ergo saltem alterutri arbitrantur, se scire, quod nesciunt. Ergo alterutri saltem pertinent ad primum genus, scilicet vel ponentes, vel tollentes peccata. Nos porrò nescimus, utri sint: & ita utrosque cavemus.

Etiam pertinent ad secundum genus: nam ita quærunt, ut invenire non possint; siquidem quærunt, ubi non est, ut paulo ante significabant. Rursùs, quia Manichæorum in hoc morem sequuntur; nam ratione cuncta aggrediuntur, eique primatum deferunt, ut satis in superioribus constitutum est: at Manichæi quærebant quidem sed ita, ut invenire non possent, & haud dubie Augustinus in his tribus generibus hominum eas reposuit. Ergo & ipsi ita quærunt, ut invenire non possint. Iterum, quia in hoc libro Augustinus præcipue, & quasi dextro oculo respexit Manichæos sinistros tamen etiam Academicos, & eorum probabile; ex quo vivendum dicebant, & verum ipsum inveniri non posse: eosque posuit in secundo præsertim genere. Sed adversarii in probabilibus, & controversiis cunctis Academicos imitantur. Ergo pertinent ad genus ita quærentium, ut invenire non possint. Sic expresse cap. 11. Academicos in ea genera revocat: *Cætera duo*

4

improbanda hominum genera, inquit, nihil credunt, & illi; qui verum quærunt cum desperatione inveniendi (scilicet Academici) &c. Atqui adversarii verum quærunt cum desperatione inveniendi: ergo Quod porro credant probabile, non juvat: *quamquam in illis etiam* (subdit ibi) *qui se in agendo probabilia sequi dicunt, jure potius nihil posse, quam nihil credere volunt videri. Quis enim, quod probat, non credit? aut quomodo est illud, quod sequuntur, si non probatur probabile?* non enim magis hoc, quam contrarium sequerentur, si non magis hoc, quam contrarium putarent, crederentque probabile.

Tertium etiam genus sentientium, se nescire, nec tamen quærentium participant. Confitentur enim, se nescire, siquidem asserunt, verum inveniri non posse. Aliunde autem sistunt in probabili, neque ulterius ad verum ipsum inquirendum provehuntur. Sed Augustinus in tertio genere non ponit non quærentes probabile, sed non quærentes verum ipsum; & hoc est tota ejus disputatio, labor, solicitudo, cura, suspiria, lachrymæ: quæ lib. 5. confess. legi possint, & quanta pro hoc uno facerent, tum ipsi, tum amicissimi. Alipius, & Nebridius: & pudere nos oscitantes posset intra ipsam Catholicam Ecclesiam constitutos, habentesque fontes obvios, copiosissimosque veritatis, aiunt probabilitate, & de hoc gloriantur & se ab Academicis eximunt, quod se religionem saltem citra probabilitates teneant, eamque certissimam. Verum primo non eis integrum Academismum objicimus, ad quod partem, eamque maximam disciplinæ Catholicæ, quomodo scilicet sit vivendum in statibus omnibus: quod probabilibus compingunt, & opinionibus texunt: deinde de ipsa religione, & mysteriis, & peccatis indubitatis tenentur quidem nominis, Trinitas, transsubstantiatio, peccatum originale, usuræ, simoniæ: res vero ipsæ plenæ sunt opinionibus: & modo in sensu probabili credant, se tutos censent. Ergo plusquam existimant, ad religionem etiam ipsam probabilismum transvehunt, si non oris, & nominum, saltem cordis, & sensus: *corde autem creditur ad justitiam*, & fides in sensu consistit.

Discutiat itaque Augustinus lib 6 confess. cap. 11. oscitantiam nostram. *O magni viri Academici nihil ad agendam vitam certi comprehendi potest. Imo quæramus diligentius, & non desperemus, & cætera, figam pedes meos in eo gradu, in quo puer à parentibus constitutus eram, donec inveniatur perspicua veritas. Sed ubi quæretur? quando quæretur? non vacat Ambrosio, non vacat legere. Ubi ipsos codices quærimus? unde, & quando comparamus? à quibus sumimus? deputentur tempora, distribuantur horæ pro salute animæ &c. pereant omnia, & dimittamus hæc vana, & inania: conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis.* Hæc Augustinus aiebat nondum Catholicus: pudeat ergo iterum nos Catholicos: scimus, enim, scimus, à quibus libros sumamus, scilicet ab Ecclesia Catholica: quos codices accipiamus, & sequamur: ubi, & unde inveniamus; modo veraciter velimus: non est excusatio, darent mihi multos, vel omnes instar Augustini nondum Catholici, & longissime errantis quærentes, & petentes: & darem ego multos, vel omnes invenientes, & accipientes. Sed num forsitan pro salute animæ tantum agere non oportet? & hoc ne Deo Judici probare quisquam valebit?

§. IV.

Dimissa ergo vana pollicitatione rationum, assumpsit Augustinus esse plane credendum, & inventionem veri ab aliqua authoritate esse exordiendam.

CÆpit Augustinus esse humilis, & cæpit invenire, & tamen nisi superbi simus, ratiocinismum, ut objiciunt, oppugnare non possumus. Augustinus itaque novem, ut aiebat, annorum experimento, suæ etiam mentis magnitudine; maximè vero Deo gressus ejus dirigente agnovit demum vanitatem humanæ rationis non credentis, & deduxit, esse profecto alicui authoritati credendum, atque ab ea exordiendum, sumendamque veritatis, qua recte vivimus, inventionem.

Rejectis igitur Manichæis omni ratione, & ingenio molientibus: item Academicis nihil, ne errarent, credere volentibus, assumit cap. 1. in f. 1 *si quis diligenter consideret, plurimum interesse utrum se scire quis putet, an quod nescire se intelligit, credat aliqua authoritate commotus, profecto errorem, & inhumanitatem, atque superbiæ crimen vitabit.*

Hinc cap. 12. multis argumentis probat esse plane credendum: *quæro enim*, inquit, *si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant? non enim ratione ullo pacto sciri potest, sed interposita matris authoritate de patre creditur de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? credimus tamen, & sine ulla dubitatione credimus quod scire non posse confitemur.* Atque argumentum undique constringit, & claudit, & si ut aiunt, scholasticum non sit, & alia nectit: & lib. 5. confess. cap. 5 rursus urget.

Mox stultorum, & sapientium divisionem inducit, & utrosque describit. Cavet autem quod utinam caverent omnes, se sapientes non vocare *cordatos, & ingeniosos homines sed eos, quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis, Deique firmissime percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes. Cæteros autem cujuscumque modi artibus, inertiisque affecti sint, quolibet victu probandi, sive improbandi, stultorum in numero deputaverim.*

Hoc constituto, assumit, utilius & salubrius esse si hi stulti & ignorantes sapientibus illis credant: *quæ cum ita sint aut quis mediocriter intelligens non plane viderit, stultis utilius atque salubrius esse præceptis obtemperare sapientium quam suo judicio vitam degere?* Quod probat, de quo statim. sed hic duo primum occurrunt, alterum, quale sit sapientes vice versa non sapientium judicio vitam degere? alterum de Doctore illo quodam complutensi cujus duas ferme pagina legi, & duas ineptias inveni, aliam, cujus lib. 2. qu. 1. memini, authoritatem gravis Theologi esse parem authoritati Romani Pontificis, non per se, sed per accidens: aliam, quod Augustinus lib. de utilit. credendi doceat sapienti esse credendum, & quis dubitet? his lectis cum Novitio tempus terendum non existimavi.

Ad Augustinum Probat, quod dixit, evidentissime, non quidem huic Doctorello, & suis similibus, sed scientibus saltem moralem Philosophiam. *Nam omne factum, inquit si recte factum non est, peccatum est Nec recte factum ullo modo esse potest, quod non a recta ratione proficiscitur.* Cum igitur in sapientibus illis sit recta ratio, in stultis vero, seu ignorantibus

non-

nondum fit, evidentissime conficitur, utilius, atq; salubrius esse stultis obtemperate præceptis sapientium, quam judicio suo vitam degere. Hæc probatio instar principii est in morali Philosophia, & in S. Thomæ Theologia, quod recta ratio sit de ratione virtutis: est item principium rectitudinem rationis esse veritatem, tam exploratum, atque exploratum est, intellectum esse ad verum: sed cuncta detorquere placuit, & falsas suas rationes probabiles ad rectas rationes, bonumque intellectus evocare; insuper etiam ad gratiam per Christum. Pereant jam ipsi à Deo, emitte falsitates tuas, & errores tuos; nos sane in victe tenebimus & dicemus: *emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Ecce quid est humana ratio non credens? eamdem illam probationis doctrinam sibi valde familiarem acutissime statuit etiam lib. de quantit. animæ c.16. *Nunc ergo aliud attende utrum tibi videatur virtus & qualitas quædam esse vita, rationi undique consentiens: nam si aliud ab alio in vita discrepet, magis, ni fallor, offendimur, quam si aliqua pars circuli majore, minoreve intervallo, quam aliæ partes, distet à puncto. An tu aliter existimas? Ad. imò assentior, & hanc, quæ abs te descripta est, probo esse virtutem: & ratio non dicenda est, aut existimanda nisi vera: & cujus vita per omnia congruit veritati, is est profecto vel solus, vel certe maxime, qui bene, honesteque vivit.* *August probè dicit* videte vos falsarum rationum assertores, & vindices, utrum probe dicat recte vel solus, vel maxime is bene, honesteq; viveret, cujus vita per omnia veritati congrueret; nam & si non per omnia veritati congruat, potest tamen bene vivere, sed minùs, ut ille cujus ignorantia veritatis in jure, vel facto esset invincibilis: esset tamen melior, cujus vita per omnia congrueret veritati; quia ignorantia illa veritatis excusat quidem à male facto, non tamen facit bene, honesteque vivere, ut habitum est. Quod autem sola vera ratio sit, & dicenda sit simpliciter ratio, naturæ lumine supponimus Hispani saltem, & Itali, & Vascones; & sic quoties in duos contendentes incidimus, ut unum vere, alterum falso differere affirmemus, dicimus, tiene, o, notiene raçon: ha ragione; non ha ragione: araçoia du, etzu, sive dauca, eztauca: & sic opinor, cæteri etiam omnes naturæ institutione loquuntur.

Jam Augustinus, eo præfixo principio, quod utilius, salubriusque sit, stultos, & ignorantes authoritate judicioque sapientium vitam instituere infert in fine ejusdem c. 2. sibi, & Honorato fore utilius, & salubrius, si sapientes aliquos quærerent, quibus crederent, & quorum fidei sese committerent: siquidem eatenus quærentium personam agunt: omnis autem quærens ignorans est: ergo sapientes supponi non poterant, sed inter ignorantes deputari *Nihil igitur concludis, nobis restare à modo vides quàm ut stultissimi si nobis vita optima & religiosa cordi est nisi ut quæramus sapientes, quib. obtemperando dominationem stultitiæ, neq; ita multum sentire dum inest nobis, & evadere aliquando possimus.* O vere stupendum ingenium a Deo providentissime rectum, ac nobis donatum ubi & semper conspicitur, de ea religionis veritate Augustinum agere, qua mysteriis creditis bene præterea, religioseque viveretur.

Supposuerat etiam cap. 8. ab aliqua anthoritate, & credendo inventionem veritatis à se tantopere concupitæ esse incipiendam. *Restabat quærere, inquit quænam illa esset authoritas: cum in tantis dissensionibus se illam* (scilicet veritatem) *quisque traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis sylva &c.*

§. V.

Incidit in immanem difficultatem de inventione sapientis: supponit, dissentientes inter se utrosque simul non esse sapientes, neque eis stendum: ex quo demo Probabilismus, & via contraria attestitur.

R*Estabat quærere quænam illa esset authoritas,* cui esset credendum; *cum in tantis dissensionibus se illam quisque traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis sylva &c.* Beati probabilistæ quibus inexplicabiles hæ sylvæ non occurrunt, sed in dissidentibus sistunt, & utrislibet tuto, prudenterque credi, ac utrorum libet dictu vitam honestè regi suum dogma est, & ideo non ita quærunt, ut patet, ut invenire possint.

Postquam rursus cap. 11. fine ut vidimus, conclusit: sibi; & Honorato sapientes aliquos esse quærendos immediate incipit cap. 12 quod solùm strangulat probabilitas omnes *Hinc rursus oritur,* ait, *difficillima quæstio* (quam immanem inferius vocat) *quonam enim modo stulti sapientem invenire poterimus: cum hoc nomen* (scilicet sapientis) *tametsi nemo fere audeat palam, plerique tamen ex obliquo sibi vindicant, cum de rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, inter se ita dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certum unum necesse sit esse sapientem:* non simul utrumque.

Hic est ergo primus novus difficillimæ quæstionis nempe dissensio mutua: in quo Augustinus assumit hanc propositionem, vel per se notam, vel Logice, ac Metaphysicè demonstrabilem, eorum, *qui de rebus ipsis dissentiunt, quarum cognitione constat sapientia, aut nullum, aut certum unum sapientem:* inquam, aut nullum; quia contrarie dissidentes possunt utrique simul falli: alterutros vero semper falli, necesse est, nisi Logica, & Metaphysica omnis crepet, at qui in rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, falluntur, sapientes non sunt; nisi iterum crepent Logica, & Metaphysica, & notiu naturalis omnium hominum. Ergo eorum, qui de rebus ipsis dissentiunt, quarum cognitione constat sapientia, vel nulli vel solùm alterutri sunt sapientes, & non simul utrique, & sic part. 1. lib. 3. rem esse demonstrabilem constitui si probabilitas vulgaris in dicto, ut aiunt, sapientis consistit, in utraque vel contraria, vel contradictoria opinione non esse simul eam probabilitatem, obmurmurant nescio quæ de suppositione confusa, sed videant, utrum quidquam sit in mundo demonstrabile, si hoc demonstrabile non est, dissentientes, in quo dissentiunt, utrosque simul non sapere, non scire, sed alios saltem falli necessario.

Nunc ad inquisitionem Augustinianam. Deficiunt in ea, & peccant enormiter inprimis sectarii. Nam sicut tempore Augustini dissentiebant inter se in rebus iis ipsis, quarum cognitione constat sapientia, Manichæi, Arriani Pelagiani, Catholici; omnes vero, ut supra notabat se Catholicos dicebant; & omnes veritatem apud se esse aiebant, eamque se traditures pollicebantur; sic modo dissentiunt Calvinistæ, Lutherani, Ecclesia Anglicana, Ecclesia Romana; & omnes se Catholicos affirmant, & omnes veritatem pollicentur. Sectarii porro ulterius non inquirunt, utnam horum dissidentium re ipsa sint sapientes, à quibus potius libro

sumant;quorum potius codices sequantur,ut doctor aiebat §.3.neque Angli habent,unde anthoritatem Ecclesiæ suæ magis statuant,quam Hispanæ vel Gallicanę omnibus etiam Eccl. Cathol.& universalis notis relictis. Provocatio vero ad scripturas vana est,ut supta, & alias pleniùs demonstravimus:& hujus unius quæstionis veritatem numquam invenire poterunt, nisi ulterius quærant, quorum scil.scripturam,utrum cum epistola Jacobi,an sine illa accipere,se quique debeant. Sistunt ergo in authoritate inter se dissidentium, quin utra vincat,norint;suntqne de illo secundo genere hominum quærentium, ut invenire non possint.

Cavit hoc vitium diligenrer ubique Augustinus; & ita cum Mediolani esset, & si vidisset jam partem catholicam victam non esse, tamen quamdiu non novit,eam non solum non victam,sed victricem etiam esse, catholicam religionem amplexus non est: *ita enim catholica* (ait 5.confes.c 4.) *non mihi victa videbatur, ut nondum etiam victrix appareret* : in quo suæ erroneę conscientiæ,& rationis statu peccavisset contra conscientiam,si vel catholicam ipsam elegisset,qnam non quidem victam,nondum tamen victricem existimabat. At sectarii hoc ut plurimum ex passione, & educatione existimare possunt, authoritaiem v. g. Ecclesiæ Anglicanæ non esse victam à Gallicana; victricem tamen esse unde nisi stultissimi sint,arbitrari possunt. Peccant ergo sistendo in authoritate dissentientium, quin aliqnam non solùm non victam, sed victricem etiam invenerint : & inter dissentientes omnea quærenda semper est eminentissima quædam, & victrix authoritas, à qua inventio veri teratur.

Deficiunt similiter, & peccant probabilistæ sistendo in authoritate eorum, qui de rebus ipsis, quatum cognitione constat sapientia, ita dissentiunt inter se,ut nullum,aut certum unum, necesse sit,& esse sapientem.Quid hic est quod negare nobis possint adversarii?Num rerum earum, quibus libri morales pleni sunt, cognitione constare sapientiam? an res illæ non sunt, quid quisque agere debeat,ut recte,honesteque vivat? quid in statibus singulis singuli. Hæc certè Augustinus ad sapientiam pertinere supponebat,supponetque omnis non stultus. Num negabunt Moralistas omnes, & libros eorum,non in uno aliquo, & aliquando, sed magis semper,quam sæpe dissidere inter sese? & ubi etiam in nomine conveniunt, dissentire in re,& sensu? Num forsitam dicant, dissentientes utrosque esse simul sapientes? Ergo sistendo in hac authoritate vel alterutrorum,vel utrorumq;etiam simul deficitur, & peccatur. Sed formalis quidditas probabilismi, & praxis vulgaria in hoc consistat, ut hæreat,sistatque in antbotitate ntrorum libet.Ergo tota quidditas sua est contra rectam inventionem veritatis, ac viæ salutis. Collatis deinde hinc, & hinc scholis, & opinionibus his contrariis,dicas certè,magis neutras victas,quam has præ illis esse victrices : & rectè Tullius de nat. Deor. de contrariis Philosophorum opinionibus asseruit; *quorum opiniones cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profectò potest, ut earum nulla; alterum certè non potest; ut plus una vera sit.* Et certè dissidentes inter se,& contrarioa simul utrosque sapientes haud esse, neque probandos, videt quisque naturæ lumine: & sic Hieronymus etiam in prol.ad. 11 lib.Isaiæ supponit: *Sin autem supra dictos viros magistros Ecclesia nominavi, illud intelligant, me non omnium probare fidem, qui certè inter se contrarii sunt,sed ad distinctionem Josephi, atque Porphyrii dixisse.* Sic & nos ad distinctionem Lutheri, Calvini, ac similium Magistros Ecclesiæ (vel in Ecclesia) nominare plurimos possumus; qui tamen,cum contrarii sint probari non possint,deest enim eminens illa victrixque authoritas,atque rem istam,relicto toto opere,demum firmat qu.3. proxima & exemplis humanis res alias, vel veritates alias quærentium in testibus v. g. in scriptutis, in bistoriis declaratur, commonstraturque.

§. VI.

Ejusdem difficultatis prosecutio; & quid de indoctis? & unam esse Quæstionem de inquisitione veritatis, & sapientis.

HInc venire potest Doctorellus ille,cujus §.4. memini,& venire multi Recentiores possunt, qui hinc veritatem invenibilem occlamant, & hinc sapientes plenis plaustris in biviis quibusq; inveniunt, & invehunt, de his liceat dicere ex 1. ad Tim. 1. *volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur neq;de quibus affirmant.* Nemo scil. intelligendo,quæ loquitur, & de qnibus affirmat, ea simul duo dicere potest, veritatem latere & sapientes patere,ut magis statim apparebit.Sed forte teneo ipsos,si eos intelligam,loqui de sapientibus secundum dici? non vero de sapientib. secundum esse,quod quippe citta veritatem non constat.

Posuit itaque Augustinus quæstionis de inveniendis sapientib. difficultatem sumptam ex contrarietate dissentientium de rebus fidei speculativæ, sive morum, quarum rerum cognitione constat sapientia,ut §. 4. exponebat Subdit mox,augetque veris argumento, quia qui veritatem non agnoscunt, nec sapientes agnoscere, dignoscereq; possunt, at qui stulti & ignorantes veritatem non agnoscunt; alioquin stulti non essent. Ergo stulti quærere,invenireque sapientes non possunt. Num Recentiores,hoc & vos non occlamatis? sed pridem confecta sunt omnia.*Sed quisnam iste sit* (scilicet sapiens) *cum ab stulto requiratur, inquit, quo pacto queat dignosci plane, atque percipi, omnino non video: neque enim signis quibuslibet cognoscere aliquid potest, nisi illud ipsum, cujus sunt signa, noverit: atqui sapientiam stultus ignorat: non enim ut aurum,& argentum, cæteraque id genus,& cognoscere,cum videas,& non habere concessum est : ita sapientiam mentis ejus oculis,qui ea careat, videri fas est. & post alia : quod autem intellectu capitur intus apud animum est:nec id habere quidquam est aliud, quam videre. Caret autem stultus sapientia,non igitur novit sapientiam, &c.nescit hanc igitur,& dum nescit, in alio loco cognoscere non potest summum in sapiens. Non ergo potest,quamdiu stultus est,quisquam certissima cognitione invenire sapientem, cui obtemperando tanto stultitia malo liberetur.* Dicite Patres scholastici non sunt,& satis explicare, formalizare, syllogizare nescierunt. Sed inquisitor egregius & exemplar ad Deum,ut pax est,recurrit dicens : *hunc igitur tam immani difficultati, quoniam de religione quærimus solus Deus mederi potest.*

Videre certè hic possunt si vulunt,ut & superius tractatum est,difficultatem istam implicatissimam, & laxas alias,quas de idiotis, ignorantibusq;movent,adversus inquisitionem & inventionem veritatis moralis, instari ad verbum in inquisitione, & inventione veritatis religionis,quæ tamen, ipsis quantumcumque obsistentibus haud dubie,& certissime necessaria est necessitate medii doctis,& idiotis ad salutem.Quin non est comparatio,& catholicis quibusq;idiotissimis facilior est inventio veritatis

veritatis moralis ad ſe pertinentium, quam non Catholicis aliis ingenioſiſſimis, litteratiſſimis, longiſſime à vero conſtitutis, ut Auguſtino, inventin veritatis religionis, ut his quæſt. palam fiet.

Sed illud hoc loco maximè annotandum eſt, quod adverſarii numquam aut intelligere, aut advertere volunt, & ſine quo controverſias iſtas nec attingere quidem unquam poterunt, ſcil. unam, & ipſiſſimam eſſe omnem de ſapiente, & ſapientia quæſtionem, & inquiſitionem, neque utrumq; differre magis, niſi quod alterum de concreto, de abſtracto alterum ſit, ut evidentiſſimum eſt. Unde qui ignorat, ubi ſit ſapientia, ignorat, ubi, & quis ſit ſapiens, & qui unum quærit, etiam quærit alterum, & ſimiliter etiam invenit. Quod patet in omnibus in Albo, in Divite, in calido, juſto &c. & liquet ex ipſa concretorum horum definitione. Ex quo patet, vix ſtolidis eum non eſſe annumerandum, qui fateretur quidem, ſe noſſe divites, ſcireque, ubi, & qui nam ſunt: ignorare autem divitias, & ubinam ſeu apud quos illæ ſint. Sic igitur etiam eſt de ſapiente, & ſapientia. Stultum ergo eſt dicere, ſe noſſe quidem ſapientes, & quinam ſint: ignorare autem, ubi, & apud quos ſit ſapientia: & alterum patere; latere vero alterum. Sed adverſarii noſtri, ut aiunt, agnoſcunt ſapientes, & ad manum habent eorum multitudines ſine numero. Stultitia igitur eſſet ſi dicerent, ſe neſcire, ubi, & apud quos ſit ipſa ſapientia, eamq; eſſe ininvenibilem. Cum rurſus ipſi obligent idiotas etiam, & idiotiſſimos quoq;, ut non ſuo, ſed ſapientium judicio regantur, & vivant, ſupponunt, quæri ab eis poſſe atq; etiam inveniri ſapientes: ergo etiam ſapientiam, niſi novos aliquos ſapientes novis effinxerunt ſapientiæ expertes, & vacuos; & ſic quoque divites. Vere neſciunt, de quo loquuntur; & cùm de ſapientibus, & prudentibus continuè verba faciant, quid his vocabulis intelligant, nec adhuc expoſuerunt, nec intelligent, opinor, unquam, niſi viam mutent.

Et hæc quidem ita de ſapiente, ſapientiaque. Jam eadem evidentia conſtat, & lib. 2. cum eodem Auguſtino ex lib. contra Acad. demonſtratum eſt, unam eodem modo, & ipſiſſimam eſſe omnem de ſapientia, & de veritate quæſtionem, & inquiſitionem, & eum qui inquirit ſapientiam, inquirere veritatem, & qui ignorat, ignorare; & utramque qui unam invenit invenire. Et hæc certè non opinabilia ſunt, ſed patentiſſima, niſi Logica omnis, & ſcientia, ac notio naturalis, ſenſuſque naturæ omnibus inſitus abolendus ſit. Concluditur: ergo una, eſſentialiſſimeque nixa eſt omnis de ſapiente, de ſapientia, & de veritate quæſtio, inquiſitio, ignorantia, invenibilitas, non invenibilitas; inventio, & non inventio Hic igitur vides & intelligis Recentiores moraliſtas, qui ſapientes habent, & ſapientes requirunt, & ad eos obligant: & veritatem non ſolùm non requirunt, nec ad eam obligant, quin ininvenibilem aiunt: & omnis ferme noſtra controverſia de hoc uno eſt, & poſt exitus, credo, mirabitur. Reflexæ verò abs re ſunt: quibus ſcilicet aſſumendæ ſunt opiniones, & dicta ſapientium: at ſapientes ſine ſapientia nulli ſunt; ſapientia item nulla ſine veritate; ergo quibus latet veritas, latent ſapientes, quorum opiniones, dictaq; reflexe aſſumant. Sed vobis, ut ultro fatemini, latet veritas ergo latent ſapientes. Quamdiu ergo reſiſtitis? vel coram, palamque mundo explicate, quinam, & quid ſint ſapientes veſtri? Num ſapientiæ expertes ſint? Quid item vobis ſit ſapientia? Num aliquid ſine veritate? & quid ſapiens, & quid ſapientia in cauſa religionis? hic caditis.

Relictis itaque nugis ad Auguſtinum, & ad ſapientiæ, veritatiſque, ii qui ſunt, amatores redeamus. Non aliud, quam veritatem, Doctor inquirebat, utque eam inveniret, ſapientes quærendos ſtatuit. Suppoſuit, vero ut præced. §. viſum eſt, & quod nulla vi rumpi poteſt eorum, qui de rebus ipſis quarum cognitione conſtat ſapientia, diſſentiunt, aut neutros, aut alterutros ſolùm eſſe poſſe ſapientes. Hinc illud ſequitur, in talibus abſque ulteriore inquiſitione non eſſe ſiſtendum veritatem inquirentibus, ut patet in cauſis religionis; & indagandam eſſe ulterius veritatem. Concordent igitur in primis intereſſe directis opinatores moraliſtæ, ſi non in omnibus ſaltem in pleriſque; & concordent iterum cum ſapientibus notis Eccleſiæ Dei: & tunc confecta ſunt omnia, & convenimus. Interea in ipſorum ita diſſidentium authoritate ſiſtere non licet; & ſi ſiſtitur, religio non quæritur, neq; lex quæritur; quia veritas non quæritur, ſed in bivio hæretur. Mox Doctor addidit difficultatem præterea illam, quod omnis quærens, quamdiu quærit, eſt ignorans: ſed ignorans nec ſapientiam, nec veritatem novit ergo nec ſapientem cognoſcere, dignoſcereq; poteſt, qui innoteſcere neqnit dignoſcenti ſapientiam, nec veritatem à falſitate diſcernenti. Sanctè porrò, ſapienterque cap. 25. Honorato ſuadet quamobrem *& ſi docere non valeo* monere tamen non deſino, ut quoniam multi ſapientes videri volunt, neque utrum ſint ſtulti dignoſcere facile eſt, omni intentione, votiſque omnibus; gemitibus denique, vel etiam ſi fieri poteſt fletibus, Deum deprecare, ut te ab erroris malo liberet, ſi tibi vita beata cordi eſt.

§. VII.

Concluſio Doctoris, quod primum quidem credendum ſit; ſed authoritati alicui non modo non vita, ſed etiam victrici & ſummæ ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ.

OBjectis difficultatibus invictus Doctor, veritatiſque in fratris amator fractus non fuit, ſed perſtitit, ab aliqua utique authoritate, & credendo eſſe incipiendum; & hunc eſſe modum quærendi, & ſic eo ipſo cap. 23. concludit: *recte igitur catholicæ diſciplinæ majeſtate inſtitutum eſt, ut accedentibus ad religionem fides perſuadeatur ante omnia,* idque cap. 2. multipliciter denuo ſtatoit: ac ſubdit: *at ille* (quippe Deus) *ut opinor quærenti monſtraturus eſt: ita enim ſcriptum eſt: quærens inveniet.* O ſi Recentiores hoc ſatis crederent? unde Doctori ubiq; velut clavis regia ad ſecundùm illa Iſaiæ ſententia fuit, *niſi credideritis non intelligetis.* Jam porrò ſatis non animadverſum eſt, Auguſtino, dum religionem quæreret, non hoc unum quæſitum, quid ſcilicet ſpeculativè eſſet credendum, ſed etiam quomodo honeſtè, religioſeque eſſet vivendum: & utramque veritatem inquirebat, ut ex ipſo lib. patet.

Ecce jam Doctor promit cap. ſequ. 24. quænam illa ſit authoritas, cui credidit ipſe, & cui omnes credere oportet: *quibus de illo;* (id eſt, de Chriſto) *crediderim,* ut ad te jam tali *fide præſtructus accedam* (eatenus, quippe Honorato perſonam agebat quærentis) *nullis, inquit, me vides credidiſſe, niſi populorum, atque Gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ: Hos autem populos Eccleſiæ Catholicæ myſteria uſquequaque occupaſſe,* atque iſtam Eccleſiæ Catholicæ authoritatem inventam, victricem, acemimentem c. 24. & 25. multis modis illuſtrat, ac multa ſapientia invenienda præcepta conſignat.

Postremò hujus ejusdem authoritatis eminentiam miraculis quidem cap. 26. sanctitate autem sectatorum cap 27. munit undique, & firmat. Ubi demùm concludit. *Hoc factum est divina providentia per Prophetarum vaticinia, per humanitatem, doctrinamque Christi; per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces sanguinem, mortes: per sanctorum prædicabilem vitam: atque in his universis per digna rebus tanta, atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula.*

Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantumque profectum, & fructum videamus, dubitabimus, nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circum latrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipites arrogantiæ. Hæc magnum lumen Ecclesiæ.

Vere enim his mente complexis quivis oculis ipsis cernet visibilem factam promissionem Christi ad Petrum dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ inferi non prævalebunt adversus eam?* Omnis scilicet nugis hæreticorum, & aliorum non satis ritè Catholicorum de sensu promissionis, de ipsa sede Apostolica, quam proponit Augustinus; de sede ipsa Petri jam saltem tot sæculis visibile factum est promissum salvatoris; numquam enim & nuspiam cum Ecclesia Catholica, quæ culmen authoritatis obtinuit, pugnarunt portæ inferi, aut pugnarunt errores, & hæreses; quæ conjunctim cum sede Apostolica non pugnaverint; & nullos, & numquam, & nuspiam Ecclesia vicit, quos, & ibi non unà vicerit sedes illa: ergo utriusque juncta est victoria, & utraque una culmen authoritatis obtinuit; *cui nolle* (ut frustratores bullarum victricis sedis advertant) *cui inquam nolle primas dare*, & quoscumque quantosque non subjicere, *vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Sic similiter nulli unquam martyres, nulla eorum, qua Augustinus granditer complectitur, authoritatem Ecclesiæ usque ad culmen authoritatis provehunt, quæ sedem simul illam non evehant: sicut enim omnia in Ecclesia facta sunt, & ejus veritatem victricem ostendunt, sic omnia sub sede illa, & ab eis subjectis peracta sunt. Ergo & illam instar petræ fortissimam & invictam esse, & Ecclesiam super eam ædificatam prævaluisse, eisdem omnibus modis jam mundo demonstratum est frustra circum latrantibus hæreticis, schismaticis, semischismaticis, politicis. O concedat Deus vitam, si pro gloria sua futurum est, ut sanctam Apostolicam sedem, quæ victrix semper permanebit, ab hostibus suis præ imperitia, præ arrogantia nimium multis etiam ego tot inter summos viros tueat.

Multa etiam in hanc authoritatem statuendam, cui prorsùs credendum, standumque sit jam Ecclesiam, jam scripturam loquendo, confert lib. 6. confess. *jam credere cœperam* (ait cap. 5.) *nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes jam terras authoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses:* ex quibus, & aliis, quæ prosequitur, ac in aliis etiam operibus cumulat, aurum illud deprom ptum est, Domine, si error est, quem credimus, tu nos decepisti; quia scilicet ita res humanas administravit, ut huic Ecclesiæ, huic ejus scripturæ, huic sedi (hæc quippe tria nexa sunt) culmen illud authoritatis adversus omnes, & adversus omnia per ætates, & sæcula obtigerit. & tamen, si Deo placet, si hæc authoritas, si hæc victoria, ac eminentia, quam Dei gratia oculis pæne videmus, certo, manifeste, invicte pateat, demonstreturque, cadit continuo fides nostra, ut Recentioribus quibusdam placuit; de quo aliàs plenius egimus.

§. VIII.

Hinc ergo cum Augustino sectarii veritatem fidei; & Recentiores moralistæ, veritatem moralem invenire possunt si volunt.

SÆpius cavi, caveoque, nos longè abesse abæquandis sectariis & Recentioribus: absit planè temeritas, & lib. 1. & 2. Notabamus de peccato, non de tanto esse sermonem; sicut peccat quidem blasphemus, & peccat fur; ille tamen multo atrocius. Sic etiam hæreticus peccat, & qui voluntario errat in doctrina morum, peccat; uterque sanè peccat: scelestius tamen ille, non ergo, ut offendamus; non item frustra, & ultro utrosque simul ponimus; sed quia ut sapientes docent, per nota in ignotis regimur. Sunt porro in orthodoxos notissima ea, quæ pro veritate fidei, & invenibilitate ejus, & modo à tot viris sapientibus collata sunt. Nos autem contendimus, utriusque causæ, sive fundamenta sive argumenta contraria considerentur, unam esse rationem, quin difficiliorem esse causam veritatis fidei, quam veritatis moralis, qui illa cum magis à vero distantibus est, ipso proinde doctrinæ ordine, & necessitate utrosque conferimus, sed non in tanto: & consultum præterea est sectarios nunc etiam iterum frangere.

Diximus ergo, utrosque cum Augustino invenire posse veritatem, vel fidei, vel moralem, si volunt: & si ut ad finem operis Augustinus Honorato pro ingeniosis præscribit, *bono ingenio Pietas, & pax quædam mentis accedat*; ubique enim ingenii fastus sternendus est, & de sectariis quidem patet aperte; quia nulla unquam fuit authoritas, authoritati Ecclesiæ Catholicæ, vel ne nobis cognomen nostrum denegent. Ecclesiæ Romanæ par & æqualis nam quæcumque hactenus hæreses ante præsentes factas eum ea contenderunt, victæ sunt, ipsaque victrix permansit: nulla vero præsentium sectarum sic vicit; quam enim hæresim hactenus extinxerunt? nullam plane. Ergo major est vis, & authoritas Ecclesiæ Romanæ: ergo hæc est victor illa authoritas; Hæc culmen authoritatis illius tenet à cujus fide (acquisitam intelligo, sed firmam) quærens omnis incipere debet, ut veritatem religionis, fideique inveniat. Rursùs quia Augustinus hujus Romanæ Ecclesiæ gremio se concedendo & incepit, & vere invenit: nemo enim etiam sectariorum audeat vel dubitare quidem, aut Augustinum veram religionem, non invenisse, aut Augustinum in gremio Ecclesiæ Romanæ, non vixisse; imò tunc illam invenisse, quando hujusse Ecclesiæ gremio condidit Rursùs quia præsentes sectæ eum ea Ecclesia maximè disputant, cumque omnes retro hæreses contenderunt: hæ autem victæ ab ipsa sunt: ergo & hæ sternentur. Valet consecutio in hac

materia

materia; quia nec sectariorum multitudine & consensu; nec temporali potentia ulla sectarum præsentium æquat verbi gratia, secta Marianarum; quæ ergo adversus hanc prævalent, & vicit; vincet sane, & prævalebit adversus præsentes tam multiplices, & varias: ergo culmen authoritatis tenemus. Item quia jam sectæ refrigescere, vincique incipiunt, ut videt Mundus. Item quia Gentilismum, & veteres sectas haud vicit Ecclesia Romana viribus humanis, in quo ab Arrianismo plane vincebatur. Vicit ergo virtute, & providentia Dei: resumuntur ergo pro ejus eminenti authoritate, quæ Augustinus præc. §. ex Dei providentia depromebat. Iterum quia quæcumque pro authoritate, & veritate rei Christianæ afferri possunt, & afferebat Augustinus, in Ecclesia Romana peracta sunt, vel dent nobis ullos ipsis & nobis probatos martyres, vel sanctos ab Ecclesia Romana separatos, & divinos? qui porro sibi simul, & nobis probati non sunt, in controversia, & ipsi nostros negant, & nos vicissim suos: per quos proinde controversia dirimi nequit, quibus ergo mediis, & mediis statuitur authoritas Ecclesiæ Catholicæ, eisdem in specie, & in dividuo evincitur authoritas, Ecclesiæ Romanæ. Hæc ergo culmen tenet authoritatis, à cujus in primis fide incipiendum sit, & hic est modus tectus quærendi tanto ingenio ab Augustino doctrina, & exemplo ostensus.

Illud præterea sectarios simul, & Moralistas omnes à dissentientium opinionum fluctibus ad altiora, certioraque capur erigere nolentes dejicit, quod §. 5. ex eodem Augustino sancitum est, & Logicè & Metaphysicè adversus contentiosos quosque demonstratur, nempe dissentientes de rebus, quibus constat sapientia, vel neutros, vel solùm alterutros esse sapientes; atque in eorum authoritate haud esse sistendum, nisi altera partium victrix appareat, & eminentem authoritatis gradum adepta sit. Quod ut in sectis exponam, ecce sunt modo apud sectarios Ecclesia Anglicana (transmirramus nomen) Ecclesia Batavorum, alia Suedensis, alia Danensis, alia Genevensis, & sic aliæ, & intra unamquamque aliæ subjectæ. Hæ omnes Ecclesiæ singulæ singula capita habent, dogmate discrepant: & tam sunt totales, & distinctæ; atque Regnum Hispaniæ, & Regnum Galliæ sunt duo Regna totalia, & inter se distincta. Jam harum Ecclesiarum reliquas saltem præter unam in fide errare, neque esse Ecclesiam Christi, quæ una est, est per se notum, vel ex per se notis proximè idiotæ cuique, & stulto demonstrabile eo principio Augustini de dissidentibus inter se. Nemo porro eorum, qui unius earum Ecclesiarum est, habet vel umbram quidem rationis & fundamenti, cur potius authoritati Ecclesiæ suæ verbi gratia, Anglicanæ se committat, fidat, & credat, quam Batavensi, vel Danensi, vel Suedensi, nisi quod illa suæ terræ sit, quam rationem etiam Turcæ habent, & religio sit nationalis: quod enim Regnum unum alio majus sit, vel potentius, abs re est, & in Ecclesia Romana sunt Regna majora, & potentiora. Unde sic arguitur: qui nullam habens rationem uni præ alio in dissidio se committit, fidit, & credit, temerarius est, & eo magis, quo majoris ponderis est negotium. At Anglus, vel Genevensis, nec umbram quidem rationis, & fundamenti habet, ut suæ magis Ecclesiæ, quam tot contrariis se committat, fidat, & credat: est autem negotium summum. Ergo summe temerarius est. Minor, patet; quia nulla earum Ecclesiarum præ alia habet, unde se præ aliis ostendat vel non victam, vel victricem; & in summa esse eam Ecclesiam, quam ea notione Dominus designavit, quod portæ inferi non essent prævalituræ adversus ipsam. Hæc porro argumentatio eodem modo struitur adversus moralistas prædictos sumendo vel scholas, & scholas; vel Authores affirmantes, & negantes in duas Classes, vel plures distribuendo, atque in eis sistendo. Duas evasiones habent hoc loco sectarii, & ambæ Moralistis prædictis eodem modo conveniunt. Una est provocando ad examen vel rerum, & articulorum, vel ad examen scripturarum. Altera laxior illa est, quam plerique sectariorum arripuerunt, scilicet singulos earum Ecclesiarum in suis Ecclesiis, & religionibus, & nos quoque in nostra posse salvari, esseque dissensionem, & differentiam, non in essentialibus, sed in accidentalibus, & nullatenus necessariis ad salutem; sicut sunt differentiæ scholarum nostrarum quod plane aliud non est, quam putus Probabilismus in causa religionis, à Donatistis, quod sciam, primo in hac materia inductus à Mahometo de in secutus; & à sectariis demum arreptus, ut tractavi alias. Probabilistæ vero morales ægre ostendent hunc sectariorum Philosophandi modum in casu religionis quasi de secundariis, ut aiunt, & accidentalibus valere non posse, si in moralibus verbi gratia, in materia dilectionis Dei valet. & sufficit; cum Deus noster universim haud magis nec pluries præceperit credere verba sua, quam custodire verba sua, & legem suam; nec in specie magis fidem, quam charitatem, & dilectionem, seu fidem, quæ per charitatem operatur, injunxerit. Si ergo in altero probabiliter lex, probabiliter charitas sufficit, valetque, etiam in altero sufficeret, & valeret. Quod porro Ecclesiarum illarum differentiæ probabiles non sint; primò nobis probabiles non sunt, & vere non sunt; sed tamen sibi sunt: & deinde si Ecclesia eas nec nunc, nec antea damnasset, sed tolerasset, sicut differentias de lege, & charitate, remansissent probabiles probabilitate impunitatis, & tolerantiæ, sicut hæ aliæ: quas etiam satis compescuit, notavit, & taxavit in universali Alexander VII. Ecclesia ergo eas differentias Ecclesiarum damnavit, quia sancte tenet, non probabiliter verba Dei, id est, verba, & non verba, & contraria, sed ipsa re ipsa verba Dei esse credenda: sic autem ipsa reipsa Dei verba custodienda, facienda, & servanda sunt, nisi scriptura omnis fallat, & Ecclesia supponit, quoties falsas opiniones morales ferit, & damnat.

Nunc ad sectarios, primò illa evasio alias eversa est, ac sexcentis denuo modis everti denuo potest. Ecce nuper legebam in Hieronymo ad cap. 9. Danielis, & in Bellarmino lib. 1. de verb. Dei cap. 15. computationem illorum annorum Regni Persarum, de quo fit mentio lib. 1. Machab. cap. 24. quæ inter alia discutienda est, & scienda, ut constet, libros Machabeorum esse, vel non esse Canonicos, & quod est consequens, ut sciatur, utrum pro mortuis sit orandum, si per rerum examen quærenda est vera religio: & sic similiter, computatio illa hebdomadarum Danielis probe callenda erit. Legat porro quilibet vel

harum solùm duarum rerum examen, & disputationem; & ipsa lectione sordidos existimabit quoscumque ad rerum examen provocantes: & multa si fides absit, utrumque opinabilia inveniet; & pleraque videbit excedere captum multitudinis, & ignorantium. Rectè igitur Augustinus sanxit, ab aliqua authoritate, eaque cæteris contrariis superiore, non victa, sed victrice esse incipiendum. Quod & alio opere plenius stabilivimus.

Secundam similiter evasionem ibidem attrivimus, & nunc denuò universo hoc opere prosternitur. Nam confectum sæpe est authoritate, & ratione probabilismum illum, nec respectu legis quidem, & in moribus valere. Ergo minùs in fide, quod si sectarii replicent; cur ergo in Ecclesia Romana similia tolerantur? Respondeo primo: ægre tolerantur, & satis vel unus Alexander ocriculi fideles omnes commonuit. Respondeo deinde, prædictum satis fuisse à Domino ipso, in agro suo, id est, Ecclesia super seminanda zizania, quin etiam toleranda, quamdiu oportet, de quo lib. 2. nec tamen ideo ab agro egrediendum est.

§. VIII.

Ergo accipiendo, & sequendo sapientes, & libros, quos hac victrix Ecclesia nobis porrigit, facile utraque illa veritas invenitur, ut invenit Augustinus.

NIhil est in ore Recentiorum tritius, quam ista ad sapientes, prudentesque provocatio quo etiam Aristotelem ex topicis, & Ethicis in auxilium vocant: & quamquam satis clare, & sæpe sensum nostrum explicuerimus, videntur existimare, nos judicium, fidemque sapientium recusare, in quo egregiè falluntur. Ecce itaque admittimus probamus, & votis omnibus amplectimur Appellationem ad sapientes. Sed hoc erat Augustino labor, & dolor, quinam nimirum essent isti sapientes? in quo planè Augustinus, & ego distamus toto cælo ab adversariis; nam his omnes controversi, & controvertentes, dissentientesque Authores, & vix non librorum scriptores omnes, ac libri etiam ipsi sapientes sunt: Augustino, & mihi, & rem, opinor, considerantibus quibusque utrique saltem diffidentium sapientes non sunt, sed ut summum alterutri; quos, ut dictum est, discernere plane nequeas, non enim via authoritatis, nam neutri vicissim præ aliis eminent; nec item rerum ipsarum examine; quod repulsum est.

Augustinus igitur à controversis, & incertis caput erigens victrice authoritate Ecclesiæ Catholicæ pedem primum fixit, & ejus se gremio condidit: quo etiam scivit, quod §. 3. desiderabat, ubi veri Codices, librique essent, & unde, & à quo eos acciperet. Scilicet ab hac ipsa Ecclesia, quæ culmen authoritatis obtinuit. An enim hæc Ecclesia vel purum nomen est, vel idea aliqua Platonis, vel quidpiam intra intellectum, & non in rebus existens? vel libros, & sapientes certos & minimè controversos non habet, qui utramque illam veritatem apertè tradant? vel habet quidem illos, sed ignotos, & absconditos, quos invenire nequeas?

Nihil profecto horum. Abundat ipse sapientibus certissimis, notissimis, & nec apud sectarios quidem jam hodie controversis; quos nobis citrà circum loquia, & ambages suis etiam nominibus designat, & duces, ductoresque viæ porrigit. Quæris forsitam, quinam sint? sunt in primis, & in primo gradu scriptores Canonici, ut cæteros mittam, David, Isaias, Ezechiel, Hieremias, Salomon, Ecclesiastes &c. & Evangelium Domini nostri Jesu Christi: Petrus, Paulus, Joannes, Judas, Jacobus. Sunt in secundo gradu concilia generalia, & Definitiones, & determinationes doctrinales Romanorum Pontificum; quibus scilicet omnimodam indefectibilitatem in doctrina fidei, & morum attribuimus. Sunt tertio gradu Doctores, quos ipsa illa Ecclesia Doctores suos effecit, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Chrisostomus, Basilius &c. Clausis etiam D. Thoma, & D. Bonaventura, & alii, quos Ecclesia ipsa instar horum facit, Cyprianus, Irenæus, Ignatius, Dionysius, Bernardus, Isidorus, fulgentius, Prosper, & similes: quorum authoritate & Ecclesia ipsa, & nos quoque res probamus. Hos sciendos, & sequendos Ecclesia hæc ipsa nobis porrexit, eorum doctrinam probando, eorum dictis in conciliis suis perpetuo utendo: quos velle quatere est planè Ecclesiam ipsam velle quatere; nosque filios suos instituit dicendo: *Deus qui Populo tuo verbi gratia, Beatum Ambrosium Ministrum tribuisti præsta, quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris &c.* Ut quæst. 8. latius differemus.

Quod autem Recentiores quidam evertere velint authoritatem sanctorum, & novissime quidam nixus sit ostendere, eos etiam esse sibi contrarios in doctrina morum, & Hieronymum approbasse simulationem; Augustinum vero reprobasse; item Hieronymum negasse, licere unquam jurare, & Augustinum affirmasse, licere. Quod inquam hæc & similia effutiant miserandum planè est, & rerum statum demonstrat. Multa cursim respondeo inepto homini. Primò cur de Theologia morali scribere ausint, qui norint ipsam Theologiam, & Hieronymum, & Augustinum quoad hoc facilè hic homo conciliasset, si 2. 2. q. 111. de simulat. quæst 89. de jurament. novisset. Secundo non vident hoc uno everti universam Ecclesiam dempta Patrum authoritate; nam quoties vel ipsa determinat, vel viri orthodoxi hæreses oppugnant, an non authoritate eorum in singulis, & omnibus rem agunt, & vel sectarii etiam ipsi eorum authoritatem reverentur? Porro si solutio illa tolerari posset, eos etiam inter se extitisse discordes, non vident, hoc à sectariis resumi eodem modo posse, & hoc uno potissimum fere robur orthodoxorum everti? nam hoc dempto, cum sectarii authoritatem Ecclesiæ non admittant, ad unam scripturam quæstio omnis devolvitur, ut volunt illi. Tertiò opponant hoc Ecclesiæ, quæ Doctores discordes nobis vitæ Doctores assignavit. Quartu opponant ipsi cor per eorum examen veritatem Quærat? Quinto dato quod Hieronymus in materia simulationis & juramenti defecisset, quod penitus nego, jam hi lapsus in Ecclesia innotuerunt, nec vacat propter istum Recentiorem, hoc ex epistolis Hieronymi, & Augustini commonstrare. Sexto dato Hieronymum defecisse bis, aut ter, Respondeo ex Ethicis, una hirundo non facit ver, nec propterea Hieronymus notorius, certusque

sapiens

sapiens, & Doctor maximus esse desineret. Nos porrò repellimus Authores non semel, aut bis, sed magis semper, quam sæpe dissentientes in doctrina morum. Postremo rogo Recentiorem istum, & sui similes. Si scripturas requiramus, hunc aiunt (quis credat?) esse spiritum hæreticum: ô plane blasphemiam! si Bullas Pontificias, decretave proferamus, aiunt non esse receptas. Si sanctos Patres loquamur Theologi scholastici non fuerunt; exacta oratione non sunt usi: modo concionatorio egerunt; inter se dissenserunt. Quid vero hinc? Planè ut relictis omnibus, ipsi omnia sint, non fiet, credant, & Ecclesia prævalebit.

Itaque habemus in Ecclesia quosdam certissimos, notissimos sapientes, quos nobis ipsa sequendos ministrat: habemus in Ecclesia,& extra Ecclesiam alios sapientes, ut plurimum controversos,& qui utriq; sapientes simul esse non possint;& forte nulli sint. Jam non de salute animæ, & summa rerum,sed de salute filii,quin non de salute filii sed de uno ovolo tractaretur. Quisprorsùs mentis non impos, vel dubitaverit quidem relictis his controversis sapientibus, ad certos, notosque eos sapientes pro utraque veritate esse eundum? quod satis hac quæstione Augustinus plane demonstravit.

Ita certè fecit ipse: nam ut lib. 7. confes. cap. 20. memorat lectis Platonicorum libris plenus erat quæstionibus: *& garriebam plane, ait, quasi peritus, & nisi in Christo salvatore nostro viam tuam quærerem, non peritus, sed periturus essem, ubi enim illa ædificans charitas à fundamento humilitatis, quod est Christus Jesus?* & ubi hoc ipsum rogo humillime, in aliquibus libris moralibus non Platonicorum, sed Christianorum? aut quæ fabrica & ædificante charitate à fundamento humilitatis ex talibus doctrinis extructa est?

Sic quæstionibus plenus Augustinus, *avidissime arripui*, inquit, *venerabilem stylum spiritus tui* (hoc est, scripturas divinas) *& præ cæteris Apostolum Paulum: & perierunt illæ quæstiones.* Perirent sane, perirent, non dubito, plurimæ quæstiones morales, si avidissime arriperentur scripturæ Dei, & crederetur, in eis, & per eas nobis ostensam esse vitam Christianam, ac salutis viam, de quo aliquid magis in specie decursu dicam, ostendamque, quo pacto, acceptis priocipiis scripturæ in sensu ipsæ sanctæ Matris Ecclesiæ, plurimæ qoæstiones sint de subjecto non supponente, & aliæ ex falsis principiis subortæ.

Jam demum quando utramque veritatem Augustinus invenit, cum amarissima contentione renuebat,& volebat converti; *& ecce*, inquit lib. 8. cap. 12. *audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebro repetentis quasi pueri, aut puellæ nescio.* Tolle, lege; tolle, lege, & post pauca: *repressoque impetu lachrymarum surrexi, arreptoque codice, Apostoli aperui, ait, & legi: non in commessationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitiis: non in contentione, & æmulatione, sed induite Dominum Jesum Christum: & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Atque hoc uno intus operante gratia Dei, omnes Augustini intellectus, & voluntatis difficultates dissipatæ sunt, & voti compos evasit, utramque & religionis, & morum verissimam doctrinam plenissime adeptus est, & quot plane quæstiones morales hoc uno textu Apostoli intercipiuntur? si vere, si sincere, si practice accipiatur?

Ad me, ad te, ad omnes hæ voces sunt, quas conscientia, quas Angelus Dei unicuique suggerit: *tolle,lege: tolle, lege.* Quid vero est legendum, si quidpiam est legendum, nisi liber Dei? *erratis*, dixit Dominus ad illos; & *erratis* dicit ad nos, *nescientes scripturas.* Hoc grande malum est nullis argutiis satis excusandum, voluntarium sane.& principium malorum: sed prædicta est per Prophetas sterilitas futura, & fames verbi Dei, Doctrinæ, & panis justorum.

Utriusque hujus quæstionis summam Dominus Matth. 7. sancivit inter plurima alia morum præcepta dicendo: *omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea* (utromque enim requiritur) *assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram, & omnis, qui audit verba mea hæc & non facit ea, similis erit viro stulto: qui ædificavit domum suam super arenam: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt domum illam, & cecidit: & fuit ruina illius magna.*

Agit quidem Dominus de audiente verba sua & non faciente ea; quæ à fortiori comprehendunt non audientes, vel ea quoquomodo audientes, sed non in eis, sed alibi ædificantes, seu eorum loco facientes revera contrarium probabile. Argumenti porro vis, & robur eo revocatur, quod sapiens ille sit, qui super petram; stultus ille, qui super arenam ædificat. Unicuique sanè nostrum tradita est domus sua ædificanda vita sua, & salus sua. Ecce adsunt & petra, super quam ædificemus domum uniuscujusque nostram, scilicet verba, & doctrina Dei ab Ecclesia, & sanctis declarata, de quibus verbis scriptum est, *cælum, & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt*: & ecce adsunt authoritates quædam incertæ hominum inter se diffidentium nec verbis Dei, sed rationibus suis fundantium plerumque, quoddicunt. Ergo qui dimissa hac arena, in petra illa domum suam ædificat, sapiens est: stultus vero, qui contra facit. & ucc..is, ac humanis fundamentis vitam suam inædificat, & deinde experientia demonstrat, eos. qui vero Dei, & fidei firmiter inhærent, in eisque fundatam habent domum suam, non cadere, quamquam descendat pluvia tentationum, &c. Cadere vero facile eos, qui opinionibus vivunt, fierique ruinam magnam.

QUÆSTIO VI.

Utrum ergo secundo, sicut vera doctrina fidei sic etiam morum inveniri, innotescereque possit per ejus perpetuitatem in Ecclesia?

PRimum modum inveniendæ veritatis totius religionis, & doctrinæ morum tradidimus quæst. præc. exemplo & documentis Augustini. Nunc secundùm modum sumus ostensuri per ejusdem veræ doctrinæ morum in Ecclesia Dei perpetuitatem, ut porro certius, patentiusque arguamus p.æ manibus ubique f.rimos exemplum fidei, inquam, fidei sensu adversatiorum accepta fide: nam de cætero jam Augustinus quæst. 4. notabat, nullas Apostolorum epistolas de

de fide quasi seorsim a motibus scriptas esse, sed omnes illas esse utroque sermone, & fidei mysteriorum, & morum contextus: & idem est de Evangeliis, de Prophetis, & pletisque librorum sacræ scripturæ.

§. I.

Valet primum ratione ista consequentia: vera doctrina fidei fuit perpetua in Ecclesia: ergo & vera doctrina morum.

Circumscribendus primum est sensus quæstionis. Neque etiam de ea nuptimis veritate morali tractamus, quæ de iis legibus fit, quæ non semper in Ecclesia fuerunt, sed post vel Ecclesia, vel Princeps, aliusve superior condidit: ideoque quæstio maximè est de vera doctrina morali juris naturalis, & divini; quorum nullum additum est post consignatas scripturas: sicut etiam nulla Dei revelatio, quæ fidem publicam, & Ecclesiæ fundet, super addita est.

Deinde sensus non est, rectam, veramque doctrinam morum crescere in Ecclesia non potuisse; quemadmodum etiam doctrina fidei crescere potuit, vel etiam crevit, ut quæst. seq. Exponemus. Inquam. crescere potuit, conferendo sæcula Ecclesiæ cum aliis; non tamen conferendo cum omnibus; nihil scilicet ut arbitramur, fit unquam de fide, quod tempore saltem Apostolorum tale non fuerit. Atque eodem modo philosophamur de recta doctrina morum juris saltem naturalis, & divini.

Quæstio ergo est magna ex parte collativa veræ doctrinæ morum cum vera doctrina fidei. Et quærimus, utrum sicut vera doctrina fidei perpetua fuit in Ecclesia Dei, & nulli statui, nulli fidelium, nisi per ipsum steterit, de fuit in Ecclesia vera doctrina fidei sibi necessaria ad salutem: sic pariter sit tenendum, de vera, rectaque doctrina morum pro statibus omnibus, & singulis fidelibus necessaria? Quo ex loco tetundemus, Deo juvante, Moralistarum quorundam fastum existimantium. aut se novam quandam scientiam invenisse, quæ non esset: & quæ hoc ipso falsitatis convincatur, aut sine suis libris, & casibus fideles vivere non posse; neque scire, quid sit sibi faciendum, aut quomodo vivendum.

Conclusio hujus quæst. est, valere primùm ratione arguendo consequentiam istam: vera doctrina fidei fuit perpetua in Ecclesia: ergo & veta doctrina morum. Antecedens est catholicorum omnium adversum sectarios, qui nullo alio modo efficacius evertuntur; & ratione & authoritate multipliciter statuitur. Ego sic causam istam egi cum sectariis, ut me quidem reum; ipsos Auctores efficerem, quibus probandis onus incumberet; eorumque totam nationem ad unum entymema provocavi, cujus antecedens, & suum esset, & nostrum; consequens vero nostrum: quod tamen ipsi necessario probarent probando antecedens suum & nostrum.

Entymema quod facile ad syllogismum reducitur, est hoc. Est nunc in mundo veta religio, & fides: fuit ergo illa semper Antecedens non modo sectariis, sed omnes quarumcumque religionum cultores admittunt; siquidem uniquique aliquam religionem habent, eamque veram, vel censent, vel ore saltem dicunt. Ea ergo via primum rationis suadeant antecedens antecedens vel sibi, vel nobis & planè eisdem verbis stabilient consequens.

Forsitam causantur omnium gentium semper, & ubique consensum, quod veta religio esset in mundo; & si deinde dissiderent, quænam illa esset. Addent, verum esse, quod omnibus semper, & ubique videtur; talia hominum, sed naturæ ipsius esse judicia, & hoc totum non magis probat, nunc esse, quam semper fuisse, ut pater Prodant fori Dei erga creaturas suas omnes & maximè erga intellectuales beneficentiam, providentiam, curam, & quidquid hoc ex loco dici potest, statuit consequens, ut cernitur.

Quod si ex eo arguant, quod naturæ Authoribus hominum creaturam suam de aliis instituerit, prima quædam scientiæ somnia, & principia, ex quibus disceret, ac proficeret, ei in lendo, & ingerendo: à fortiori proinde ei providisse, quomodo & creatorem suum coleret, veramque religionem consequi posset. Pariter etiam hoc, quod antecedens validè statuit, firmat eadem planè vi consequens: & semper invictè habetur, vel veram religionem nunc non esse, vel perpetuo fuisse.

Si postremo ex fine arguant, ex quo ubique clarissimæ demonstrationes conficiuntur, Deum scilicet hominem ad beatitudinem condidisse, eaque de causa irrequietum etiam beatitudinis appetitum, quo in omnibus moveatur, ei injecisse, ut hoc continuo stimulo eam vel invitua quærere cogeretur: ac proindè Deum ipsum haud dubiè media providisse, quibus nisi homo oscitaretur, ac negligeret, pervenire ad finem illum posset: inter hæc porro media unum potissimum, & reliquorum quasi fundamentum esse veram religionem, ac veri Dei verum cultum. Hæc ad verbum cuncta, & omnia allegabilia consequens illud non minùs, quam antecedens commonstrant.

Hinc maximè sectarios & Mahometanos dissipavimus: vestræ religiones nec semper fuerunt, nec verè alicui quæ immediate ante esset, successerunt: ergo vestræ religiones veræ non sunt, antecedens patet de Mahometania; nec enim vel Judæis, vel Christianis, vel Gentilibus successerunt; nec assignare ullam religionem antea veram possunt, cui successerunt, & cujus quasi hæredes fuerint. Eadem evidentia patet de sectariis: nam immediate ante ipsos erat Ecclesia Romana; quam potiùs ut falsam reliquerunt, & oppugnarunt. Deinde etiam patenter constat, quamquam nec hoc sufficeret, veteri Ecclesiæ eos non successisse; nam sancti veteres martyrum solemnitates celebrarunt; pro mortuis orandum esse tenuerunt: Corpus Christi in eucharistia agnoverunt: quæ & alia tam sunt aperta, & notoria; atque est notorium extitisse Chrysostomum, Augustinum, & cæteros Patres, aut eorum nobis superesse opera, & confessionem: & similiter patet eos non defecisse à Romano Pontifice, ut dictum est demum quæs. prox. ergo palmari evidentia concluditur, suas religiones veras non esse, & veram semper extitisse. Unde sectarii, ut exitus probat, facile Atheistæ quoad religionem fiunt: quicumque enim semel sibi persuaserit, fuisse ætates aliquas, vel sæcula sine vera religione, & fide, facile credet, vel saltem hærebit, vel dubitabit, forsitam nec nunc esse.

Nunc

Nunc ad veram doctrinam morum; & quamvis argumentum univerſaliſſimè, ſicut de vera religione ſtrui poſſit, illud tamen ad terminos Eccleſiæ claudimus; fruſtra enim ad eos, qui foris ſunt, de moribus diſſeramus, cum extra Eccleſiam nulla ſit rectitudo morum, & juſtitia propoſuimus itaque, valere rationis via conſequentiam iſtam: vera doctrina fidei, ſcilicet neceſſaria, & ſufficiens, fuit perpetua in Eccleſia: ergo & vera doctrina morum, ſcilicet ſufficiens, & neceſſaria pro ſtatibus ſingulis, & omnibus. Antecedens eſt omnium Catholicorum contra ſectarios, & hinc eos cuncti evertunt. Conſequens porro eiſdem ad verbum mediis probabunt, quibus antecedens, ſi quoſcumque adverſantes actores faciamus, ſuumque, & noſtrum antecedens commonſtrare cogamus: quod ut clarius pateat, ecce nunc fingo, & perſonam ago negantis antecedens: etenim ea ipſa movere debent, quæ nuper poſita ſunt. Primò Gentium conſenſum, & naturæ judicium proferunt, & hoc pariter probat conſequens: nam ſicut nulla uſpiam natio viſa eſt expers religionis, ſic nulla ſine legibus; & gentes ſicut religioſæ, id eſt, religionum cultrices; ſic omnes morales inventæ ſunt: quibus eſſet ſuum bonum, & malum: turpe & honeſtum; pœnæ, & præmia; laus, & vituperium: quamquam ſicut in religionibus, ſic etiam in legibus deſipuerint. Naturæ ergo judicio, omniumque conſenſu ſic conſtat perpetuitas rectæ doctrinæ morum, qua homines boni eſſe poſſint; ſicut perpetuitas veræ religionis. Medium illud item alterum, ex Dei erga creaturam ſuam, maxime vero erga intellectualem beneficentia, providentia, & cura, utrumque eodem jure convincit. Quod rursùs Deus, qui ad alia ſecunda hominem inſtiruerit, à fortiori ei providerit principia, quibus & veram religionem, & verum creatoris ſui cultum conſequi poſſet, id ipſum de principiis veræ, rectæque doctrinæ morum conficit: ſine quibus ſcilicet nulla religione placere homo creatori ſuo potuiſſet, & ſic Theologi omnes conſentiunt, immiſſa fuiſſe homini prima quædam principia doctrinæ morum, utique vera, & ex quibus non vera, & falſa, ſed ſolum vera colligeret: ſicut agricola. Haud ſane triticum ſeminat, ex quo pariter triticum, ſolumque naſcatur, ubi obiter ſectarii, qui ad ſolam fidem juſtitiam, juſtificationemque omnem reduxerunt, contra naturæ ſenſum, & & judicium ineptierunt, quo conſtat præter religionem requiri, præterea morum rectitudinem.

Poſtremo pro perpetuitate veræ religionis arguebatur, hominem à Deo conditum, directumque in finem, beatitudinemque aliquam; proviſa proinde ei fuiſſe media quibus pervenire poſſet: religionem autem, & verum cultum creatoris eſſe inter media unum potiſſimorum: Hoc portò de rectis moribus pariter evincit. Sicut autem verus Dei cultus ſine vera fidei doctrina non conſtat, ita neque morum rectitudo, ſine recta veraque morum doctrina. Quibus ergo modis, & mediis evincitur perpetuitas veræ doctrinæ religionis, eiſdem ad verbum conficitur perpetuitas veræ doctrinæ morum. Valet igitur ea conſequentia propoſita.

Inter orthodoxos autem res eſt potentior. Nullus enim rite Catholicus credere, aut perſuadere ſibi poteſt, veram fidem, eamque pro ſtatibus omnem ſufficientem, & neceſſariam de fuiſſe unquam in Eccleſia; nam alioqui deſtituiſſet nos Deus mediis neceſſariis ad ſalutem. At ipſa fides noſtra ſtatuit, ſe ſolam ad ſalutem non ſufficere, ſed requiri præterea bonos mores, & cum homo non intellectu ſolum, ſed etiam voluntate conſtet, utramque hanc potentiam eſſe rectificandam, ut vel boni ſimus, vel Deo noſtro placeamus. Ergo ſicut Deus numquam Eccleſiam ſuam deſtituit fide ſufficienti, & neceſſaria pro ſtatibus omnibus; ita neque doctrina morum ſufficienti, & neceſſaria. Ea porro morum doctrina, quæ Deo, ejuſque providentiæ tribui poteſt, haud dubie vera eſt, non falſa etiam probabilis. Valet ergo conſequentia.

Unde quidam, ex quo laudem mereri ſibi perſuadeant, inde rejiciuntur; exiſtimare enim videntur, inveniſſe ſe novam quandam ſcientiam moralem, eamque expeditam, quà & peccata tollantur, & plurimi ſalventur. Hæc ſanè laus laus non eſt, ſed impugnatio: & ſicut in religionibus arguimus, nova eſt; ergo falſa: ſic etiam in ſcientia morum ex novitate falſitatis evincitur. Ea vi tamen, non ideò negari à nobis, ſcientiam moralem creſcere potuiſſe, ut infra exponam; tamen propter ſufficientia, & neceſſaria, ut oſtenſum eſt via rationis. Inquam, rationis cujuſdam publicæ, & omnium; non rationum quarumdam privativarum, quas hic, & ille quotidie excogitant, haud majori labore, quam poetæ faciant verſus ſuos.

Aliud in idem formare poſſumus Enthymema ſic. Eſt nunc in Eccleſia ſufficiens, & neceſſaria doctrina morum pro ſingulis hominibus, ac pro ſtatibus omnibus. Ergo fuit illa ſemper in Eccleſia. Qui de antecedenti dubitat, facile morum curam relinquet, ut de ſectariis paulo ante dicebam. Quicumque vero illud accipit, cogendus eſt, ut probet; & nobis quieſcentibus una opera conſequens quoque ſtatuet.

Ex quo denuo conſpicitur, novos libros morales eorumque tantam multitudinem, quos ad vitam regendam tam neceſſarios arbitrari videntur, quam cibus ſit neceſſarius ad vivendum, non eſſe ſaltem ſimpliciter neceſſarios pro eo jure, quod ſemper in Eccleſia fuit. Sequitur: ergo ſolum ut plurimum neceſſarii eſſe poſſunt ſecundum quid, & ad melius eſſe. Quinimo ad hoc etiam genus illi ſolum pertinere poſſunt, qui ad eam, quæ ſemper in Eccleſia viguit, morum doctrinam propriè addiderunt, ſeu propriè auxerunt; non illi, qui aliam præter, aut contra illam attuliſſent, de quo inferius. Hinc etiam cernitur, veriſſimum eſſe, quod part. 1. & ſupra lib. 2. conſtituimus in morum doctrina, cæteris paribus præſtare Doctores priores poſterioribus, & præſentes futuris; & præteriti præſentib. Quod nunc idem via authoritatis eſt demonſtratum.

§. II.

Similiter authoritates probantes perpetuitatem vera doctrina fidei in Eccleſia, probant idem de vera doctrina morum.

HOc §. ſolùm authoritates aliquas ſcripturæ, eaſque non tam tractabo, quam percurram

rum; quarum scilicet locus est in causis religionis; sed ex his vulgatissimis notionibus causa hie nostra statuenda est, ut absolute & ad hominem liquido constet. Mirabere pro Recentiorum quorumdam pinguem sane imperitiam, qui exemplo novarum inventionum rei tormentariæ, bellici pulveris, artis bombardarum, & similibus novas ætatis opiniones morales, ætatemque ipsam commendant, quasi nunc demum, sicut cæteta illa inventa, ita ars quoque quasi nova vivendi, peccata vitandi, & plurimos salvandi excogitata sit. O vere in auditam miseriam? ô homines, si ad docendas artes bellicas, & nauticas Dei filius Deus de cælis descendisset; sicut de fide sole clarius est, eum inter alia ad hoc descendisse, ut factus unus Magister noster doceret nos, quid credere, sperare, timere, amare, odisse, agere, vitare deberemus, canere certè triumphum possent. Sed cum primum sit stultitia stultitiarum; secundum autem de fide publica, & notoria dum similia commiscent, demonstrant, quales vere morum Magistri sint.

Nugis itaque prætermissis, quibus eodem jure sectarii in fide ludere possent, primus, & in Ecclesia notus textus pro perpetuitate doctrinæ fidei sufficientis, & necessariæ pro universis omnino statibus, & officiis est Matt.18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Cum hic non cum hæreticis, sed catholicis res nobis sit, haud immorot in illorum ad hunc textum refutandis ineptiis, quas veri sapientes exsufflarunt.

Quicumque Theologiam vere talem norunt, ritè sciunt, hoc loco non esse fundatam Ecclesiam, & Dominus ædificabo, inquit, non ædifico, & promissio est, non executio. Rem porro executioni mandatam plerique censent Joan. 21. ubi Petrum jam eo cap 18 Matt. in scientia, & cognitione probatum, quia hoc ad Prælatatam non sufficit, iterum de dilectione, & charitate examinat, utrum ipsum diligeret, & cæteris etiam plus diligeret: quippe cum cæteris præficiendus esset, non par, & dignus, sed dignior etiam quærebatur, & utrum esset, examinabatur, læti vivite episcopatuum, beneficiorum, aliorumque munerum collatores, si digniores non quæritis, & præficitis, si qui estis.

Hoc igitur præmisso examine, qui corda noscit, Deus: pasce, inquit, *agnos meos: pasce oves meas:* atq; hoc pacto Ecclesiam illam, quam promiserat super petram Petrum ædificavit, eumque, & successores ejus Pastores omnium agnorum, & ovium suarum, id est minorum, & majorum effecit: ut si quis alteri dicat, do tibi oves meas, omnes plane donat: sed de hoc alias. Nunc in causa nostra vix locus superest quæstioni, & contentioni: sed quia causa nobis est cum mirabilibus hominibus, argumentari oportet.

Primo notione publica ex ipsa Pastoris, & pascendi voce perspicuum est, Pastoris in Ecclesia non solùm esse instituere oves doctrina speculativa mysteriorum, sed etiam doctrina morum: & sic etiam pascere: quod nemo est in Ecclesia, qui ignoret, & publicè constat ex quotidiano ferme examine Parochorum, Confessorum, & Episcoporum etiam in Italia: quod in Hispania motis non est, quia supponunt, eos, quos ad Episcopatus præsentant, pares esse, ut gregem utraque illa doctrina pascant. Sed Dominus Ecclesiam fundavit, adversus quam numquam inferi portæ prævalerent; hocque ut constaret, ac staret, Petrum, & successores suos Pastores fecit agnorum, & ovium suarum omnium statuum, & officiorum, nec vel una excepta ove, vel agno. Ergo Petrus primum, & deinde successores sui, qui perpetuo ordine secuti sunt, habuerunt, unde hos omnes agnos suos, & oves pascerent doctrina tam mysteriorum, quam morum omnibus illis necessaria, & sufficienti: ergo utraque hæc doctrina perpetua fuit.

Patet hoc idem rursùs, quia Petrus primum, ac cæteri Apostoli, quia Pastores erant, utraq; illa doctrina, ut ax epistolis eorum, & actis, virisq; luculenter constat, fideles paverunt, & instituerunt. Patet: quia Romani deinde Pontifices omnes, ut in eorum epistolis, vitis, & constitutionibus cernitur, utramque curarunt, & tradiderunt; & continenter Ecclesiæ Pastores omnes nunc, & prius; & sicut nunc, ita etiam prius, & prius, & semper. Patet; quia una doctrina sine alia, ut sæpe usurpamus, non sufficit ad salutem: Ecclesia autem ædificata est à Domino, in qua salvari homines possent. Patet; quia dato, doctrinam eam sufficientem, & necessariam defuisse, jam portæ inferi prævaluissent. Patet; quia sic fuisset, si fides defuisset: ergo sic, si doctrina salutis defuisset. Patet; quia hac de causa & Ecclesia ipsa in unum congregata, ac Romani Pontifices hac ætate, & illa, & omni judices extiterunt controversiarum omnium doctrinæ fidei, & morum, ut notorium est, illorumq; responsis jus ipsum canonicum magna ex parte compactum est: habebant ergo doctrinam ex qua inter bonas, & malas dijudicarent, ubi delyrat ut minimum ille, qui impudentissime dicere, & edere etiam ausus est, nullam esse potestatem in mundo ad damnandas opiniones probabiles: vere enim quidam hoc probabilitatis nomine velut quodam fascino capti sunt, nec intelligunt; & solius veritatis hoc privilegium est, ut damnari nec ab Ecclesia possit, neq; à Deo. Patet; quia Dominus ad illud supremi in terris pastoris officium claves Petro contulit, *tibi dabo claves regni cælorum, &c.* quarum altera potestatis esset, & altera scientiæ, non fidei speculativæ solius, sed etiam doctrinæ morum: numquam ergo una magis clavis, quam alia in successoribus Petri, & in Ecclesia defuit. Ergo perpetuitas veræ, rectæque doctrinæ morum in Ecclesia potentissima est, sicut perpetuitas veræ doctrinæ fidei: sæpe porro demonstratum est, ne hoc moveant, rectam doctrinam morum, & sanam, & veram doctrinam morum; item doctrinam morum Ecclesiæ vel Dei, & varam esse connexa, & convertibilia; nec fieri ulla vi potest, & prius astra cadent, quam Ecclesia, vel Deus probet, doceat, firmetve vel unam solam propositionem falsam etiam probabilem, & chimæra chimærarum est, quod Ecclesia vel Deus fiat Magister falsitatis ullius etiam millionis Authorum. Ergo semper patentissimum est, viguisse perpetuo in Ecclesia Dei veram doctrinam morum sufficientem, & necessariam pro statibus, & officiis agnorum & ovium omnium.

Hanc eandem Ecclesiæ invictam firmitatem quam supra petram Petrum præ, cæteris Dominus ædificavit, & per hoc explicavit, qualis esset, & quibus maxime partibus immobilitas ejus constaret, explicuit plenius Apostolus ad Eph. 4. quod idem etiam Act. 12. declatarut: *& ipse quosdam quidem Apostolos; quosdam Prophetas: alios vero Evangelistas: alios autem Pastores, & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii in ædificationem corporis Christi* (i.e. Ecclesiæ) *donec occurramus omnes in unitatem fidei,* &

& agnitionis filii Dei in virum perfectum; &c. ut jam non simus parvuli, & circumferamur omni vento doctrinæ. Hæc planè sunt, cæmenta, hæ partes potissimæ post ipsum primum caput, & fundamentum Christum totius corporis, & structuræ Ecclesiæ; hic finis, hic modus, & nisi delipere placeat, perfecit utique hanc fabricam Dominus, quam computatis haud dubie sumptibus aggressus est.

Quamvis alter Apostoli, Prophetæ & Evangelistæ; & aliter Pastores, & Doctores superfuerint; nam hi quidem vivi alii aliis successerunt: illi non ita, ut Prophetæ, & Evangelistę nec Apostoli etiam toto rigore sermonis, & quoad privilegia saltem personalia; at manserunt etiam hi tamquam partes maximæ in operibus suis; & sic nunc quoque, & semper Apostoli, & Prophetæ, & Evangelistæ nos docent, & in omnibus docet nos unus magister noster. Hæ partes omnes, & singulæ inter alia doctrinæ causa constitutæ sunt, ut patet: non autem solius doctrinæ mysteriorum gratia, ut ex ipsis patet: ergo etiā morum, at hæ partes singulæ, & omnes perpetuo permanserunt in Ecclesia Dei, permansit: ergo perpetuo doctrina sufficientissima fidei mysteriorum, & morum Et confirmatur; quia minùs multo quā natura, Ecclesiæ Author in necessariis deficere potuit: erat autem necessaria utraque proposita doctrina, ergo utraq; permansit.

Rursus ex fine, qui in textu Apostoli proponitur *donec occurramus in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum.* Etenim finis proximus erectionis Ecclesiæ est justitia, & perfectio nostra; finis remotior salus nostra: finis ultimus gloria Dei. Contulit ergo Dominus Ecclesiæ suæ, atque in ea servavit Doctrinam sufficientem, qua justi, ac etiam perfecti esse possemus: ergo utramq; præ-dictam doctrinam. Iterum quia Apostolus explicuit, qualis illa esset, firma scilicet, ac immobilis, & propria Ecclesiæ, non incerta, varia, & ventorum instar hinc inde quotidie irruens; & certè hodie opinionicularum quarumque vento circumferuntur, & nihil firmum superest. Ergo Dominus contulit servavitque in Ecclesia Doctrinam sufficientem, qua hunc ventum doctrinatum repellere, & citra illas vivere possemus.

Præterea nullam Ecclesiæ ætatem assignare possunt, in qua defuerit utraque illa doctrina, defuerunt utique, ut opinor laxitates præsentes, ac modus etiam ipse de moribus ex cerebro, & humana quadam æquitate, & mensura philosophandi: qua certè, si tunc ad fuisset, excusassent tot illa martyria, cruces, & mortes trium primorum sæculorum; ut facile ex aliis novis inventis ex gravi præjudicio, ex suavitate legis Dei, ac similibus fontib. hausti, ac latissime propagatis fortissime suaderi potest, defuerūt sane hæc; at Dei invicta doctrina, quę martyres, sanctosq; pareret, nō defuit. Unde postremo id ipsum paret ostensive; nam in omni ætate Ecclesię fuerunt & justi, & magis justi, & perfecti, aderat ergo doctrina & fidei & morum, qua justi, & justiores, & perfecti filii Ecclesiæ esse possent.

Videntur itaque dormitare quidam, qui nisi ex novis libris, & opinionib. de vita christianorum, statuumque singulorum, & officiorum causis determinari vix posse credunt. Quorum ut somnus discutiatur memorandum est, haud nunc primum status, & officia, & sacramenta, contractus, emptiones, venditiones, testamenta, Reges, subditos, judices, jejunia, quadragesimam, & hoc genus cætera in Ecclesiam obrepsisse, sed semper fuisse;

ac proinde pro eis etiam omnibus necessariam, sufficientissimamque doctrinam, ut recte, & melius geri possent ut magis qu. seq. Exponam.

Eadem illa perpetuitas sicut veræ doctrinæ fidei, ita etiam morum constat ex cæteris lucis vulgatis, ut Matt. 28. Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationē sæculi. Profecto quemadmodum Christus apud eos non est, qui recte non credunt, quantumcumq; ipsi se sire credere & vera credere arbitrentur; ita nec apud eos, nec com eis est, qui recte qoidem credentes, mandata tamen ejus, & legem non servant. Supererat ergo semper doctrina, qua mandata sua, & lex sua servaretur, item omni ætate, & anno viguit, & ursu articulos, *credo sanctam Ecclesiam*, supererant ergo leges, & instituta sancta. Item quia, sicur semper Deus fidem sub pœna damnationis pręcepit, ita etiam observantiā legis suæ, & mandatorum suorum. Ergo remansit semper, & viguit doctrina, qua & recte credere, & Dei legem, & maodata servare homines possent. Item Apost. 1. ad Cor. 13. testatur, nunc manere hæc tria, fidem, spem, & charitatem; permansit ergo fides, quæ per charitatem operatur: at hoc uno, & plene infra tractabimus, remanebat, unde lex tota impleretur, remansit ergo doctrina ad impletionem legis omnis, & obligationis necessaria.

Iterum idem Apostol. 1. ad Timoth. 3. testatur, Ecclesiam esse firmamentum & columnam veritatis, utiqoe omnis necessariæ ad finem suum. Ne quasi trunca, deficiensq; sit. Utraq: porrò voce columnæ, & firmamenti significatur, & ingeritur firmitas, quæ veritatem quasi sibi affixam indemnem servet: sicut ergo stellæ à firmamento divelli nequeunt, sic nec veritas ab Ecclesiæ firmamento suo: sicur rursus veritas tutissima servaretur in domo invictis columnis extructa, sic servatur in Ecclesia columna immobili sua, domoque invicta, ac victrice sua. Numquam ergo avulsa est ab Ecclesia veritas sua i. e. ad finem erectionis suæ necessaria; qua filii sui & recte credere sperare, timere, amare, & odisse, & vitare, facereq; possent. Quod plane in longum ex epistolis omnibus Apostolorum texi, tendiq; potest, illud unum addo primo ad Tim. 2. *vult enim Deus omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Cujus, rogo te, veritatis? illius plane, qua salvi fiamus: ergo fidei, & morū: Nec sane vult, nostros nunc homines in cognitione veritatis venire; non autē priores, sed omnes; *vult enim*, inquit *omnes homines salvos fieri*? Ergo superest, superetit, super fuit, unde in utriusq; illius veritatis cognitionem venirent. Supererat ergo illa semper in Ecclesia Dei. Quib. proinde authoritatibus, & modis demonstratur perpetuitas veræ doctrinæ fidei in Ecclesia, iisdē planè com monstratur perpetuitas veræ doctrinæ morum. Neq; mirum, cum utriusq; idē sit finis, & utraq; sit necessaria. Unde miramur eos, qui tā facile novas opiniones morales tuẽtant; & gratias ago Deo meo, quod nullam, quā sciam, excogitaverim, sed consilium ubiq; meum est vetera restituere, & à novitatibus defendere, quod si consequor, nō meas, sed antiquas trado doctrinas; sin vero non consequar, velim omnino, ut omnia dicta mea velut psitacorū sint, omnino enim nolo de hoc judicari, nec ullius opinionis author, invētorve existere, aot videri; si namq; judiciū Dei recolo, id tremendū est; puerile verò, si res humanas considero, ex quo plurimi, qui drachmā vix unam intellectus habent, inventores facti sunt, & garriunt, & gloriantur.

Ex his patet celeberrimam etiam eam authoritatem contra novitates hæreticorum 1. ad Tim. 6 *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*, cùm glosis sanatorum, urgere etiam in doctrina morum Neque enim, quod patenti facto constat ex Evangelio, & epistolis Apostolorum, Timotheus, aut Ecclesia depositum accepit duntaxat fidei speculativæ, seu mysteriorum, sed etiam plurimæ, & copiosæ, ac divinæ doctrinæ morum totius veræ servavit autem haud dubie depositum Ecclesia sancta. Ergo sicut prius.

Jam quod ad voces attinet, dupliciter illæ prophanæ esse possunt; vel quia à prophanis usurpatæ sunt: vel quia præter sacram omnino doctrinam sunt. Jam hæc vox vestra dilectissima *probabile*, quo uno cardine conscientias omnes, & Populos tegitis, vel significatum saltem ejus in quo evangelio est, vel in qua epistola Apostolorum? vel quis unquam sanctorum, & Doctorum, quos sequendos nobis Ecclesia sancta tradit, hoc probabilitatis voce, vel regula vixit, aut viuendum esse docuit? Eja dicite, ostendite. Nos vobis sæpe, ac demum sup. lib. ostendimus, hoc dogma ab Academicis Gentilibus acceptum, quin etiam laxatum, & ab Augustino exsecratum, ab aliisque Patribus improbatum esse: toto; opere innotuit, quàm præter & contra sanctos Patres, & Theologiæ elementa sit ista veritatis expers, & inania probabilitas, seu purum phantasma, & tamen hoc uno dempto, totus quantus moralismus Recentiorum cadit Nos Apostolum audimus, & prophanas vocum, & rerum novitates devitamus; nam *si prophana est novitas, tenenda est antiquitas*, inquit inter alia Lyrinensis.

§. III.

Hac Perpetuitatis, & successionis regula Patres quoque usi sunt.

PAuca ex multis commemorabo. S. Polycarpus ep. ad Philipen. *propter quod relinquentes vanitates, & falsas doctrinas ad illud quod nobis a principio traditum est, verbum revertamur.* Cyprianus epist. 74. *Si Canalis aquam ducens, qui copiose prius, & largiter profluebat, subito deficiat, non ne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur. Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta divina servantes, ut si in aliquo nutaverit, & vacillaverit veritas* (cujus vacuam probabilitatem Patres non curarunt) *ad originem dominicam, & evangelicam, & Apostolicam traditionem revertamur: & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo, & origo surrexit.* Ecce nutat, & acri contentione controvertitur doctrina morum: revertendum ergo est ad originem, ut inde surgat actus nostri ratio. Ecce rursùs Canalis, qui copiose prius, & largiter profluebat, defecit, nam in plurimis libris moralibus canalis deest, quo cælestis illa evangelii, & Apostolorum doctrina ab Ecclesia, & Patribus explicata ad mores, vitamq; nostram defluat, ut Alexander VII. demum doluit, ac mundus videt, apertis plurimis libris, & fames, & sterilitas, non panis, sed verbi Dei à Prophetis prædicta obtigisse videtur, oportet ergo ad fontem pergere, ut illic defectionis ratio noscatur.

Usurpavit præceptum Augustinus lib. 5. de Bapt. cap. 26. *quod nos*, inquit *admonet Cyprianus, ut ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.* Abduci etiam Hieronymus potest epist. 63. *Usque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit: illam senex teneho fidem, in qua puer natus sum. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antea nescivimus?* Quamquam vere Hieronymus de sola fide loquatur, in primis notatum sæpe est, morum etiam esse fidem plurimam: & Hieronymus, opinor, noluisset, aut mundum christianum ignorasse, aut ipsum jam senem discere oportere, quomodo esset vivendum.

Verum hac in re palmam cunctis præcipuit Tertullianus aureo libro de præscriptionibus adversus hæreses; ex quo, siquidem omnia non possumus, aliqua diligemus ad intentam perpetuitatem, & legitimæ successionis necessitatem etiam in doctrina morum.

In primis itaq; cap. 20. jacit hanc conclusionem: *omne genus ad originem suam censeatur, necesse est.* Sic est in omnibus rite, & perfecte à principio constitutis, sive in natura, sive in unoquoque animante, in regnis, & omnibus; quæ cadunt per recessum à prima constitutione. servantur vero, quandiu illa superest, vigetque. Sed Ecclesia Dei tum in aliis, tum in doctrina perfectissime constituta fuit, quod citra injuriam Authoris sui Christi negari nequit. Ergo siquidem ipsa nec cadere potest, neque corrumpi, omnis tamen corruptio, quæ intra eam contingere potest, erit per recessum à prima institutione: tum in aliis, tum in doctrina Hæc ergo ad originem suam censeatur, necesse est.

Hanc conclusionem probat subtilissime in consequentibus capitibus. Assumit Dominum inprimis edocuisse *Apostolos, ac plenissime institutos ad prædicandum misisse.* Quod quis precor, christianus neget? nisi, Recentioribus placeat distinguere, & dicere; in doctrina reliqua sic: in doctrina vero morum non: vel pro Anachoretis quidem sic; pro laicis autem, pro civibus, pro conjugatis non. Subsumit mox: *quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea*, & concludit: *si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem* (ecce Canalem) *quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam &c.*

Mox consequentissime obligatum se putat, ad suæ, & veræ doctrinæ successionem à principio, & sic etiam perpetuitatem ostendendam. *Superest ergo*, inquit, *uti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, & ex hoc ipso, an hoc sit testimonium veritatis?* Utinam hoc demonstrare aliquo uno tot inter volumina libro aggrederentur hodierni opinatores. Profecto de probabilismo nido suo vel hoc uno conclamatum est; nam citra errorem impudentissimum dicere nemo potest, vel unam solam opinionem probabilem salsam de Apostolorum traditione venisse. Nisi forsitam placeat dicere, quod continenter subjicit Author, *solent enim dicere, non omnia Apostolos scisse, eadem agitati dementia, qua rursùs convertunt, omnia quidem scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subjicientes, quòd aut minùs instructos, aut parum simplices Apostolos miserit.* Atque dementiam istam, quod vel Apostoli ignoraverint, vel ad unumquemq; pertinentia non tradiderint, sed subtraxerint, disjicit cap. 22. & seq.

His firmis constitutis principiis c. 29. irridet adversarios, ut irridere nos planè possumus sectarios

&

& Novatores: *Aliquos*, inquit *Marcovitas, & Valentinianos liberanda veritas expectabat: interea perperam Evangelizabatur: perperam eredebatur: tot millia millium perperam tincta: tot opera fidei perperam administrata: &c. Tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa &c.* Quæ doctrinam quoque motum, ut vides, comprehendunt.

Altero denuo modo probat veritatis prioritatem ad mendacia,& ad falsa; *ante hæreses*, quærit, *quæ non vera doctrina?* Ostendit historicè de facto hæreses posteriores fuisse: atque post alia cap. 31. inquit: *revertar ad principalitatem veritatis, & posterioritatem mendacitati deputandam.* Probatque ex parabola zizaniorum Matt 23 & ait: *& ita ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum, & verum, quod prius traditum, id autem extraneum & falsum, quod est posterius immissum.* Et cap.36. *posterior res nostra non est: imò omnibus prior est: hoc erit testimonium veritatis ubique occupantis principatum.* Ac postremò cap.37. *Mea est possessio: olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res: ego sum hæres Apostolorum &c.* in omni controversia, & congressu de doctrina salutis per hancunam notam, signumque veritas innotescit; ut videatur, utra controversarum originem firmam ab authoribus ducat, quorum fuit res, ab Apostolis, à Christo, à Deo: & ea haud dubiè vera est, quæ eam originem ostendit, ac ab initio, & semper fuit, & hoc sanè valet in congressu cum hæreticis, valet ergo etiam in omni doctrina necessaria, ut justi, ac justiores, perfectique evadamus: venit enim, ut vitam haberemus, & abundantius haberemus.

Quo loco, quamvis vulgata sint, disserat Lyrenensis, cui profecto de tota doctrina ad regimen Ecclesiæ,& animarum necessaria sermo est. *O Timothee, depositum custodi devitans prophanas vocum novitates: nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas: si prophana est novitas, sacrata est vetustas, &c.*

Quid est hodie Timotheus, nisi universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram divini cultus scientiam (adverte) *vel habere ipsi debent, vel aliis infundere. Quid est depositum custodi custodi*, inquit *propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus* (id est, custodibus, & Præpositis) *superseminent zizania.*

Depositum, inquit, *custodi. Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ: non usurpationis privatæ: sed publicæ traditionis: rem à te perductam: non à te prolatam, in qua non Author esse debes, sed custos, non institutor sed sectator, non ducens sed sequens. At paulo inter positis subdit: ita enim in Concilio Ephesino omnium Patrum una vox fuit, ut quod erat antiquitus traditum, teneretur, quod ad inventum nuper, exploderetur.* Eia gloriamini inventores ingeniosissimi novarum opinionum moralium & salutis. Nobis propositum est ad Ecclesiam, ut Augustinus qu. præc. præscribebat, recurrere, ac ab ejus integrè servato deposito accipere: ab ea est petendum, & quærendum, & quod ad inventum nuper nisi ex deposito ipso perpetuo natum sit explodendum.

§. III.

Hæc regula doctrinas dignoscendi per suam perpetuitatem, & originem publica, & notoria est in Ecclesia Dei.

Ita enim, dicebat modo Lyrinensis, *in Concilio Ephesino omnium Patrum una vox fuit, ut quod erat antiquitus traditum, teneretur: quod ad inventum nuper exploderetur.* Subterfugium porrò, quod in doctrina fidei i. e. speculativæ sic; in doctrina vero motum non, repulsum est sæpe, & repellitur, S. Stephano Romano Pontifici plurimi Orientis, & Occidentis egregii Episcopi eorum quasi ductore Beatissimo Martyre Cypriano repugnarunt in ea quæstione, utrum Baptismus apud hæreticos, & ab hæreticis susceptus valeret, volebantque, eos qui ad Ecclesiam venirent, esse rebaptizandos. Sed forsitam Cypriano, & cæteris, ut ita sentirent fundamenta defuerunt, qualibus hodie probabilitates cudunt? legant Epistolas Cypriani ad eundem Stephanum, aliam ad firmilianum, aliam ad Pompeium, & videbunt fundamentum tobur ingens apparens, & vere. quæ tamen cuncta Stephanus ea una regula vicit, *nihil innovetur, nisi quod traditum est*: id est, depositum custodiatur: non rebaptizabantur apud hæreticos, & ab hæreticis baptizati; nullatenus ergo rebaptizentur: nam non innovandum.

Hac regula perpetuo usa est sedes Apostolica, cujus immobilitatis formulæ consuetæ. *Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo*, & similes sunt Hoc nuper Alexander magno animo sui mærore audivit quod in perniciem animarum modus Philosophandi de rebus conscientiæ irrepsisset omnino alienus à simplicitate Evangelica, & doctrina Patrum. Quoties in Conciliis congregatur Ecclesia, haud sanè ingenia, & argutias pensi facit, sed quid à principio fuerit, quid Patres tradiderint impensè examinat, probat, promovet, ut in omnibus Conciliis, latius verò in actis 4. & 6. Synodi conspicitur. Ex quo patet, novitatum amatores, & ad nova excogitando propensos contrariam Ecclesiæ viam arripere. Ergo si Ecclesia firmamentum est, & columna veritatis, quid ipsi esse possint, per bonam consequentiam colligant.

Gelasius etiam Papa epist. 3. *quid ergo tendimus ultra definita majorum. aut cur nobis non sufficit, si quid ignorantes discere cupimus, qualiter ab orthodoxis Patribus, & senioribus singula quæque vel vitanda præcepta sint vel aptanda catholicæ veritati? Numquid sapientiores illis sumus?* & cap 25. quæst. 1 *contra* Zozimus Papa: *apud nos enim in convulsis radicibus vivit antiquitas*: ubi alia.

Hoc ipsi etiam Patres servarunt, & Augustinus lib. 1 contra Julianum, & alias hac regula usus est per videndi Majores, originemque doctrinæ à fontibus salvatoris ducendi. Gregorius Nazianzenus, & Basilius eamdem formam secuti sunt: *Adolescentes enim cum essent, Refert Rufinus, & sacris studiis operam dare cœpissent, earum intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex majorum scriptis, & authoritate hauriebant, eorum sanè, quos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.*

Sed quid mirum: cum forma ista Ecclesiæ relicta sit, denunciataque maximè Apostolo, tum cum depositum custodire jubet: tum quando sub anathemate prohibet, aliter evangelizare, quam accepissent: & cum 2 ad Timoth. 3. futura esse prædixisset in novissimis diebus tempora periculosa, & futuros homines se ipsos amantes, cupidos, elatos, superbos, ac voluptatum magis amatores, quam Dei, qui prava dogmata seminarent, adversus hæc omnia uno Clypeo Timotheum, & in Timotheo Ecclesiam, virosque ecclesiasticos armat: *Tu vero permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.: & quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem.*

Antiquitas quoque tradita,& ab origine à Deo derivata eſt regula iſta. Prov. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerant Patres tui item Jerem. 6. ſtate ſuper vias,& videte, & interrogate de ſemitis antiquis,quæ ſit via bona,& ambulate in ea;& invenietis refrigerium animabus veſtris* ô ſi ſtare non nihil vellent Recentiores quidam,& hærere, & interrogare de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, v.g. Doctores vitæ noſtræ Eccleſia ipſa tradit. Verum ſi ſcripturas allegare ſpiritus hæreticus ſit,ſi ſancti Patres in pretio nō ſint,nulla nobis cum ipſis eſt diſputatio.

Univerſam hanc doctrinā egregie complexi ſunt Patres Concil. Conſt. in prologo *namq;cum ſæpe caſus eveniant quorum ſimiles apud antiquos conſtat decisos utile quidem eſt ſcire,quale fuerit eorum , qui nos præceſſerunt,judicium,& plerumq; cum in rebus dubiis ad utramq; partem rationes plurimæ adducantur, ad tollendas lites,& contentiones opportuna cernitur veterum authoritas,& quæ ab antiquo legitur facta ſanctorum definitio.* Sic enim ſcriptum eſt: *interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam, & iterum: interroga Patrem tuum,& dicet tibi;majores tuos, & annunciabunt tibi.* Deut. 32. ubi curſim conveniendi ſunt Probabiliſtæ. qui terrere nos volunt, dicendo ſe habere pro ſe centum,vel ducentos Authores,vel ſcriptores. Ecce Concilium Conſtantienſe Patrum fere mille, & Trecentum , & plurium Epiſcoporum contrarium tamquam rem apertam ſupponit, & dubias eas res habet in quib. plurimæ rationes in utramq. partem adducuntur: & contra probabiliſmi totam quaſi quintam eſſentiam ſupponit. in talib. non eſſe quieſcendum,ſed juxta regulam dubiorū tunc maximè quærenda eſſe ſtatuta ſanctorum,ut veritas conſtet; interrogandam generationem priſtinam &c. nec hoc eſt propter rationes leves;quæ potius contēnendæ ſunt. Ergo pro veſtris centum,vel ducentum habemus, vel in uno Concilio Patres fere mille, & Epiſc. ſupra trecentum.

Sed ad rem,dicent hoc loco ſectarii,& dicent Recentiores moraliſtæ ſe interrogare Patres ſuos, majores ſuos; atque eorum alios religionem,alios moraliſmum tueri;quin à nobis defectionem à Patribus,& majoribus proximis, ac immediatis induci. Cæterum exemplo ſectariorum Recentiores etiam evincuntur: nam ii Patres, majoreſq; interrogandi, qui ipſi à Patribus ſuis, & majorib. haud deſciverint , ſecus qui deſciverint. Deſciverunt porro Patres ſectariorum;quare non hi, ſed illi, à quibus defecerunt,interrogandi ſunt; & in omnibus quærenda eſt generatio priſtina,& prima,tum in Eccleſia,ex quo erecta eſt,tum ante, & univerſim,quoniam ipſe etiam gentiliſmus,ac idololatria obtruſa fuit per defectionem à primo,& à vero,& ubiq; veritas obtinuit principatum. Quare ſi majores noſtri proximi moraliſtæ à patribus , majoribuſque ſuis defeciſſent , non hi, ſed priores alii quærendi,& interrogandi ſunt perpetuitatem, & ſucceſſionem ab Apoſtolis, à Chriſto , à Deo. & enunciabunt nobis,& confirmatur; nam ſic eſt faciendum cum ſectariis : ergo etiam in doctrina morum ; nam & utriuſque doctrinæ in Eccleſia perpetuitas , & ſucceſſio ita conſtituta eſt , ut everti à Recentioribus nequeat.

§. V.

Dictorum comprobatio, & aliqualis explicatio.

INquam,aliqualis explicatio; nam rem pleniùs explicabimus qu. ſeq.& oſtendemus, quomodo doctrinæ tum fidei , tum morum , & Theologia creſcere potuerit,ac debuerit: Nunc in quæſtionis præſ. intentione principali arbitror, non modo verum eſſe, quod conſtitutum eſt, ſed prætereà gentes omnes fuiſſe,vel naturaliter, vel ſuperiore aliqua notione de hac veritate,& perpetuitate religionis, & doctrinæ morum neceſſariæ firmiter inſtitutas; vel ex naturali inſtitutione exiſtentiæ, ac providentiæ Dei facile hauriebant omnes, ſe in neceſſariis, quin in non valde neceſſariis, non fuiſſe à Deo deſtitutos. Unde gentes omnes, ſicut cum aliqua religione, quam veram exiſtimabant, ſic cum legibus,& inſtitutis inventæ ſunt;quæ ad bonam vitam ſufficere arbitrabantur.

Ex hac omnium inſtitutione provenit , quod ubiq; nationum novæ cuique & novatum legum religioni repugnatum ſit; & hoc maximè Julianus,Porphirius, & alii Evangelio, & legi Chriſti objecerunt;quia ſcil. Deus etiam antea generi humano providerat,& conſuluerat, in iſta cum gentibus controverſia ſunt plurima pro novitate teſtimonia ſanctorum ; quæ ſuperficiales quidam eruditi per ignorantiam ad novitates ſuas commendendas tranſvehunt,quaſi ipſi alii Chriſti eſſent,& Domini ſabbathi,& legis: qui certè legem novis doctrinis,& inſtitotis implere potuit,ac adimplevit:ac neceſſe habuit,ut hanc ſuam ſupra legem poteſtatem tot operibus,modiſque planè divinis demonſtraret ; alioquin exceptio novitatis prævaluiſſet. Illud tamen invicte ab ipſo Domino, & ſanctis omnibus ſervatum eſt, legem quippe Chriſtianam non in totum novam, & in totum aliam eſſe, ſed veteris implerivam, perfectivam, &c. ut Paulus exponit : etiam illud ſervatum eſt, ante Evangelium ſuffeciſſe ad fidem , & ad juſtitiam veteris legis doctrinam.& conſtiture: & ipſa etiam religio Chriſtiana, & fides implicita Chriſti,ac myſteriorum perpetua fuit. Si hoc pacto Recentiores oſtenderent, novitates ſuas morales in Evangelio , in Apoſtolis, in Doctoribus Eccleſiæ involuntas ſaltem adeſſe,latereque,& ſe eas ingenio, quo pollent,inde elicere,& manifeſtare, profecto non ipſos impugnaremus, ſed maximi faceremus, vereque Theologos , ac utiliſſimos arbitraremur. Quamdiu porro hoc non faciont , & originem ſuam , ſucceſſionemque non oſtenderint , nos ipſis relictis ad fontem recurremus , & ubi canalis defecit, eo regrediemur , & vitæ noſtræ , & ſalutis rationem quæremus.

Haud vero volumus, in omni controverſia doctrinarum eam eſſe veram,quę prior fuit;nam hæreſes hæreſibus , & errores erroribus antiquiores ſunt;& tamen omnes errores ſunt;ut patet in Calviniſmo,& Lutheraniſmo, Donatiſmo &c. quod contingit,quia ſæpe contrariè, diſſident, & tunc utrumque eſt falſum : vel quia in univerſo dogmate aliqui aliquibus particulis,& unciis veritatis libræ errorum immixtæ ſunt. Ad hoc igitur totius quæſtionis punctum revocatur,quod ſicut vero,ac pro omnibus ſtatibus ſufficiens doctrina fidei perpetua fuerit in Eccleſia , & rectè quænam ſit,hac perpetuitate,& ſucceſſione probatur,ac innoteſcit;ſic vera,& ſufficiens pro omnib. doctrina morum perpetua fuerit in Eccleſia Dei atque hæc perpetuitatis, & ſucceſſionis nota rectè probetur, & innoteſcat. Ea vi vero initio, nobis ſermonem non eſſe de veritate morali jurium,& legum,quæ poſtea conditæ ſunt. Hæc tamen etiam veritas eodem modo invenitur per reductionem ad ſuum principium , & ad originem ſuam conſcendo.

§. VI. Omnes

§. VI.

Omnes in aliis acceptant hanc legem examinandi res ad suam originem.

HÆc lex in omnibus rectè à principio constitutis ubiq; admittitur in ſpiritualib. in Theologicis, in Politicis, & naturalibus ſcitur, animantia obire ex defectu primæve conſtitutionis illius, ac indolis: & ſi medici reſtituere in priſtinum ægrotos omnes poſſent, eos facerent immortales. In ſacris ordinibus regularum idem cernitur, & ſeneſcere ſolent, & contabeſcere deficiendo à prima inſtitutione. Unde reformatoribus omnibus hic unus ſcopus, ac finis perpetuo fuit, ut in primum, ſuæq; originis modum eos reſtituerent. Sic etiam in ſpiritualibus per renovationem hoc intenditur, ut primævus vigor, qui intepuerat, ac refriguerat, reſtauretur, & deinde ad nova incrementa eatur.

In politicis eadem eſt ratio; & Regna, ſicut animantia pereunt deficiendo à prima recta inſtitutione. Unde ſi poteſtas, & voluntas adeſſet, qualis, & deſideratur, ſalus Regni citra novas Metaphyſicas, & inventas egregie reſtituitur per reductionem ad primum, ſi v.g. Regnum Hiſpaniarum ea inſtituta fortiter reſumeret, quib. Reges maxime Catholici Ferdinandus, & Iſabella Monarchiam erexerunt, & ſi quæ in alia idem faciunt, & jubent: alia vero nova inventa, eaque plura fortiter etiam repelleret: atque barbara de cætero Turcarum inſtitutio hoc quoad ſalutem temporalem boni habuit, quod primis inſtitutis tenaciſſime inhæſerit: & innovationes etiam in melius periculis conſtant.

Diſputat Sciolus ille politicus, ut rebus etiam vulgaribus ſacras, altiſſimaſque exponamus, quænam ſecreta illa Politica ratio Venetorum ſit, quænam illa propriæ conſervationis ratio, qua Reſpublica de reliquo non maxima tamdiu viguerit, floruerit, & cum Turca etiam ipſo immani adeo hoſte confligere auſit, ac ſæpe Othomanam potentiam fregerit? Profert plurimas plurimorum, vel ſuas rationes, & cauſas. Demum tamen tam diuturnæ ſalutis, conſervationiſque cauſam eo revocat, quod ſuis primis elementis inſtitutis, fundamentiſque firmiſſimè inſiſtant, nec divelli patiuntur. Utinam ſervent.

Si ergo certis certius eſt, nullam unquam Rempublicam, Politiam, aut regularem ordinem, aliudve totum morale, ſeu politicum tam perfectè à ſuo principio conſtitutum eſſe, atque Eccleſiam; quod ex ſuo Authore, & fine, reique magnitudine, & exitu paret, profectò nulli noſtrum, aut ulli quantocumq; mortalium fit injuria, ſi ſuam doctrinam, opiniones, & inſtituta ad hanc originem examinemus, & cenſeamus: & ſi manavit quidem inde ſucceſſione perpetua, amplectamur: ſi non inde manavit, ſed aliunde obrepſit, repudiemus, & abhorreamus. Quemlibet enim hic quæro, an inde veniat; & ſi ſic, acceptabit legem libenter: ſi non ipſe ſe ſuo judicio condemnabit, & de novitate præſcribimus, longiſſimè vero ab ea ſectariorum phræneſi diſtamus, qui judicium omne ad ſcripturas revocant, & aliud omne detrectant: nos toto cordis ſpiritu Eccleſiam, ſedem Apoſtolicam, Concilia, ſanctos Patres, & quidqnid Eccleſiæ ipſi Apoſtolicæ Romanæ probatum eſt, ſuſcipimus, ac eorum ſenſu ſcripturas intelligimus, pluriſque facimus unam Bullam Pontificiam, quam centum, vel mille caſuiſtas,

§. VII.

In ſignis Chryſoſtomi textus dictorum comprobativus, & Probaliſmi everſivus.

HIc eum confero, quam in qualibet operis quæſtione è re contuliſſem, quo ſcilicet contextus doctrinæ noſtræ ſtatuitur, & probabiliſmus præſertim evertitur. Ergo Doctor hic magnus, quem Doctorem vitæ Eccleſia nobis porrexit Homil.13. in Epiſt. 1. ad Corinth. ſic nos hortatur, & docet: *Ne igitur multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas* (hoc eſt, rei veritatem) *inquiramus, quomodo autem non abſurdum propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare, & ſupputare: pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter? Præſertim cum habeamus omnium exactiſſimam trutinam, & gnomonem, & regulam, Divinarum, inquam, legum aſſertionem. Et ideo obſecro, & oro omnes vos, ut relinquatis, quidnam huic, vel illi videatur, de quo bis ab ſcripturis hæc omnia inquirite.* Vel certè deſipit Chryſoſtomus, vel deſipiunt quotquot in re morali aliud vix agunt, quam referre, libroſq; implere non alio, quam quidnam huic, & illi videatur, quorum veritas non conſtat.

Chryſoſtomus itaque non deſipuit, ſed aſſertionem ſuam evidenti ratione demonſtravit: *quomodo autem*, inquit, *non abſurdum, propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare, & ſupputare*: pro rebus autem amplioribus per opiniones currere, *& aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter*? Quæ eſt tota eſſentia probaliſmi, ac vulgaris praxis. Profectò vel ubi viſum eſt, Deum ſuper omnia eſſe diligendum, & legem conſequenter ſuam ſcribendum eſt, infra omnia, & infra, pecuniam Deum eſſe diligendum, legemque ſuam infra omnia, ac ſub pedibus eſſe reponendam, vel tenet & concludit probatio Chryſoſtomi. Sed in pecuniis in coquiis, in mercibus non opiniones ſequimur, ſed res ipſas inquirimus, & in tantum aliis credimus, in quantum ipſorum nobis fides, ac veritas explorata eſt, non vero ſimpliciter; & quoties eſt diſſenſio ulterius inquirimus. Ergo abſurdus eſt probabiliſmus, & praxis illa, quidnam huic, & illi videatur, & illud hic addo, ſi modus in reliquum humanum convictum inducatur, cadet ſocietas hominum.

Moraliſtæ igitur Recentiores multi contrariam Chryſoſtomo viam capeſſunt. Chryſoſtomus vult, & orat omnes nos ut tamquam rem abſurdam relinquamus, quidnam huic, & illi videatur, & à ſcripturis, hæc omnia inquiramus, exactiſſimamq; hanc regulam requiramus: illi vero ſcripturas cum ſanctis reliquiſſe videntur, quos raro memorant, fuſiſſime autem proſequuntur, quid huic, & illi videatur, & in hoc potiſſimum negotium collocant, nec habitis opinionibus ulterius res ipſas inquirendas volunt, & certè pudere probabilitas poſſet, quod cordatum Philoſophum Ciceronem, aliorum probabilium aſſertorem, ut lib. præc. viſum eſt, demum rerum uſus & experientia coëgerit ad hanc veriſſimam confeſſionem: *nihil eſt tam credibile, aut, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum, quod non ſplendeſcat oratione, & quaſi ſcolatur.* Quod de facto in re morali ita acccidiſſe, & quædam dubitative propoſita mox in opiniones ſpeculative probabiles, deinde dicendo, & dicendo in practice probabiles converti, mundus teſtis eſt.

Poſtremo Chryſoſtomus ad noſtram nos originem, ad ſcripturas divinas revocat, quo perpetuā doctrinæ ſucceſſionem pro veritate, recurramus, nec ſimpliciter quibuſlibet credamus, ſed quod

in genealogiis credendis in litibus, in matrimoniis, & in omnibus naturæ sensu facimos & considerамus, quinam sint; unde didicerit unde tradant: hoc in summa teeum præstemus, eaque dogmata fugiamus, quę, ut Cyprianus de sacerdotibus hæreticorum loquitur, nulli successerint, sed ex se ipsis orta sint.

§. VIII.

Crescere nihilominus potuit, sed quomodo doctrina sacra speculativa & moralis.

NUnc multorum quæstibus, & ingeniis posteriorum occurrendum est; putant enim, nihil sibi relictum, quod agant in mundo, nisi novas opiniones procreare valeant, dixerat, itaque, ut visum est, Lyrinensis: *Ita enim in concilio Ephesino omnium Patrum una vox fuit, ut quod erat antiquitus traditum, teneretur; quod ad inventum nuper, exploderetur.* Objecit mox sibi: *sed forsitam dicet aliquid, & hoc certè dicunt, nullus ne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis?* Ergo feriandum erit, & ociandum posteris ingeniis. Quin argumento etiam facti vicisse sibi videbuntur, qui ætatem maxime nostram extollunt, ac felicissimam jactant, quæ infinita quadam doctrina opinionum, librorumque copia utramq; Theologiam adauxit, provexitq; de qua tanta doctrinæ portione, & gloriari ætaa possit, & falsum rancidum illud sit, nihil innovandam, & confirmahunt; quia indies novos sanctos Ecclesia proponit, ac cultu etiam donat, qui antea non essent. Melius ergo novæ opiniones, quæ citra religionem sint, procreari poterunt. Non ergo valet ea perpetuitas, perennisque successionia nuta, & signum. Rorsùs, quia quæ antea de fide non erant, possunt da novo fieri de fide, ut si v.g. puritas conceptionis Matris Dei in fidem ascisceretur: nec hic tunc articulus ad originem suam censeri posset; & sic est atiam in aliis. Ergo à fortiori citra fidem novæ opiniones, quæ utramque Theologiam expleant, cudi possunt. Ubi præterea alia longe gravissima, quæ ad eam quæstionem pertinent, utrum de novo aliquid fieri possit de fide, qood numquam tale fuerit? quod ad causaa fidei pertinet; nec modo de argumento ipsius fidei, sed doctrinæ, quæ citta fidem sit, teramus. Quoad fidem porro tempora saltem Apostolorum, ac Discipulorum excipienda sunt & qualiter ea, quæ de novo in fidem ascisci videntur, non nova sint, & quis in hoc sit scopus, & finis coociliorum, idem Lirinensis egregie prosequitur.

Respondet ad quæstionem idem Doctor: *nullus ne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane & Maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? verum continenter exponit modum hujus profectus, & incrementi dicendo: sed ita tamen, quod verę profectus sit ille fides, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsa una quaque res amplificetur: ad perturbationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur, oportet, & multum, vehementerque proficiat eam singulorum, quam omnium; tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ ætatem, ac seculorum gradibus intelligentia, scientia sapientia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademq; sententia.* Ubi vides non de sola fide esse sermonem. Quib. nihil subtilius, & magis è re nostra dici potuit; quo eodem sensu alter etiam vir insigoia Hugo de S. Victore in totum novas, & in totum alias doctrinas improbavit.

Exponit porrò rem vere, & acute Lirinensis; *imitetur, inquit, animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros suos evolvant, & explicent; eadem tamen, quæ erant permanent: ac paulo post: quot parvulorum artus, tot virorum Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis, vertatur effigiem, aut certè addatur quidpiam membrorum, vel detrahatur necesse est, ut totum corpus, vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certè debilitetur.* Ubi vides Iterum, haud da sola fide esse sermonem, quæ certè hoc modo crescere nequit.

Hoc ergo unum, & solum est, quod ut plurimum per summam liberalitatem largiri possumus. Nam de cætero 2.2 q.1.art.7 ea regula à sapientib. cum D Thoma traditue, qood cum oltima consumatio gratiæ facta sit per Christum, *unde & tempus ejus dicitur tempus plenitudinis ad Gal 4. ideo illi qui propinquiores fuerunt Christo vel ante sicut Joannes Baptista, vel post sicut Apostoli, plenius mysteria fidei cognoverunt: quia & circa statum hominis hoc videmus,* inquit Doctor, *quod perfectio est in juventute, & tanto habet homo perfectiorem statum ante vel post, quanto est juventuti propinquior. Hæc Doctor* quæ totam hujus quæstionis doctrinam, intentionemqoe nostram stabiliunt. Cùm igitue indubitatum sit, tempus sicut plenitudinis, ita etiam quasi juventutis gratiæ, & virtutis fuisse in Adventu salvatoris; misso etiam spiritu sancto, qui doceret omnem veritatem, ounc vero in senectotem vergamus, si jam in ea non sumus, erubescere qoidem possent, qoi ætati, seu ingeniia magis suis geatulantes existimare videntur, se nunc demum, scientiam salutis novamque salvandi homines artem ad invenisse: ideo parum adeo curant & examinant quid antiquitus, quid à principio, quid per Apostolos, quid post per hyadea S. Doctores Ecclesiæ traditum sit, in re porro nostra discursus Lirinensis magis quadrare videtur fidei, scientiæ, & sapientiæ sumptæ à principio naturæ l ipsæ quæ gradibus suis crevit & demum per salvatorē consummata est; neq; postea ea comparatio parvuli, & viri, & similes constare posse, videntur; ut ex Apostolo sumitur: & dato quod sumpto priori aliquo sæculo Ecclesiæ, seqoens sæculum pleniorem cognitionem habere queat, non tamen sumptis sæculis priorib. omnibus Ecclesiæ, & cognitione non unius, vel altarius particulæ, sed totius dogmatia computata: de quo alias.

Verum demus Recentioribus, & inventoribus ingeniosissimis, se instar Christi, & Apostolorum esse, & eam ferme comparationem ætatis nostræ ad tempua salvatoris transmittamus; quę fuit temporia Christi, & Evangelii ad legem; quæ umbra fuerat futurorum, nihilque ad perfectum adduxit. Planum certè stultitiæ foret hanc comparationem iostituere velle, ea taman nunc tantisper transmissa, pudor est, quod plus & pluties forsitam Apostoli, nec non ipse legis Dominus legis & Prophetarum testimoniis dicta sua stabiliat, quam multi Recentiores moralistæ statuant opiniones suas testimoniis Evangelii, & Apostolorum, eumque Dominus unus Magister noster eo samper iverit, ut doctrina sua, videretur, & vel ipsam novitatem Evangelii ostenderet, jam in lege & Prophetis fuisse adumbratam, & saltem sub velamine clausam, & involutam, audeamus homunciones nos novitatas inducere, quæ in meridie Evangelii saltem non claudantur, non insinuentur, & simplicitè saltem non contineantur? Atqoe de hoc aliter multa lib.2. disseruimus, & quid Thaologia sit, quidque Theologus explicavimus.

Resumo jam subtilem illam explicationem Lirinensia

einensia

rinensis de profectu religionis, scientiæ, sapientiæ, atque intelligentiæ, eamque & exemplo, & facto declarabo, exemplum nobis Doctor ipse suppeditat à virtute nutritiva, vel augmentativa. Non enim virtutes istæ sunt quasi creatrices, sed ex iis, quæ inerant, & adsunt, operantur addendo ad ipsa in sua ratione, augendoque; non caput aliud, aut membra creando, ex quo monstrum fiat. In hunc modum doctrina christiana & salutis, non nos creatores, genitoresve, aut institutores habet, sed Deum, unumque Magistrum nostrum Christum Deum verum, ut est indubitatum, ac sæpe probatum. Quare nostrum solum est ex ipsa, & ad ipsam in sua ratione, genereq; addere; non alia inducere, & procreare: atque ista creandi, seu magia fingendi libido ex propagine illa peccati est, & affectata divinitate.

Idcirco etiam Dominus verbum suum semini contulit, quod suæ speciei fructum redderet. Facile est sane alia super seminare, sed erunt zizania figmenta spectra, quæ ad combustionem deserviant. Atque ejusdem seminia analogia etiam Aristoteles prima principia declaravit, dixitque acute, ea esse mole minima, virtute maxima, ut seminibus cernitur. unde perspicacem visum requirunt, vel cæcam fidem perspicacissimis præstitam, quales fuerunt Apostoli, & post Ecclesia, & Doctores ejus. Inquam, ejus, & non quicumq; in ea sunt, nam etiam latrones, & lupanaria sunt. Atq; ex hoc uno, ut sæpe diximus, more passa est res moralis scientia salutis; quam quippe obrusi etiam quique, & qui in Logicam scribere erubescerent, aggressi sunt, ampliarunt, innovarunt, ac arbitri, & definitores facti sunt.

Jam facto etiam eadem Lirinensis doctrina perspicue intelligitur. Factum est sanctorum Dei nullo excepto omnium; item librorum spiritualium, in quo his postremis ætatibus Hispani eminuerunt. Libri sanctorum aperiantur, ubicumq; de fide, vel morib. disseruerunt: & invenietur hoc verissimum factum, eos nuspiam ausos esse dicere hoc bonum, hoc malum; grave, leve, necessarium, non necessarium nisi per regulam scripturarum, & inde, quæ in erant, eliciendo, illustrando, promovendo, confirmando, & tamen crevit per eos scientia, & sapientia; nec ante Augustinum, vel Chrysostomum eorum insignia opera aderant; & sic de aliis: sed ita tamen crevit, ut profectus fuerit non permutatio; siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsa unaquæque res amplificetur; ad perturbationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur, &c. Eorum nullo excepto omnium primus liber & liber librorum, quem comedebant, erat liber Dei, & thesaurus hic absconditus in agro Ecclesiæ, quem venditis omnibus coemebant. Tu me tacente per vide, quo in loco liber multis sit, qui tamen se faciunt legis Doctores, & scientiam salutis, ad quam plebi suæ dandam filius Dei venit, se tradere profitentur: sed ipse dicit, erratis nescientes scripturas, & virtutem Dei.

Hoc idem cernitur in libris spiritualibus etiam ætatum nostrarum Avila, S. Salesio. S. Borgia, Granata, Puente, & gravissimo mihi Theologo Francisco Arias, & aliis plurimis. Non eos loquor, qui quasi mixti fori sunt, & spiritualibus prophana multa, argutias, nimiumq; orationis cultum commiscent, qui delectant magis, quam prosint: nec ad rem est exemplum sanctorum, qui nondum extincto Gentilismo, sed potius vigente eorum doctrinas prosecuti sunt, indeq; etiam rem Christianam stabilierunt; nec id quidem fecerunt, cum ad christianos erat sermo, deque eis instituendis tractabant. Prædicti itaque. & similes Authores, & verissime Theologi sapientiã Christianam, scientiamque salutis in semetipso amplificarunt, illustrarunt, promoverunt: non perturbarunt. Sive hos legas sive S. Doctores, sive Apostolos, sive Evangelium, ad idem plane duceris, à mundo abstraheris; ad cælestia erigeris, ac virtutes omnes discis, & plane videbis scientiæ, facultatis, finis, mediorumque non tam similitudinem, quam identitatem. Non ergo impeditur profectus religionis, nisi creatores esse velimus, & desipere.

Atque hoc ipso librorum spiritualium exemplo intelliges frustra aliquos, & omnino vane, & falso garrire, & dicere, sanctos etiam Patres in scientia salutis doctrinaq; morum esse sibimet contrarios, & discordes. Utrum in aliquo aliquando diffideant, non disputo, sed transmitto; ac scio præterea eorum plurimas non tam plerumq; adversas, quam diversas extare scripturæ interpretationes, In iis, quæ ad fidei, morumq. institutionem non pertinent. Sed nego & renego eam, quam ut illis detrahant, sibi autem authoritatem omnem usurpent objiciunt dissensionem. Exemplo fidei ubiq; manuducimur. An ergo non vident hi Recentiores exceptiones omnes suas à sectariis usurpari posse, quibus authoritatem sanctorum evertant in caussis etiam religionis? oramus proinde, ut consideratius agant. Res itaque intelligitur exemplo Authorum librorum spiritualium. Alter Presbyter est, alter Episcopus, & hujus ordinis, & scholæ unus; alius contrariæ, & Hispani, Itali Galli, Germani sunt, & tamen unius omnes gentis, scholæ, ordinis status esse videntur, nec aliam quam Christi, quam veritatis citra dissensiones unam scholam profitentur. Hoc prorsùs idem in sanctis Patribus invenies: & nihil certè prohiberet, modo vellent, & quæ sua sunt, nemo quæreret, Theologos quoquo idem præstare.

§. IX

Illationes quædam & objectionum solutio.

SEquenti quæst. illationes copiosius colligemus. Nunc illa prima, & classica est, nullam opinionem falsamq; vel unam solá propositionem falsam vel ad scientiam necessariam salutis, vel ad profectum ejus pertinere, sed ad perturbationem magis, quã si humano corpori partes plumbi adiscentur. Patet, quia omnis doctrina necessaria saluti & à Domino per se. & per suos discipulos tradita est, ac perpetuo in Ecclesia sua permansit; omnis item pertinens ad profectum progressumq; ejus, & ex illa nata est, & eam in sua ratione auget, & amplificat, ut est ostensum; sed nulla opinio falsa, nec vel una propositio falsa à Domino tradita, nec ab ipso seminato semine nata est magis, quam lolium nascatur ex tritico, & utrumq; est patentissimum. Ergo nulla opinio falsa, nec vel una sola propositio falsa à ducentis etiam subscripta vel ad scientiam necessariam salutis, vel ad ejus progressum, profectum. incrementumq; pertinet: ergo ad perturbationé, & zizania, & patet, quod falsum magis vero repugnat, quam plumbum carni: ergo omnis opinio falsa magis repugnat doctrinæ à Deo traditæ, quam plumbum corpori humano. Rursus patet, omnem progressum, profectumq; rei tendere ad perfectionem ejus. Sed nulla opinio falsa, etiam mille hominum tendit ad perfectionem, & bonum

ſcientiæ ullius, ſed potius ad deſtructionem ut ex Logica,& undiqne eſt evidens. Ergo ſicut prius.

Hinc 2. Sequitur evidentiſſimè viam probabilium veritatis expertium, ſive directe, ſive reflexe ſumptam,nec ad ſcientiam neceſſariam ſalutis,nec ad ejos progreſſum,profectumq; pertinere, ſed ad perturbationem,& deſtructionem. Patet; nam via illa directè ſumpta conſtat ex veris ſimul & falſis sal ex æqno:ergo ſic non pertinet: ſiquidem nihil falſum perrinet:ſumpta vero reflexe approbat, & ad ſcientiam ſalutis neceſſariam, vel ad ejus progreſſum reducit eaſdem illas directas opiniones veras& falſas Sed hoc evidenter falſum eſt. Ergo ſicut prius: & magis multo doctrinam Chriſti deſtruere pergit,quam ſi vis nutritiva plumbeas partes homini adjiceret: & tam hæc via pugnat cum Chriſto, quam falſitas omnis pugnet cum ipſo. Sed revertar ad hæc quæſt. ſeq.

Nunc ad eas objectiones eſt dicendum quæ §. 8. inſinuatæ ſunt,& primo quidem hominom ingenia ligare videbamur, atq; extinguere vim illam mentis prçſtantiſſimam ratiocinandi,ac inveniendi. Sed ad hoc reſponſum eſt: & certa extant plurima in libro Dei,& libris ſanctorum,atq; Theſauris Eccleſiæ,quæ effodere hæc magna ingenia poſſint. De cætero nulla vis eſt in homine quaſi creandi, & excogitandi ex nihilo ſed duntaxat aliqualis fingendi:apteque homo definitur animal rationale;nam ratiocinari eſt ex præſuppoſitis aliquibus & velut fundamentis circa naturalia naturalibus; & circa ſupernaturalia ſupernaturalibus; quæ jacere hand hominis ſit,ſed altioris agentis. Ex quo denuo conſtat omnem ratiocinationem circa mores noſtram debere eſſe ex jactis olim à ſalvatore fundamentis,& non præter, nec contra, nec quiſquam poteſt aliud fundamentum ponere, ut patet ex Paulo.

Arguebant etiam ex facto;quia ſcientia præſertim moralis in immenſum crevit:quod patet ex infinita quadam multitudine opinionum, & librorum;qui, & quæ antea non erant:atque hoc argumentum ad populum vim magnam habet ; nam plerique vix aliud quam quantitatẽ molem, & numerum percipiunt,& nequaqnam qualitatem, & perinde putant Authores,libros, & opiniones addere,atq; addere augereque ſcientiam:quo ex loco faſtua ille natus eſt ętates has poſtremas glorioſiſſimas,ſapientiſſimaſq; jactandi. Verú, in primis Angelus ſcholarum lib.2 potius inferebat, ex magna quantitate in hac materia frequenter ſequi malam qualitatem: quod multipliciter in re noſtra exponi,confirmariq; poſſet. Deinde relictia aliis,nuper demonſtratum eſt nullam propoſitionem, nec vel unam ſolam particulam ſalſam ad progreſſum,incrementumq;ſcientiæ ſalutis pertinere, ſed magis ad perturbationem,ac deſtructionẽ. Sed in his tot libris.& opinionibus, cum ſibi contrariè,vel contradictorie diſſentiant,media ſaltem pars falſa eſt, & quænam ſit ignoratur,ut ſuperius habitum eſt: Iidem deinde libri forte ad medietatem falſi ſunt. Ergo ineptiſſima eſt,& ſolum videntium, non vero intelligentium illa ex librorum , opinionum, doctrinarumque multitudine ad progreſſum , incrementumqne ſcientiæ conſecutio. Poſtremo neceſſe erat, quod ex traditis, ac ſemper exiſtentibus incrementa naſcerentur.

Cæterum bic omnia ſuperfluunt, ubi Auguſtinus tacere forſitam cogit adverſarios ſuper Pſ.81. *verum tamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Quid eſt, quæris diluvium, aquarumq; multiplicitas variarum doctrinarum, intendite, fratres. M. ita aqua ſunt varia doctrinæ. Doctrina Dei una eſt: non ſunt multa aqua ſed una aqua ſive ſacramenti Baptiſmi, ſive Doctrina ſalutaris. De ipſa doctrina,qua irrigamur per ſpiritum ſanctum,dicitur: bibe aquam de tuis vaſis,& de puteorum tuorum fontibus.* Hæc Auguſtinus,ex quo mox dabo concluſionem. Sed dicis, Auguſtinum ibi ſpecificare ſtatim errorem Stoicorum de facto,Epicureorum de caſu,Manichæorum de gente tenebrarum: quibus certè erroribus falſæ , & diviſæ doctrinæ morales conferendæ non ſint, & ego quidem pridem dixi,& ſæpe dico,non eſſe conferendas in tanto;eſſe tamen conferendas in malo, & proportione;nam errores alii aliis deteriores ſunt; nec ideo minùs mali deſinunt eſſe mali

Nunc ad textum, veriſſime ſcil. diluvii ad inſtar eſt multitudo librorum,& opinionum diſſidentiũ moralium,quibus Bibliothecæ pæne refluunt.Hæ plane doctrinæ una doctrina non ſunt; quia veræ, & falſæ ſunt.Rursùs diviſæ ſunt:ergo una nõ ſunt. Item ſibi contrariæ ſunt:ergo una non ſunt,magis quam Hiſpaniæ,Galliæq; Regna unum Regnum ſint:aut ſint una aqua,& doctrina hæreſes inter ſe contrariæ,ut fatum,& caſus. *In hoc diluvio aquarum multarum*, inquit Doctor, *ad Deum non appropinquabunt qua eſt illa aqua* ſub ſit *illa vera, quæ manat de intimo fonte pura Vena veritatis?* & reſpondet eſſe,quæ docet confiteri Domino , quæ docet pronunciare adverſum nos in juſtitiam noſtram quæ humiliat cor &c. Sed præſens diluvium doctrinarum,nõ eſt doctrinarũ verarum, nec manant de intimo fonte puræ venæ veritatis,ut patet;nec item hanc ſuam inde emanationem pars etiam vera oſtendit. Sunt ergo diluvium aquarum multarum,rursùs ex his doctrinis fructus illi non colliguntur, quos deſignat; *hac aqua, inquit, in nullis alienigenarum libris eſt, non in epicureis, non in ſtoicis, non in Platonicis libris; etiam inveniuntur optima præcepta morũ & diſciplinæ, humilitas tamen iſta non invenitur: via humilitatis iſta aliunde non manat; à Chriſto venit* Ecce demũ Doctor etiam ipſe ad ſcientiam morum applicat ſuam de diluvio, de aquis multis,& de una aqua doctrinam: at de præſenti diluvio aquarũ multarum dicere poſſumus: *humilitas tamen iſta non invenitur* : magis enim per ablationem peccatorum præſumptionem quandã, confidentiamq; ingenerant , quam compungant cor,& humiliant; quin humilitatem vix curant. Quadrat ergo huic diluvio tota quanta deſcriptio Auguſtiniana. Dixerat porro paulo ante, *qui natant in diluvio aquarum multarum ad Deum non appropinquant*, illi autem natare mihi propriè videntur,qui reflexe has aquas multas conſiderantes,ſuper eas ſeſe vel projiciunt,& natant. Ex his itaq; habent, unde quieſcant. Qui in multitudine aquarum. & doctrinarum ætatum harum,in re præſertim morali gloriantur , quæ diluviom magis conflaut, niſi a fontibus ſalvatoris emanaverint.

§. X.

Confeſſio Authoris, quomodo hac perpetuitatis, & ſucceſſionis nota novitatem tot opinionum moralium cavere cœperit

ILla una aqua, illa vera docet confiteri Domino: unde & homuncio ego Domino confitebor , & pronunciabo ad verſum me injuſtitiam meam. Confitebor itaq; primum, à Domino injectum,infixumq; cordi meo à puero fuiſſe amorem ingentem veritatis, ex quo numquam cogitarem, nec penſi uſpiam haberem, utrum doctrinæ horũ eſſent, vel illorum, & quæ veræ mihi videbantur,

impigre

impigre sectatus sum, veritatemq; ipsam ubicumque possem, inquisivi. Neq; hoc diu conscientiæ lege servavi, nec de eo consideravi, sed fixum illud cordia consilium sequebar, sive placiturus essem, sive displiciturus actus magis, quam agens, vel deliberans. Hoc certè consilium non mihimet injeci ipse, sed accepi, nec satia fuisset, quod eo veritatis amore prævenisset me Deus; nam plurimis aliis sanctis cogitationibus prævenit me, quas tamen ingratus abjeci, ipse ergo & injecit, & fixit in corde meæ veritatis, hoc studium, quod citra conscientiæ leges, & deliberationé agentis instar naturalis tum consectabar, omneque aliud alienum ab homine, vilissimumq; arbitrabar, ac suitates abhorrebam.

Cùm tamen rem moralem multis in principio annis nõ tractarem, aliorum interea consuetudine, ætatisq; more, & praxi citra scrupulum omnem, & metum natare & ipse cæpi in diluvio aqnarũ multarum, opinionum, ac probabilitatum, & vere ad Deum nõ approximavi, sed rec. ssi: & utinam numquam talia credidissem. Probabilitas illa, quæ laxitatum omnium fulcrum, & salvum condoctum est, eo mihi in loco erat, in quomodo aliis est: & sic pro me & pro aliis largissimè philosophabar, & eo mihi ingeniosior, sapientiorq; videbar, quo plura, & pluribus indulgerem: ac brevissimo illo probabilitatum documento, & directarum, & reflexarum distinctione, ac dictaminibus evidentibus conscientiæ, quæ cũncta citra studium rei moralis uniua fermè horæ spatio didicerã, nihil difficile occurrebat. Sic nesciens peccavi in multis; quę ad eum demum statum quem deducunt, ut ferme impossibile sit, scienter etiam deinde non labi: cumque ex his ipsis conjicere satis potuissem, quam viam sequerer, nihil tamen didici.

Colui à principio sanctorum Patrum memoriam, eosque quidpiam maximum existimabam: evolvebam autem semper Augustinum, & Tbomam pro re speculativa. Post annorum ergo curricula illa mihi cogitatio orta est, quam, si ut credo, bona est, Tu Deus meua ingessisti. De bac tanta multitudine seu diluvio casuum, opinionum, & rerum dicebam) fere nihil invenio in Augustino, & quæ in D. Thoma lego, bausta sunt ex scriptura, & sanctis. Abii itaque consideratione ad ætatem, & sæculum Doctorum Ecclesię, & dicebam mihi: ecce hæc quasi tota scientia, quam moralem vocant, in Augustino non adest, & quasi in totum nova videtur: accepi Chrysostomum: & in eo etiam deesse mihi videbatur.

Dicebam hinc mihi: modo sine scientia ista, & casibua vivere non possumua, neque pedem movere, quomodo ergo viri illi summi animaa, & conscientias regebant? Num sacramenta tunc quoque non erant? erant. Num jejunia, quadragesima, & similia non erant? erant. An forte eo temporis Monachi erant omnes, & non etiam laici, & Reges, & subditi, nobiles, ignobiles, sartores, sutorea, Nautæ, apti, inepti, contractus, emptiones, & venditiones, justitia, mutuum &c. erant hæc omnia. Quid ergo faciebant sine hac nostra scientia? an fortè sciverunt, & exercuerunt, & tamen eorum operibua ingesta non est? hoc mihi visum fuit incredibile; cum eorum epistolas, conciones & conciũculas, & chartulas quasque viri pii & servarint, & divulgaverint. Non ergo illud omisissent, quod summum est, quomodo in genere Christiania omnibus, & quomodo deinde in singulis statib. esset vivendum, reflectebam denuo, & dicebam; num eo sæculo ignorabatur in Ecclesia Dei, quid unicuiq; esset faciendum; & hoc Doctores illi summi, & Ecclesiarum pastores nescierunt, & nunc demũ vel ex toto, vel magna ex parte inventum est? hoc porro mihi visum fuit instar monstri monstrorum contra rationẽ omnem & contra Dei erga Ecclesiam suá curam, & providentiam: & illud me argumentum convincebat, quo sæpe usua sum, juxta fidem nostrá non sufficere ipsam solam ad justitiam, & salutem, sed requiri bonos, christianosq; mores: ergo sicut vera fides in Ecclesia non defuit, ita neque recta, & necessaria scientia morum, ut superius argumentatum est, & ostensum.

Hinc novæ ferè huic scientiæ diffidere cæpi ac ab ejus usu sive in resolvendis casib. sive in aliis abstinere, profitebarq; palam, me res istas nescire, cũ novæ haud placerent, & antiquas ignorarem, vilemq; admodum, & abjectum, ac contra scientię omnis legem existimabá morem illum dicendi casus duos, aut qnatuor Authores referendo, & ratiunculam mox aliquá addendo, quarum certè ratiuncularum plurimæ in re qualibet in utramque partem facile cuivis Theologo, & non Theologo occurrerent. Illud etiam iniquum videbatur, quod cuilibet primò venienti resolutio favorabilis fere semper daretur, & si pars contraria venisset, cõtrariam, sibiq; faventem invenisset: quod moris nuspiam in ulla alia re, disciplina, vel arte viderem. Atq; cum in hunc ferme modum affectus essem, & quæstio illa de probabilibua magis in dies gliſceret, injunctum mihi fuit à viro in Ecclesia Dei, ejusque regimine conspicuo eminentis. Card. Pallavicino, ut causaa istas haud refugerem, sed ingrederer, & tractarem, ac intentionem etiam vicarii Christi, ut id exequerer, significavit: quibus obtemperans, hoc quale quale opus confeci, & hæc est confessio mea verissima ad re, Domine, Deum meum vivum, & verum.

QUÆST. VII.

Utrum ergo hac perpetuitatu, successionisque nota rejicienda videantur plurima novitates morales, sicut novitates Religionum?

QUæstionem istam subjicio, ut amicis quibusdã morem geram, qui vellent, ut ad multarum in specie opinionum discussionem descenderem, dixi equidem eis sæpe, sublatis, eversisq; fundamentis, quod in hoc opere præstare conatus sum, opinionea illas sua sponte cadere; & præterea earum aliquas etiam in specie, quantum ordo doctrinæ ferebat me confutasse, esseq; contra instituti præsentis rationem ad eas seorsim examinandas descendere: quæ plane vel uno eo extincto probabili à praxi removentur. Nihilominùs hac perpetuitatis doctrinæ murum occasione aliquas particulares opiniones in plurimarum aliarum specimen ad originem suam censere, & per hanc perpetuitatis notam judicare consultum visum est. Ingero autem semper exemplum, quo manuducar, religionis, nec collatio est æqualitatis, sed proportionis.

§. I.

Ad quos pertineat probare an adversarios, an ad nos doctrinæ sua perpetuitatem, ac legitimam successionem, vel non successionem?

VIdentur certè existimare ad nos pertinere Provinciam istam, & onus probandi; cum enim à nobia & aliis v.g. contra probabilismum per multa authoritates scripturæ, & sanctorum adductæ sint, primo respondent, eas authoritates non esse in terminis, ut aiunt terminantib. & deinde respondent, eaa tales non esse, quæ interpretari non possint, & quæ intergiversabiliter, ut loquuntur, concludant.

Unde

Unde satis numeri suo fecisse existimare videntur, si quæ in moralismum suum objiciuntur quoquomodo solvant: suum vero esse non putant hanc suam tantam scienriam ab origine, & à majorum tradirione deducere, soæque doctrinæ in se, vel saltem in principiis perpetuitatem, successionemque commonstrare. Quare de hoc nunc primo est tractandum, urri probare teneamur.

Quod ur meliùs intelligatur, syllogismum istum formo. Omnis doctrina morum salutisq; sciẽtia necessaria, ac pro omnib. statibus sufficiens fuit perpetua in Ecclesia Dei, sicut vera fides: omnis item ejus progressus, ac verum incrementum ab iis ortum est, atq; manavit, quæ semper fuerũt, & à principio rtadita sunt: & omne reliquum pertinet ad perturbationem & destructionem. Sed probabilismus vester, magnaq; pars moralismi vestri nec perpetua fuit in Ecclesia Dei, nec ex iia otta est, neq; manavit, quæ semper fuerũt, & à principio tradira sunt. Ergo probabilismus vester, magnaque pars moralismi vestri non est doctrina morum, & scientia salutis necessaria: nec item ad ejus progressum, verumque incrementum pertinet, sed ad perturbarionem, & destructionem. Cavi vero quæst. præc. sermonem haud esse de novis juribus, & legibus.

Syllogismi hujus proposirionem majorem tota præc. qu. conclusimus, de propositione minori modo est quæstio, utri eam, vel ejus contrariã probare teneamur: & renendũ abdubie est, adversariis probandi onus incumbere. Quamobrem quamquam ut plurimis fortissimis mediis minorem nostram evincimus, nihil omnino haberemua ad cam commonstrandam, adhuc causa caderẽt adversarii, si contrariũ ipsi positive non ostenderent, suam scilicet legitimam originem, successionemque à sanctis Patribus, ab Apostolis, à Christo, à Deo, ut Tertullianus ponebat, seu ut Cyprianus, Augustinusq; loquebantur, per canalem ducant aquam salutarem de fontibus salvatoris, non aurem de cisternis aliia.

Patet itaq; ipsorum obligario ad probandum. Primò quia sic jua omne, & praxis in nobilitate, successioneq; qualibet statuit, ut ille positive probare debeat, qui successionem affirmat; non qui negat: secus in malis, & actor probare tenerur, si Judaismum, infectionemve aliam, & maliriam opponat. Alioqui omnes, & singuli jactare possent suam à Regibus stirpem, & prosapiam: sic eriam sapientiam: in bello gesta facinora, expugnatas arces: divitias: potentiã, & hoc genus cæteraa qualitates. Quare jure constitutũ est, ut reus ipse, vel quasi reus, qui affirmat, non qui negat, probare teneatur; sed noa negamus probabilistis, plurimarumq; aliarum opinionũ assertoribus successionem suam, & legitimã originem, ipsi vero affirmant. Ergo probare tenentur, & confirmatur: nã vel habent, unde probent, vel non habent? Si non habent, de antiquitate, perpetuitateq; ex qu. pt. pręscribimus, & nostra est possessio. Si habẽt, docere non possunt neq; cunctari probare, si quidem i. e. sibi gloriæ futurum est, & doctrinis suis maximè commendationis, ac ponderis, & certè in similibus quicumq; cunctantur, & tergiversantur, hoc solo se reddunt suspectos. Nobis vero & mũdo maximi solatii erit lib. morales tam scripturis sanctorumq; sensibus confectos videre, quam videmus modo aliquos jejunos, & discursulis quibusdam contextos.

Secundo quia ipsa notione naturali in omni doctrinæ controversia, omnes eam legem supponunt, ut is probare debeat, qui affirmat, opinionem suam esse S. Thomæ, esse August. vel Conc. Trid. vel Apostoli, & suum id esse supponens, adducit quisq; textum, quo probet, & confirmatur: quia cum res & authoritate, & ratione stabiliantur, sicut qui via rationis procedunt, haud sanè affirmant, & tacent, sed rationem reddunt, hocq; suum esse minime dubitant: sic quando via authoritatia proceditur, authoritatẽ reddendam incunctanter existimant. Vel ergo Recentiotes tenent, probabilismũ, moralismumq; suũ contineri explicite, vel implicite, & virtualiter in doctrina salvatoris, & uniua Magistri nostri & sanctorũ suorum, & Conciliorum! & tunc probare debent, vel non hoc tenent, sed à se non pridem inventam scientiam salutis, hominesq; salvandi artem: & tunc exorbitant: & adversum ipsos depositum servandum est, & vitandæ prophanæ, seu alienæ vocum, rerumque novitate, & siquidem Canalis, & aquæ ductus defecit, ad fontem recurrendum est.

Tertio, quia bifatiam doctrina aliqua ex alia manare, fluereq; potest, vel eam ipsam in se retinendo, & tradendo; vel ex ea conclusiones eliciendo. At utrovis modo præsens quasi diluvium doctrinarũ, & opinionum à pristina, & prima doctrina salvatoris manet, fluatq;, adversariorum, non nostrum est hoc ostendere, vel signate, vel exercite, scil. ostendendo re ipsa scriptum, quod dicunt; aut adducẽdo saltem re ipsa, & exercitè, praxiq; scripta olim, & ab initio principia, ex quib. colligunt, conclusionesq; eliciunt, & promunt; quod certè ipsi moralistæ apprimè norunt, & diligenter aliorum opiniones referunt, & cumulant, quas vel sequantur, ut jacent, vel ex quib. aliud quidpiam inferant, & addant; & nisi hoc præstent, haud putant, se muneri suo satisfecisse. Ergo hoc ipso suo jure probare tenentur, & suam à prioribus, & priorum ab aliis usq; ad originem successionem legitimam Non ergo sufficit, respondemus, interpretamur, sed oportet, ut positivè probent: quod tunc sanè præstabunt, quando libros suos, sicut aliorum opinionibus, sic scripturis Dei, dictisque sanctorum, & Ecclesiæ statutia, & rebus verè Ecclesiasticis, & sanctis compleverint.

Hinc verò præc. qu. doctrinam ad hominem instauro. Nullus fuir hac etiam ætate insolens adeò, vel stupidus, qui suum esse somniaverit, aliquam novam saluria scientiam, doctrinamq; morum excogitare, & creare, idcirco, ut dicebam, & apertis libtis constat, omnes aliorum priorum opiniona referunt, quas sequantur, vel ex quib. saltem inferant: hocq; ipso vel naturæ vel christianismi instituto, instinctuq; supponunt, & servant. sed eadem erat ratio, & jus, ne priores hi, quos referunt, aliquam novam salutis scientiam obtruderent, sed tenebantur ad priores alios, & hi ad alioa vsque ad legitimam originem: sicut nos præsentes tenemur ad priores nostros. Constat ergo necessitas reducendi, & per originem suam, successionemque censendi, & judicandi doctrinam moralem, scientiam salutis, ac homines salvandi artem. Aliunde vero jam ostensum est, ad unumquemque, in quibus affirmat, & opinatur, pertinere onus probandi successinnem suam.

Atq; hanc sanè legem servant orthodoxi in caussis religionis, & si de eucharistia est controversia, vel de Papatu, vel de Monachismo, & aliis afferunt testimonia scripturæ, & sanctorum: hocque supponunt ad se pertinere. Est ramen quasi infinita quædam in hoc differentia à moralismo. Eteuim evidentissimis, ac sole ipso clariorib. argumentis constat, Ecclesiam nostram esse veram: unde quoad necessitatem sufficit nobia nosse, hoc, aut illud tenerẽ ab Ecclesia, & si rerum originem nesciamus, nec

conclu-

concludenter probare possimus. At in his controversiis moralibus, non suppetit medium, quo, & unde innotescat, hos, vel illos Authores harum, vel illarum opinionum, præ aliis esse veros. Quare vel res ipsæ per suam successionem veræ ostendendæ sunt vel his relictis ad Doctores eundum haud dubiè veros, ut supra determinatum est.

§. II.

Positive ostenditur, complures opiniones Morales, & modum Philosophandi de rebus conscientiæ non fuisse perpetuum, nec successisse.

Inquam, positive ostenditur, complures opiniones præsentes, & modū, qui irrepsit de rebus conscientiæ opinandi non fuisse perpetuum, nec successionem, originemq; suam trahere ab Evangelio, nec à sanctorum Patrum doctrina: hoc patet ex decreto edito anno 1665 ubi sic: *sanctissimus Dominus noster non sine magno animi sui mœrore audivit, quam plures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina.*

Sic argumentor sunt ergo in moralismo præsenti complures hæ opiniones relaxativæ, perniciemque animabus inferentes, ergo hæ per Canalem à doctrina salvatoris non fluunt, ut patet. Ipsi igitur has complures à cæteris segregent, easq; reliquas ostendant à salvatore venire: sin minùs sicut in urbe, in qua constat, complures esse peste afflatos, tota urbs inret dicitur, ne pereamus, magis multo cavendus erit moralismus tecens, in quo constat, complures opiniones esse commixtas, quæ animam interimant, sed de hoc actum qu. 4.

Rursùs ad præsens: irrepsit ergo, & est modus ille de rebus ad conscientiam pertinentibus opinandi, & Philosophandi omnino alienus ab evangelica simplicitate, sanctorumq; Patrum doctrina. Sed modus opinandi omnino alienus ab Evangelio, sanctorumque Patrum doctrina, nec ex eis originem, successionem trahit, nec perpetuus fuit. Ergo saltem da complu bus opinionibus, ac de ipso etiam modo opinandi, qui irrepsit, positivè constat non successio, & non perpetuitas, in quas proinde opiniones, & modum illud Apostoli cadit, *si quis aliter evangelizaverit, anathema sit.* Atq; ad istam facti veritatem evincendam mundi ferè totius christiani illustrissimorum Episcopor. Reverendiss. Generalium regularium, capitulorum, Congregationumque sensa, & suffragia evocari possunt: & cum non pridem ea quæstio inter duos gravissimos ordines exarsisset, utri malorum, & novitatum causa extiterint, concessum est utrimq; malum, & alii in alios culpam rejecerunt: & neutri unquam palam, se Authores fassi sunt. Quod porro imperitissimi quidam de significato eo Decreto garriunt, in prologo insinuavimus & refutavimus brevissima commonitione, quæ pro extrema adeo ignorantia explodenda sufficit.

Confirmatur ea facti veritas de non successione, & non perpetuitate. Primò, quia plures rei moralis tractatores, ut experti loquimur, suum haud putant nosse scripturas, Evangelium, Apostolus, & S. Patres; quin eo dementiæ quidam prolapsi sunt, ut impudentissime ausint dicere spiritum hæreticum esse si scripturæ cognitionem requiramus; unde scripturæ Author ipse, & scriptores, & cultores, ac commentatores omnes, id est, sancti Dei, cæterique gravissimi viri hæretico spiritu arrepti sint. Hinc patet, se nō proficere eam scientiam, quæ à Domino, suisq; Apostolis tradita, est, & ad nos usq; manavit, sed aliam. Hæc ergo non succedit. Rursùs patet ex multis libris, in quibus cùm adeo impense alii homines referantur, & cumulentur, Domini, vel Apostolorum, vel sanctorum ullam vix mentionem, dictumve invenias, & videntur libri hominum alterius religionis. Nuper percurri summam moralem multorum voluminum, ordine alphabetico contextam: Quæsivi Christum, & non erat, quæsivi summam Prophetarum, & legis scil. charitatem, & dilectionem Dei, & proximi: & non erat: quæsivi Evangelium, & non erat: quæsivi humilitatem, sine qua salvatur nemo, & nō erat, & S. Paulum, aliumve Apostolum, sanctumve percurias, contraria omninò invenias, & referta cuncta Christo, charitate, humilitate, & sanctitate. Ergo hę duę doctrinæ nullum successionis, nullum consanguinitatis, affinitatisve gradum inter sese habere videntur. Unde cum tot quotidie casus conscientiæ resolvantur, rogavi aliquos, ut ex scripturis, sanctorumve doctrina resolutiones suas deducerent, & supponebant, nihil in eis suppetere, ex quo resolutiones suæ, & conclusiones hauriantur. Ergo modus hic resolvendi, & opinandi omnino alienus est ab evangelica simplicitate, & sanctorum Patrum doctrina. Neque vero hac voce, *simplicitate*, superbiant, quasi perinde simplicitas ista sit, atq; ignorantia, & rusticitas, & sibi relicta sit sapientia, & ingenium. Hæc namque simplicitas perfectio ingens est, & sic Deus inprimis ipse simplicissimus, est, & compositioni, duplicitati, multiplicitatique opponitur. Evangelium ergo simplex est, & omni duplicitati repugnat, & habet est, est, non, non. Modernus contra moralismus duplex est, & bilingui illa probabilitate utitur, & habet *est simul, & non*: cum sua regula sit probabilitas contrariarum, & contradictoriarum propositionum, sicque à simplicitate prorsùs distat?

§. III.

Constat etiam positivè non successio saltem in multis exprobatis hoc opere.

Atque inprimis de probabilitate, qua una extincta modus ille, qui irrepsit, cadit: & nulla opinio, & novitas nocere potest, nisi hoc invocato probabilitatis quasi brachii sæcularis auxilio. Ostendimus porrò part. 1. & iterum sæpe hac 2. probabilitatem istam non modo non succedere, sed ex diametro repugnate scripturis, & evangelio sanctorumq; doctrinæ: utque cætera omittamus, res hæc demonstrative constat: quia quidquid in scripturis Dei est, vel inde sequitur, & manavit, verum est sine apice falsi, neque ex vero, ut Logici etiam pueri norunt, falsum quidpiam sequitur; sed via ista probabilitatis amplectitur, & probat, quæ in scripturis Dei nec sunt, nec inde sequuntur, & manarunt. Ergo non succedit, sed repugnat, cum falsa veris repugnent, quod sæpe multipliciter explicatum, demonstratumque est: & revera in falsa quælibet cadit potius objurgatio illa Apostolica 2. ad Corint. 6. *aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* institutum porrò viæ hujus est sociare lucem, & tenebras, vera, & falsa, cumque rursùs vera à Christo fiot, falsa vero nisi à Belial non sint, videant qualem conventionem instituant. Hoc genus quidpiam pro bono pacis molitus est olim Constantius Augustus: cui hoc textu, & aliis fortissime obstitit Hilarius Pictaviensis; priusquam ursi, & agni in societatem consentirent, quam vera, & falsa, quæ probabilitatis nexu in jugum vincere,

&c.

ab aliqua familia originem non ducere, p oiecto de filiis quoque, & prole tota confecta rea esset.

§. IV.

De usuris; atque de illa communissima occulta, ut vocant, compensatione Regibus maximè perniciosa.

Communes de usuris doctrinas, quibus usurarum omnis ratio ablata est (atque idem est de simonia) perpetuas in Ecclesia non fuisse, neque succedere, sed Prophetis potius, ac Evangelio contradicere, & a doctrina sanctorum Patrum exorbitare, lib. 2. satis significatum est? Nam super abundantiam, & amplius accipere, quibus formulis usuræ per Prophetam declaratæ sunt, jam usuras non esse, modo tituli illi ad sint, qui certè nec Judæia olim desuere, latissime propagarunt. Opusculum habeo, in quibus de usuris fusè tracto; sed instituti præsentia non est hæc ex condicto de rebus his particularibus tractatio, sed ex constitutis notis earum novitatem, ac non parpetuitatem, non successionemque ostendendo has doctrinas de falsitate convinco. Omnes itaque textus utriusque testamenti de usuris agentes adducantur, & palam, apparebit, super abundantias istas non succedere, sed repugnare, & unus Ambrosius lib. de Tobia pro mille nobis sufficit: Hieronymi, item doctrinam lib. 2. dedimus; Augustinum, & Ambrosium suo diei servamus, & Thomas pridè rem totam 2ª 2æ· & alias demonstravit.

Nunc vero pro asserendo maximè Regum patrimonio, quod occultis, ut vocant, compensationibus plurimi copiosè defraudant, omissis aliis non ita receptis opinionibus, de occulta ista compensatione aliquid est dicendum; verè enim eo in loco jam hæc opinio coostituta est sectatorum multitudine, ut nullo scrupulo plurimi ea utantur, & tot fermè judices in rempublicam invecti sint, quot creditores. Occultam compensatiooem eam vocant, qua quis clam ex bonis debitoris tantum propria autoritate accipit, quantum sibi debebatur. Quærunt itaque utrum ea liceat? & affirmant non tot, quin plures: quasdam tamen conditiones requirunt, primò quod debitum sit certum; & jam ad probabile etiam ampliarunt. Secundò quod plus non capiat. Tertiò quod hæredibus debitoris, vel suis constet debitum esse solutum, ne idem bis solvant Alii requirunt quod res commode judicio recuperari non possit: addunt tamen hodie regulariter res judicio commode repeti non posse. De deposito etiam docent fieri posse hanc occultam compensationem; item in gabellis, si debitor sit Princeps, & si tertiæ personæ locatæ sine, nec interesse ajunt, si sint alii creditores anteriores. Cum porrò infiniti in Republica sint, qui Reges debitores suos existiment; in primis Juristæ, ut vocamus in Hispania omnes, quibus dimidiam solùm partem redituum quotannis solvunt; milites deindè omnes, quibus stipendia multa deberi solent; Ministri prætereà alii, quibus etiam jura alia, & debita suppetunt, hi omnes hoc occultæ compensationis privilegio, à gabellis primùm excusatos, exemptosque se putant, & merces quantaslibet, si possunt, clam invehunt; deindè si patrimonium regium administrent, ex eo debita sua arripiunt: quod si hoc ipsi perse facere non possint, aliis qui possint, jura sua vilius vendunt, & hi deindè totum ex integro ex ære regio repetunt. fortè haud exorbito, si dixero, Regi nostro hac una opinione millionem scutorum quotannis auferri.

Quod si requiramus, quibus fundamentis tanta hæc opinio, & tantorum inducta sit, alia ego invenire non potui, nisi quod ea contra Justitiam in primis non sit; nam quod contra æqualitatem non est, nequit esse contra justitiam, quæ in æqualitate consistit unius ad alterum: Servat autem opinio æqualitatem: ergo justitiam. Deindè juxta Justitiam est omne in æquale æqualizare; contra autem inæquale manere; maneret autem in casu; cum, ut ponimus, per judices commode debitum repeti nequeat, sed magnis, ut ajunt, sumptibus. Licet ergo hæc compensatio; alioqui creditor maneret læsus. Adde, absurdum esse, quod nullum supersit medium ad repetenda nostra; sed in casu non superest medium Judiciorum: Ergo concedendum est hoc alterum occultæ compensationis, sin vero aliquam ab origine successionem, aut saltem à Philosophia, vel Jure derivationem petas, nullam afferunt afferrevè possunt. Autoritatem item probativam nullam adduxerunt præterquam S. Thomæ: & ego quidem olim hoc ipsis affirmantibus credideram, duosque eo temporis casus alterum tenuis, alterum ingentis summæ contra Regem resolvi: quando vero discere cœpi, miratus fui, rem hujusmodi à tanto Doctore, cujus tam nota erat mihi sapientia, doceri potuisse; & ipsum adii, & inveni, eum nihil de occulta hac compensatione tradere, sed solùm docere, unumquemque posse rem suam repetere, ubicumq; eam invenerit. Addent in confirmationem transcendens etiam illud peccata tollendi. Quod si jus aliquod, vel legem, vel rationem alleges, suam illam cantilenam reponũt de foro interiori, & exteriori.

Verùm hic ego Vellem Recentiores Theologos fugere, & apud Consiliarios, & Senatores quosque peritissimos, scientissimos, ingeniosissimos causam agere. Horum itaque fidem, auxilium, consensumque implorando, quid mihi videatur, sincere confitebor. Puto igitur opinionem istam esse contra insitum gentibus omnibus lumen naturæ; contra Politiam item omnem, tum naturalem, quam Christianam, ac demum singulis, & omnibus, maximè vero Regibus, Principibúsque perniciosam.

Est enim insitum gentibus omnibus lumen, quod nemo inauditus condemnetur, uter multis juribus, & gentium, & Christianorum; usuque & praxi omnium constat; habere enim pars adversa potest plures exceptiones, & Rex jure, & Justissime allegare posset, se non esse solvendo, & prius esse, ac omni jure præferendum defensionem Regni solutioni debitorum: utrumque vero simul se non posse, & similia. Sed hæc opinio in auditum Regem, cæterósque debitores condemnat. Est ergo illa contra insitum gentibus omnibus lumen naturæ.

Est denuò ea contra lumen naturæ: quo scilicet institutæ gentes omnes existimarunt, neminem esse bonum judicem in causa sua. Hæc origo ubique gentium non omnino barbarum fuit institutionis Judiciorum, & potestatis publicæ lege etiam Domini constitutæ, & probatæ, ut non partes ipsæ, sed tertiæ aliæ personæ in æqualia Reipublicæ & singulorum ad æqualitatem redigerent, ut mundo, & omnibus patentissimum est. Sed hæc opinio unumquemque facit judicem, & æquatorem in causa; atque sic impetit originem ipsam, & cardinem institutionis

judiciorum ; & poteſtatis publicæ : quin etiam ipſam condemnat , quia apertè fatetur, hoc à Republica , & à Deo etiam ipſo conſtituto medio res commodè hodie reperi non poſſe, ſed magnis ſumptibus ; & ſic etiam ſenſim improbare poterit Principatum, qui ſubditis magnis ſanè ſumptibus conſtat , & jus Regis olim edictum eſt à Samuele. Ergo ſicut prius.

Hæc ipſa origo ubique eſt recuſationis judicium, ſi amici, ſi hoſtes ſunt, ſi conſanguinei, affines, &c. Quia ſimiles æqui judices eſſe non ſolent ; atque hæc eſt notio naturalis ubique agnita, & tot juribus conſtituta. At hæc opinio non amicum, non conſanguineum, ſed unumquemque facit in ſua cauſa judicem, & executorem. Ergo eſt illa denuò contra, in ſitum lumen naturæ.

Prætetit item circunſtantias actuum humanorum, *quis*, *quid*, &c. Sine quibus nullus actus humanus eſt licitus. Etenim conſideravit ſolùm *quid*, ſcilicet æqualitatem, ſed præterivit *quis*, nempè quis æqualitatem poneret ; eſt enim hic quis poteſtas publica, & Iudices : non autem ſinguli nec in cauſa ſua nec in aliena; ſin minus ipſa prima elementa Politiæ omnis, & Reipublicæ tollimus, ſi ſinguli ſint *quis*, id eſt, qui inæqualia æquare debeant. Et conſirmatur; quia alter extraneus non eſt *quis* aptus harum recompenſationum, & ei diceremus ; quis te conſtituit judicem ; atque uſurpatæ juris dictionis reus fieret. Ergo multo minus unusquisque in ſua cauſa eſt *quis*, videlicet cujus ſit æqualitatem poneret.

Hæc omnia patent exemplo Juſtitiæ vindicativæ ; & quibus fundamentis unumquemque in juſtitia commutativa judicem faciunt, eiſdem ad verbum facere poſſunt in juſtitia vindicativa, inducereque occultas vindicationes, ſeu ſicut in compenſationibus nomina commutamus,& non furtum,ſed compenſationem appellamus, ita homicidii ablato nomine compenſatio, vel juſta retributio vocari poterit. Siquidem, ſicut mutuo, vel furto, ſic etiam homicidio inæquale poſitum eſt ; & ego v.g.ſcio certiſſime,fratrem,vel Patrem meum occiſum eſſe a Petro , nec medio judiciorum commode,& ſine magnis ſumptibus, quin forte nec incommode, nec ullo modo æqualitatem conſequi poſſum. Num ergo mihi liceat occulte, & clam Petrum laqueo ſuſpendere,vel ſclopeto tollere? Ecce enim non niſi ipſam ipſiſſimam æqualitatem pono non minus, nec aliter, quam in occulta compenſatione ; & Iudices quique rectiſſimi hanc eandem æqualitatem, & ſanctiſſime ſanè ponerent Petrom laqueo ſuſpendendo: atque idem eſt in univerſa juſtitia vindicativa,& in omnibus læſionibus. Quid, oro vos, hic ad juſtitiam deeſt? non æquale. Diceris itaque, opinor, deeſt *quis*; nam non uniuscujusque,non ſingulorum, ſed Poteſtatis ſolùm publicæ , & judicum eam in rem conſtitutorum eſt in æqualia iſta per juſtitiam vindicativam æquare. At opinor, non minus, nec aliter, nec alio jure conſtituta eſt poteſtas publica, & conſtituti Judices pro juſtitia commutativa. Abſurdiſſime igitur æquatores ſinguli inducti ſunt.

Quod item ajunt, aliorum creditorum, nec anteriorum quidem, & rerum aliarum, quæ in judiciis exactiſſime ſervari ſolent, vel debent, nullam habendam eſſe rationem eſt profecto contra rationem omnem. Idcirco ſcilicet iſta in judiciis ſervantur ; quia ratio ipſa naturalis dictat, anteriores creditores eſſe præferendos ; item dictat, creditorum omnium habendam eſſe conſiderationem,nec æquum eſſe,quod Petrus decem creditores habeat, nec in bonis ejus ſint niſi centum, ac uni creditori omnia centum tribuantur, & cæteri jejuni mittantur; quod & perſe notum eſt, & multiplici ratione declaratur. Ergo contra rationem, & abſurda eſt ea harum rerum omnium præteritio.

Quod porrò de foro interiori, & exteriori ubique recantant, quaſi forum exterius ſit rationis, & legis; interius autem exlex, ac ſolutum quidpiam, & præter rationem, hoc, in quam,conſtanti Recentiorum etiam ipſorum judicio protritum eſt part.1. Nam cum evidens ſit rectum judicium concordare cum recto judicio, ubicumque eadem conſtat, Recentiores etiam ipſi tamquam indubitatum tenent, utrumque forum concordare, quoties eadem utrobique innoteſcunt , neque in alterutro falſa aliqua præſumptio , vel ignorantia intervenit, ut part.1. oſtenſum eſt. Et certè cum forum interius, & conſcientiæ aliud, opinor, non ſit, niſi forum divinæ legis, Recentiores illi, qui hoc in loco, & alias ad forum ſacrum conſcientiæ confugiunt, deberent oſtendere, eas gentium omnium, & à natura ipſa dictatas leges, quod nemo inauditus condemnetur , quod nemo eſt bonus judex in cauſa ſua, & cæteras illas à Domino per legem ſuam eſſe derogatas, & contraria conceſſa, laxataſque omnibus ad omnia manus. Quod ſi ſomnium hoc eſt,ut revera eſt, nec ſimilia à Domino magis,quam à Republica conceſſa ſunt,quorum non intelligendo, & loquendo, quæ non intelligunt, forum interius Domini,& conſcientiæ pro relaxatione paſſim obloquuntur.

Hinc cum quidam ex primariis Juſtitiæ commutativæ adminiſtris a me quæſiiſſet,num hujus modi quædam compenſatio cuipiam amico ſuo in foro conſcientiæ liceret, ego reſpondi: hos caſus Domine , ac ferme omnes juſtitiæ tutius nos dominationibus veſtris proponere poſſumus, ſententiamq; quærere,quam contra. Dominationes, credo,veſtræ damnarent ſimilia,his,& his permoti. Affirmavit vir ſapiens. Tum vero ego : credat Dominatio veſtra, nobis nulla ſecreta cœleſtia reſervata ſuppetere, nec ullas diſpenſationes à Domino conceſſas, quibus hæc, & alia, quæ in jure ſanctiſſime conſtituta ſunt, recindamus. Laudavit tunc,& poſt reſponſum, anicoque aſſeverantiſſime diſſuaſit eam compenſationem.

Alter etiam ejuſdem ordinis vir inſignis tamquam rem manifeſtam caſum alium ſimilem occultæ compenſationis mihi propoſuit. Rem, inquit, cum multis Theologis tractavi, & omnes eam licere affirmarunt : & num idem ego cenſerem,interrogavit. Aderat alter Theologus,qui & ſi non interrogatus, tamen exiliit, & rem licere tam promptè affirmavit,atque ſi caſus eſſet,utrum duo, & tria eſſent quinque. Ego inſignem virum ad forum ſuum deduxi,& cauſas togavi,quas pleniſſime noverat, cur iſta ipſi in foro condemnarent? Tum ego eas ad conſcientiam applicavi, & deſtitit vix Chriſtianiſſimus à propoſita compenſatione,ſubdiditque, ſe exiſtimaſſe,nos Theologos habere pro conſcientia arcanas alias, & ſibi ignotas rationes.

Nuper

Nuper subditi cujusdam viri Principis,& Magnatis volebant plura millia scutorum ex bonis ejus repetere per occultam istam compensationem, & Magistrum Theologiæ consuluerunt. Hic vero, qui propter consuetum nihil quidem eatenus in compensatione dubitabat, propter adjunctam quandam circumstantiam me interrogavit. Damnavi ego compensationem ipsam,& ut est homo maximi ingenii, & quod non minus intereft, minimè contentiosus, & citra partium studium veritatis solius amator, facilè consensit, & compensationem eam improbavit, meque enixe rogavit, ut hoc in opere aliquid de ista compensatione dicerem: quam sanè vel nomen ipsum *occulta* satis improbat, juxta illud *qui male agit,odit lucem*. His paucis morem gessi amico: atque ex illa receptissima, & in Canonem ferme à Recentioribus versa opinione, quæ omnis legitimæ originis, successionisque expers est, conjectura fiet ad alias paucioṙum, & inferioris notæ scriptorum opiniones. Ii vero, quos memoravi, omnes tres vivunt, & facilè si re esset, consultari possunt.

QUÆSTIO VIII.

Utrum ex his practicè constet, quinam sint in Ecclesia, illi sapientes, quorum dictis est standum, quique faciant probabile conscientiæ? quæ item doctrina Ecclesiæ?

PArt. I. Constitum fuit, eos esse sapientes,quorum dictis est standum: eos pares ad probabile conscientiæ inducendum,qui raro, & ferè numquam fallerent. Dixerunt quidam, hoc nimis in aëre esse constitutum, neque constare quinam re ipsa essent hi, qui raro, aut ferè numquam fallerent.Cæterùm part 1. nostra viam ad hanc secundam sternebat; & jam nunc Dei gratia non notis,indiciisque æquivocis, quæ omnibus ferè convenire videantur, sed nominatim etiam in Ecclesia edicere possumus, quinam sapientes isti sint. Desinant ergo scioli quidam hoc probare, quod negat nemo, sapientibus scilicet esse credendum.

§. I.

Removentur primum pravæ quædam intelligentiæ definitionis Aristotelicæ Probabilium.

ILla in primis in consideratio valdè voluntaria extitit,quod cum Aristoteles in Ethicis,Rethoricisque probabilia definierit esse, quæ plerumque contingunt, & ut in plurimum ita eveniunt, ita hoc accipere,vertereque voluerint,ut satis ad probabilitatem haberent, si pluries quoquomodo cum vero, quam cum falso connecteretur. In quo ultro,citroque exorbitavit novissimus quidam ex Belgio probabilium assertor, quod sanè falsissimum, est; neque ad credendum satis est, si pluries, sed necesse est, ut ferè semper ita eveniat: ut satis part.1. ostensum est: nec si ex centum carceratis sexaginta liberandi sint, suspendi vero quadraginta, opinari corde, ac credere cordatus quisquam potest etiam cum formidine opinionis propria, Antonium, qui excentum illis unus est esse liberandum; sed hærebit,timebitque, ac sententiam, judiciumque suspendet. Exemplum est eminentis in genii Card. Pallavicini,qui addebat, stupidos esse,qui hoc non intelligerent.

Illud vero hoc circa acutissimum est, ac magis mirandum in novo autore, quam rejiciendum, quod cum probabile definierit esse, quod pluries saltem cum vero,quam cum falso connectitur,hoc est, pluries verum, quam falsum existat, velit interea hanc suam definitionem & æquè probabilibus,& minus probabilibus in probabiliorum concursu congruere. Quod, opinor, citra laborem nostrum quilibet Mathematica demonstratione confutabit, si concursus retineatur; alioqui termini illi *minus, & æquè*, ac proindè hæsites locum non habent.

At subtili magistro visum est, has quidem definitiones probabilitatis modo dicto ab ipso inversas veras esse, parum tamen praxi deservire; cum in singulis noscere obscurum sit, utrum medium, quo hac vice opinamur, sæpius cum vero connectatur. Verum si locus hic esset dicendi, facilè ostenderemus intellectum (iis saltem omissis, quæ sensibus haurimus, vel intellectualiter videmus) nihil de particularibus judicare, quin judicet de universalibus, nec medio ullo ad aliquid in particulari opinandum, asserendumvè moveri, quin universaliter judicarit de ipso relatè ad suas conclusiones; qua de causa proverbium est, sensus esse particularium, intellectum autem universalium. Quamobrem ex hoc medio, *durum* nequeo mente inferre, neque credere concionatores v. g. non teneri ad jejunandum, nisi universaliter de eo medio statuam, illud esse saltem pluries cum veritate connexum. Sed de his alias.

Hic ergo Autor his omissis definitionibus probabilitatis, censuit pro probabilitate exponenda eumdum esse ad librum 1. topicor. ubi Aristoteles constituit, probabilia esse, *quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his, vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis*. Hinc vero assumit, aut supponit, hos sapientes esse eos, qui visi sunt; & quorum sapientiam nullo certo signo, nec item probabili, ac pluries saltem vero statuere valeat.

Laudo illum plurimum in eo, quod per verum vel falsum omnia mensus sit. At non video quid amplius,ut ajunt, melis in hac topica definitione,quam in aliis repererit.Neque enim dubito, nec acutus Autor, credo, dubitabit, rogatum de hac sua topica definitione Aristotelem, cur probabilia illa sint, quæ videntur omnibus, vel plerisq; &c. Illud enim responsum, quia scilicet talia plerumque, & ut in plurimum vera esse soleut. Si rursùs eum rogaremus, utrum ea, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, &c. Probabilia sint, credibiliaque, & digna assensu, & si quæ eis videntur, pluries falsa esse solent, aut ex æquo, vel ferè æquo vera, vel falsa? Non dubium, quin responsurus esset, nequaquam ea tunc futura probabilia magis, quam quæ ignorantibus videntur. Hæc ergo definitio topica ad eas recidit, quæ in Ethicis, Rethoricisque traditæ fuerant; & omnes eodem diriguntur; quemadmodùm & illud aliud Ethicorum, Sapientium dictis non aliter, atque demonstrationibus esse standum; omniaque resolvuntur vel ad semper, vel plerumque saltem, ac ferè semper verum.Semper porrò verum si est cum impotentia aliter se habêdi,ut est consensus totius humani generis, non probabile, sed certum facit. Probabilia ergo illa sunt, ut in Prioristicis etiam definitur, quæ aliter se habere possunt; plerumque

tamen, ac ferè semper ita se habent, ob difficultatem scilicet aliquam magnam in contrarium, ut part.1. lib.2. declaratum fuit. Quæ cum ita sint, per connexionem cum verò ferè semper probabile quasi in genere definit. Atque sic in Ethica, & Rhetorica probabile definitum est: in topicis verò definitur probabile, quod ab extrinseco dicimus & est species, ac ab autoritate ducitur: omnis autem doctrinalis autoritas, ut sæpè fidentissime usurpamus, consistit in non falli, neque fallere, sive utrumque autoritatem constituat, sive alterum quidem constituat, alterum verò connotetur. Hic deindè Recentior ad explicandum genus scilicet probabile, ad unam speciem scilicet, ad probabile ab extrinseco contra Logicam salvavit. Atque hæc sanè leviora sunt. Illud hic maximum est, & plenum praxi, qui sint in Ecclesia Dei pro rebus conscientiæ illi, vel omnes, vel plerique, vel sapientes; atque hi, vel omnes, vel plerique, vel maximè noti, qui vel certum, vel probabile saltem conscientiæ autoritate sua inducant? Num confessores omnes intelliguntur, aut saltem omnes illi, qui libros morales scripserunt? & hoc non ex sensu, & mente Autorum quorumcumque gravium, qui probabilia regulam conscientiæ esse dixerunt, ut part.1. ostensum est, ut fatentur etiam modo nobis contradicentium meliores quique, & hic ipse Autor in prologo. Quorsum ergo, & qua consideratione hi ipsi, ut numero longoque Catalogo terreant pro sua probabilitate statuenda omnes prorsùs sine exceptione scriptores fusissime tendunt, cumque novus hic Autor gravissima oratione in suo prologo invectus in eos sit, qui ab hinc maximè annis triginta doctrinam, ut inquit, morum relaxarunt, Bibliotecasque libris moralibus impleverunt, deindè ut probabilia sua magno Autorum numero exaltet, hos ipsos sine exceptione, quotquot potuit colligere omnes, qui à triginta etiam ab hinc annis scripserunt, in Catalogum confert: quod certè animi magis causam vincere volentis, quam omnia contemplantis esse videtur. Atque ista cum lego, lis illa mentem subire solet; de duabus scilicet Italiæ urbibus, utra major esset, duo pro urbe unusquisque sua contendebant: tunc verò tertius alter se sententiam Laturum pollicitus, in una plures animas esse, plures homines in alia satis acutè pronunciavit, litemque extinxit.

Nunc ad rem, qui scilicet sint in Ecclesia illi omnes, vel plerique vel sapientes, &c. Num saltem Aristoteles ipse, qui elocutus ista est, cæterique Gentium Philosophi, Socrates in Philosophia morali Princeps, vel Plato, vel Lycurgus, vel Solon, vel Cato, Cicero, Seneca? At hos omnes contrivit olim Paulus Apostolus. An & hic circumloquiis rem exponemus dicendo, sapientes hos esse viros graves, & prudentes? Quo audito plerique fidelium suos singuli confessores intelligunt: Genevæ verò Calvinum, & Bezam; & sic alii, & alii alios, & alios, ut unicuique affecti sunt, intelligant? Et rectè Seneca dixit, si prudentia venderetur, nullum eam habituram emptorem, quia se se & suos singuli prudentissimos habent ut part.2. lib.2. quæst.2. & lib.3. dictum est, & declaratum alio Socratis documento. Jam ergo ex dictis primò breviter dicendum est, quinam non sint intelligendi: deindè qui intelligendi sint, datis etiam Ecclesiam sequendo nominibus declarabimus.

§. II.

Illi in primis intelligendi non sint, qui doctrinæ suæ perpetuitatem successionemque non ostendunt.

NOn dicimus, horum, qui perpetuitatem istam, successionemque non probant, aliquos non esse, vel esse non posse plerumque veros; sed intelligendos quoad præsens non esse; cum illi hic designandi veniant, qui a nobis dignosci queant, quique quoad nos etiam existant plerumque veri, ac probabile nobis inveniri efficiant: qui autem eo signo notaque perpetuitatis, successionisque expertes occurrunt, non est unde à nobis plerumque veri, aut plures veri, vel falsi dignoscantur. Quamquam verò in consequentibus quæstionibus alia etiam signa, notasque veritatis collaturi simus, vix illa tuta, aut prorsùs tuta citra illam successionem, ea quæ non simul intellecta videtur. Quod si nihilominus earum notarum aliqua, de qua dicemus, independenter ab hac etiam successione tuta videbitur, ex ea mox ipsa quoque successio probabitur.

Quo animadverso, ex dictis perspicuum est, cum dicitur, illa vel certa, vel probabilia esse, quæ sapientibus videntur, atque his omnibus, vel plerisque, vel maximè notis, eos non esse intelligendos, qui perpetuitatem, successionemque doctrinæ suæ non probant, atque ostendunt. Nam ut intelligerentur, oporteret, constaret nobis, eos esse plerumque veros: at hoc nobis nequit constare, nisi signo, & nota perpetuitatis, ac successionis, aut alia, quæ secum trahat successionem istam, ac perpetuitatem, ut fuit constitutum. Ergo illi eo sapientium nomine non sunt nobis intelligendi, qui doctrinæ suæ perpetuitatem, successionemque non probant, atque ostendunt.

Quod exemplo Nobilitatis, Nobiliumque supra declaravimus. Etenim rectè Juristæ habent, Nobilitatem, similesque prærogativas non esse supponendas, ac præsumendas, sed probandas; atque ex part.1. satis constat, ea omnia, quæ non magis ipsa, quam contraria in esse, convenireque solent non simpliciter esse credenda, ac præsumenda, sed probatione opus esse. Forsitan itaque coquus, vel sartor, vel agricola non remotissimam à Rege, aut nobilissima ab alia stirpe originem ducit; non autem habuit, neque habet, unde probet. Revera is nobilissimus est: at à nobis Nobilium nomine non est intelligendus, neque in eis regulis, legibusque nos clauditur, quæ Nobilibus privilegia, exemptiones, honoresque præscribunt: quia scilicet Nobilitatis prærogativa, qualitasque non supponi, non præsumi debet, sed probari, atque ostendi.

Profectò sapientia non, vulgaris adeò, pro tritaque res est, quæ quibuslibet quomodolibet in sit, & satis sit esse hominem, ut sapiens continuò judicetur; quin nobilitate rariorem eam esse, præstantioremque, nisi ab omnibus concedendum arbitraremur, hic facilè ostenderetur. Magis ergo ea probanda est, ut in esse credatur, quam Nobilitas. Sicut porrò Nobilitas per successionem à nobis stirpe probatur, ita sapientia Christianorum, quæ sola sapientia est à Deo ipso in mundū illata, & hominibus collata probatur, & innotescit per perpetuitatem suam, atque successionem, ac ad originem suam eam censendo, ut fuit constitutum. Ergo inter sapientes Ecclesiæ, quorum dictis velut demonstrationibus est standū, & quæ eis videntur, continuò vel

vel certa, vel probabilia censenda sunt, illi à nobis intelligi neque possunt, neque debent, qui doctrinæ suæ perpetuitatem, successionemque, ac legitimam originem non probant. Et sane vanum, & nimis absonum est, ut ex Chrysostomo explicabamus, omnia reliqua bene videnda esse, uec credenda simpliciter; nomeraodam, supputandamque esse pecuniam, quam ab amico, viro etiam gravi accepturus sis; solam vero sapientiam de omnibus esse simpliciter credendam, vel affectandam, maxime cum videant, si advertere velint, omnes, sapientiam sæculi & carnis, quæ cum vera sapientia prorsus pugnat, latissime in mundo dominari.

§. III.

Neque illi inter eos sapientes à nobis intelligendi sunt, qui dissident, ac veritatis signis neutri præ aliis eminent.

Hic plurimum deficit Autor ille de cætero acutissimus, cujus memini §1: usurpant enim tamquam sibi opportunam, ex topicis definitionem Aristotelicam, probabilia esse, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his, vel omnibus, vel pletisque, vel maxime notis. Hæc autem, quæ ut jacent, nos quoque omnia admittimus, & seorsim, ac simpliciter elocutus est Aristoteles, ad æque, & minus probabilia transvexit hic Autor nimis celeriter.

Hæc itaque Definitio, & quæcumque in ea narrantur, neque re, neque verbo congruere possunt minus, aut æque probabilibus. Non inprimis prima, & secunda particula; nam minus, & æque probabilia ab extriuseco (quæ probabilium species hoc in loco definitur) neque omnibus videntur, ut patet, neque plerisque.

Deinde neque tertia, & quarta particula, quæ videntur sapientibus, atque his, vel omnibus, vel plerisque; nam patet, minus, & æque probabilia ab extrinseco visa non esse neque omnibus, neque plerisque sapientium, qui hoc nomine quoquo modo intelligi possint: quin talia ea sunt, quę non plerisque, sed pauciotibus; item quæ non omnibus, neque plerisque, sed dimidiæ solum parti visa sunt, dissentientibus totidem, æqualibus.

Miramur itaque, quod hac definitione uti placuerit, quæ sua æque, & minus probabilia de medio tollit. Numquam itaque Aristoteli, & Logicæ, Philosophiæque rite gravis in mentem venir, ea probabilia dicere, quæ sapientium, vel sapientiæ Professorum, alicui uni, vel paucioribus contra plerosque videntur, vel de quibus Professores paribus armis, parique numero diffident; atque eorum dictis esse standum, ut statim commonstrabimus.

At inquis, ultimam saltem particulam favere; nam dixit, *vel maxime notis*, quæ præcedentium clausularum quasi quædam exceptio est, quasi diceret, probabilia ea esse, quæ omnibus, vel plerisque sapientibus videntur; quod si omnes, aut plerique desuerint, visa sint saltem aliquibus maximè notis.

Seo vero hæc clausula, opinor, est, quæ opinionem contrariam magis evertat. Nam primo oon dicit, ut ipsi inquiunt, quæ alicui uni videntur; forte potius dixisset Aristoteles, unam hirundinem, ut loquitur in etbicis, non facere ver. Minus porro dixit, ut ipsi inquiunt, esse probabilia, quæ maxime notis videntur contra pares alios etiam maxime notos; minus vero multo dixit, probabilia esse, quæ maxime notis videntur etiam contra plurimos similiter notos: nec denique quæ eis vidētur contra alios maxime notos superioris prorsus generis, classisque; ut sunt ordinarii qoidam scriptores comparatione summorum aliorum virorum. Nihil plane horum dixit, nec logice, & philosophice dicere potuit: quare hæc omnia prætermittendo definitiones istas æque, & minus probabilibus aptare velle quid sit plane nescimus.

Locutio vero illa *vel maxime notis* valde emphatica est, nec quibuslibet sapientiæ Professoribus, sed raris, & eminentissimis quibusdam congruit; & qui sint illi in Ecclesia Dei, maximè notum est, atque eos in Individuo nominabimus. Neque enim significare voluit, & ineptire maxime notos solum nomine tenens tales intelligendos, sed eos quorum sapientia, quę ad rem facit, maxime nota esset.

Aristoteles itaq; Logicę, & Philosophię apprime intelligens nuper memorata, illa confundere, significareque non potuit, neque logicè, ut dixi, neque philosophicè. Non primum logicè, quia tam, quam norum tradidit in libris poster. sine veritate nullam scientiam constare, neque sapientiam: in libris vero Perhierm. tamquam notum etiam tradidit, in omni contradictione alterutram partem esse falsam, præterquam, in futuris pure contingentibus. Ergo logice dicere non potuit, utrobique esse scientiam, vel sapientiam, nec utrosque, sibi contradicentes, in quo sibi contradicunt, esse sapientes. Cum ergo ea probabilia dicit quæ sapientibus videntur non utrosque sibi contradicentes, comprehendit.

Non rursus philosophicè: nam in sua morali Philosophia supponit quidem eam non demonstrationibus constare, at constare tamen iis, quæ ut in plurimum ita eveniunt, id est, ex iis, quæ ut in plurimum vera sunt: hoc scilicet est in Intellectu verum, quod in rebus esse, ut est principium. Rogatus proinde Aristoteles, ut §. præc. argoebam, cur probabilia ea sint, quæ sapientibus videntur, & quibus in morum disciplina tamquam demonstrationibus est standum, sane non diceret, sive vera ea sint, sive falsa, sed diceret, quia sapientes plerumque saltem vera dicunt; idcircò in Elenchicis, sapientis hoc opus esse statuit, verum dicere, & mentientem redarguere. At ea, quæ paulò ante recensebamus, quæ scilicet alicui uni contra plures viderentur, vel aliquibus contra plures alios, aut paribus contra pares, aut inferioribus contra summos viros non solum plerumque vera non sunt, sed falsa potius, non minus, aut aliter, quæ in quæstione facti, quæ vilibus quibusque, contra eminentes viros (& sic de aliis) videntur, aut dicunt falsa plerumque sunt; nec plus in hoc hæreo, quia evidentissimum est, utramque partem contradictionis non esse simul, ne ut in plorimum dicam, nec una solum oncia magis cum vero, quam cum falso conuexum; & si utraque simul esset magis cum vero conuexa, & prope verum, & ut iu plurimum vera, ut loquitur alius receutior, malè prorsus altera probabilior, altera minùs probabilis, sed utraque probabilior dicenda sane foret. Sed de his hæc nunc satis: nam plura dicunt sine sensu.

Incooculsum, itaque est, quod quæst. 4. §. 4. Augustinus, dom veritatem quæreret, tamquam indubitatum assumpsit, & quo non assumpto veritas inveniri prorsus nequit: *hoc nomen* (id est,

ſapientis) *tametſi nemo ferè palam, plerique tamen,* (ut de prudentia §. ſup. dicebamus) *ex obliquo ſibi vendicant, cum de rebus ipſis diſſentiant, quarum cognitione conſtat ſapientia, aut nullum eorum, aut certum unum neceſſe eſt eſſe ſapientem.* Hoc ſanè tam eſt evidens, quam, quo nihil eſt evidentius, aut nullum eorum, aut certum unum eſſe verum. Nec hoc ita eſſe neceſſe eſt in rebus fidei & in rebus morum, & conſcientia neceſſe non eſt, ſed in utriſque evidenter neceſſe eſt: nec item rebus ſolum fidei, ſed etiam morum, quarum plurimæ etiam de fide ſunt, earumvè cognitione ſapientia Chriſtianorum conſtat: at ſine veritate nulla ſapientia: Ergo in eis, qui de rebus ipſis morum diſſentiunt, quarum cognitione conſtat ſapientia, aut nullum eorum, aut certum unum neceſſe eſt eſſe ſapientem. Ergo ubi neutri ſignis veritatis eminent, neutri nobis, qui diſtinguere non poſſumus, ſapientes illi erunt, de quibus ſermo eſt, nec ea probabilia, ex quibus vivere liceat, ferè ſemper ſaltem vera apud eos invenimus.

Hoc certè argumenti genere hæreticos quoſque inter ſe diſſentientes, ut diſſentiunt modo Lutherani, Calviniſtæ, & cæteri oppetere ſolemus, eoque uſi ſunt etiam Patres. Oporteret namque, ut prius inter ſeſe convenirent una omnes, ut vel nobis quoquo modo inferre bellum poſſent, aut apud ſe, veritatem eſſe promittere: cum enim audierit quis eos clamantes hinc, & inde, ibi eſſe veritatem, ecce hic eſt Chriſtus, & illic: ecce in deſerto, moveri ad omnes ſimul nequit, neque eſt, cur ad hos præ illis eat; ſed præceptum Domini ſequatur, neceſſe eſt, dicentis, *nolite credere.*

Jam porrò, ut dixi, ſic prorsùs implicat, nec minùs implicat, veritatem doctrinæ morum, hic, & illic, & in urbe, & in deſerto, apud diſſentientes eſſe, quam implicet eſſe veritatem fidei, & religionis: ſine veritate autem morum ſcientia non conſtat, uti neque ulla alia. Ergo apud diſſentientes, quorum neutri veritatis notis palam eminent, ferè ſemper vera, aut probabilia, quæ ſcilicet ſapientibus videntur, invenire quis nequit, neque dignoſcere, utri ſapientes exiſtant, & tunc illud erit conſultiſſimum, *nolite credere*, eum voluntarius error in moribus peccatum non tollat. Neque dicas ipſarum rerum diſcuſſione dignoſcet quis, utri ſapientes, verique exiſtant. Nam hoc multipliciter rejectum eſt, & nunc non de Theologis, quorum ſaltem multi res diſcutere queant, ſed de omnibus, quorum nulla ſit diſcuſſio, quiſque certo, vel probabili ab extrinſeco vivunt, vivereque debent, ipſis in primis adverſariis ad definitionem topicam hujus probabilis ultro provocantibus, diſſerimus. Ecce cui cardini integrum librum, ac vindicias probabilium Belgo ille, vel Anglus adſtruxit.

§. IV.

Ergo in Eccleſia Dei maximè noti ſunt illi ſapientes, vel etiam, Prudentes, quibus quæ videntur, vel certa, vel probabilia, ſaltem ſint; & qui ſint illi?

HOc ex pede plurimum claudicat via probabilium contradictoriorum, quod doctrinaliter, in part. 1. lib. 2. q. 1. & 2. oſtendimus, determinare numquam poſſint ſuos illos ſapientes, & prudentes, ex quorum dictu omnem vitam Chriſtianam inſtituunt. Nam primo, ut ibi eſt oſtenſum, in re iſta exponenda circulos multos committant, neceſſe eſt. Deindè cum viros graves, fundamenta gravia, ſapientes, ac prudentes, ac prudentiam eloquantur, nec determinare poſſint, quinam illi ſint, vel non ſint, quin diſſentientes etiam ipſos, vel omnes, vel plurimos comprehendere inter ſapientes, prudenteſque velint, id planè ſequeretur, neceſſe fuit, quod contra intentionem, mentemque Aſſertorum ſuorum, ſecutum certè eſt, quod nulli excludantur, ſed omnes inter ſapientes illos, viroſque graves, & prudentes connumerentur. Nam veriſſimum eſt, ac manibus ipſis quotidie palpamus maximè de ſapientia rerum conſcientiæ quod Auguſtinus paulo ante aſſerebat; quod *hoc nomen* (ſcilicet ſapientis) *tametſi nemo ferè palam audeat, plerique tamen ex obliquo ſibi vendicant.* Veriſſimum item, quod Seneca dicebat, ſi prudentia venderetur, nullum eam, habituram emptorem. Veriſſimum demum, quod Socrates, ſi in Theatro juberetur, coriarios ſurgere, ſolos coriarios ſurrecturos; ſimiliter etiam, ſi juberentur, ſurgere ferrarios: at ſi juberetur exurgere prudentes, hic confeſtim omnes ſurrecturos, vel ſi qui non exurgerent, illi ſibi omnium prudentiſſimi viderentur.

Cum ergo viæ ejus Autores per prudentes, & prudentiam, ſapienteſque, & viros graves rem omnem expoſuerint, in unaquaque verò domo graviſſimi ſibi illi videantur, quos amant, ac ſuos habent, ſi ſaltem nonnihil circunſpecti fuerint, factum inde eſt, ſecutumque, ut omnes inter ſapientes eos, ac prudentes connumerentur, quorum dicta ſint probabilia, & ex quibus vivere liceat. Maximè vero, ut dixi, in morũ ſcientia id requiri potuit; nam in re quidem ſpeculativa norunt plurimi ſe parvi habitos fuiſſe, parumque verſatos, & ſi diſputandum eſt, tacent: at credunt in re morali ſpeculationem, hoc eſt, ſcientiam ipſam conferre parum, quin etiam eam nocere, impedireque arbitrantes, ſpeculativos quoſque contemnere ſolent, & practicos, ut vocant, & judicium practicum, hoc eſt rationis, doctrinæque expers extollere; quo vigere ſe maximè inepti quique exiſtimant.

Jam nobis cum conſtitutum ſit per verum cuncta exponere, nec apud diſſentientes, quorum neutri veritatis notis emineant, inveniri illud poſſe, nec quoad nos eos ſapientes, vel eſſe vel conſtare; valdè expeditum eſt, ſapientes illos, vel maximè notos illos in individuo etiam, ac nemine diſſentiente, nominare, quorum dicta jam certa, jam ſaltem probabilia exiſtant, & quibus tamquam demonſtrationibus ſtare poſſimus, & veritatem, & ſcientiam ſanctorum invenire, ſcientiamque Dei, quæ quoniam in terra non erat, populus olim captivus ductus fuit, ut inquit per Prophetam Dominus.

Quinam ſint quæris, hi tam eminentes viri, atque ſapientes? Reſpondeo eſſe Prophetas, eſſe Evangeliſtas, ſanctos Apoſtolos, Concilia ſacra, & Romanos Pontifices, ubi tamquam Pontifices docent: item decem Doctores Eccleſiæ quos ſuos ſibi Doctores fecit ſancta Mater Eccleſia; item ſanctos Patres quoslibet. Ubi etiam addo ex quæſt. ſuper. eorum doctrinam habere nos ſufficienter in libris ſpiritualibus; etiam audire in ſeriis concionibus.

Quæris quinam ſint iſti. Noti ſunt in Eccleſia, Iſaias, Jeremias, Ezechiel, &c. Matthæus,

Marcus,

Marcus, Lucas, Joannes; Petrus, Paulus, &c. Item Ambrosius, Hieronymus, Doctoresque reliqui. Item Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Isidorus, Prosper Paulinus, Bernardus, ac plures alii notissimi, qui sanctorum Patrum nomine nuncupantur, & eodem modo sacra Concilia in individuo constant; & constitutiones Pontificiæ, jusque Canonicum totum quantum. Vide, an abunde in Ecclesia habeamus, unde vel certissime, vel saltem ex plerumque veris de moribus instruamur: quos si deseramus, & alio citra eos eamus, non inopia est, sed voluntas. Verum & lib. 2. quæst. ult. dicebam, longè ab illustrissimo Tapia, & Azor differimus in his distribuendis classibus Doctorum.

Jam Prophetas, Evangelistas, & Apostolos eos sapientes esse, quorum dicta verissima sint, ac certissims, contradicit nemo: de sacris etiam Conciliis generalibus Catholicorum nemo contradicit: de Romanis Pontificibus idem nobis exploratum est. De Doctoribus Ecclesiæ eorum etiam singulorum de fide, & de moribus dicta saltem esse plerumque vera, nemo, opinor, audeat diffiteri; nec de cæteris sanctis Patribus.

Quod ne ultro admitti videatur, & velut quamdam pietatem esse, eum præscriptum sit, Ecclesiam esse sequendam, duobus argumentis de sanctis Doctoribus statuo: uno autem de reliquis sanctis Patribus hic brevissime. Pro sanctis Doctoribus illud primum est, quod, ut superius ponderavimus, Ecclesia ipsa eos sibi Doctores delegerit, & sua lumina nuncupet, divinæque legis amatores declaret, nobisque Doctores vitæ designat. Ecclesia porrò nec errat, nec ludit: ergo illi nobis quoque suis filiis Doctores esse possunt, & lumina, & regulæ, quibus vivamus.

Alterum pro sanctis Patribus omnibus illud est, quod sapientes quærebamus, quibus constaret in esse sapientiam; ex qua sola, ut Augustinus quæst. 5. arguebat, sapientes cognoscuntur; & is erat labor, ea Augustino implexissima quæstio, quod stulti, & ignorantes sapientiam non norint, quam scilicet quicumque norunt, habent; quare cum stulti, & ignorantes ea utique careant, sapientes invenire viderentur non posse. At stulti ipsi, ac ignorantes omnes norunt, sanctos Patres habuisse eam sapientiam, quam hic quærimus, rectam scilicet morum scientiam, & doctrinam; ergo norunt sapientes; sciunt ergo, apud quos sit veritas.

Minor constat ex ipsa Ecclesia, ex cujus autoritate certo omnibus constat, sanctos Patres omnes, & singulos esse Salvatos: ergo constat, eos saltem pro se rectam doctrinam morum scivisse, nec aliter alios docuisse, & fefellisse; item doctrinam suam a fontibus Salvatoris derivasse, & quæ ad virtutem, sanctitatemque ducat, ut in ipsorum libris patenter cernitur. Quod eodem argumento etiam constat, eos, ubi status quoque alios edocebant, nec sine sufficienti examine, & faciendo saltem ferè semper, quod in ipsis erat, divinasque, ut cernimus, scripturas scrutando id muneris explevisse, nec ultra vires ausos esse.

In his itaque causis omnibus peritos, versatos, prudentes, sapientes, prudentiam, sapientiamque omnes eloquimur, & sanè vere. Ecce ergo certissimè peritos; nam de morum rectitudine, salutisque via disputamus: hos porrò scimus, & mores rectos habuisse, salutisque viam incessisse; sciverunt ergo rectitudinem morum, salutisque viam. Prudentes quærimus, & sapientes, & prudentiam. Ecce certissimam sapientiam, scientiam ipsam sanctorum, prudentes, prudentiam, & quidquid desiderare possumus, ecce hic universum.

Sed in quis, nimis stricti sunt, & alios ego vellem. Respondeo, me, quos tibi reddam, nullos alios habere certo sapientes, & prudentes, nisi hos, horumque similes; nam si similes non sint, sapientes non erunt: quare quotquot reddere possum, displiceant tibi, necesse est.

At quæris, an nulli alii certo sapientes, & prudentes, aut ex plerumque veris arguendo saltem probabiliter sapientes, prudentesque supersint, ex quibus vivas? Respondeo, mihi constitutum esse ex Augustino, Ecclesiam, non anteire, sed sequi: scio autem, quo in loco sancta Ecclesia Doctores suos sanctos Patres habeat; an in eodem, vel parum distanti alios reposuerit, ego nescio; sed si reposuisset, ex eis etiam regula vivendi saltem probabilis haberetur. Deinde quis ego sum, qui de eis, de quibus nondum Ecclesia quidquam judicavit, judicare palam saltem possim, & hos dicere sapientes, hos non sapientes in mundi conspectu. Hoc rursus nimis futurum esset odiosum. Contuli ergo sapientium Catalogum satis magnum, quorum dicta certo vera, vel saltem ferè semper vera sint, apud quos proindè, quod institutum hujus libri est, veritas moralis inveniri possit: non enim promisi, ubique, sed alicubi eam inveniri posse.

Persistis tamen, rogasque, num alii etiam non sancti, certè ab Ecclesia nondum, declarati sapientes nulli supersint, non solum qui tales sint, sed etiam constent? Respondeo, mea exili quidem, opinione superesse, non certè plurimos, tamen aliquos, qui jam toties dicta nota perpetuitatis, successionisque doctrinæ innotescant, & licet sanctis Patribus æquandi minimè videantur, cum verissimè scriptum sit, *intellectus bonus omnibus facientibus eum*, tamen ad gradum probabilitatis ipsi quoque pertingant; nam probabilitas, & plerumque verum, ut part. I. animadverti, in indivisibili situm non est. Hos porrò nominare odiosum nimis foret, & litis plenum, cur hos, & non illos designaverimus. Omnes deinde exactè nosse, qui includendi, & excludendique videantur, prorsus supra vires nostras est, & facultatem. Illud ex dictis satis est perspicuum, plurimos maximè omnis doctrinæ revelatæ vacuos comprehendendos haud esse, qui non ausuri forsitam logicam, aut Physicam Aristotelis commentari, de universa morum, virtutum, vitiorumque possessione, quæ profundissima pars est Theologiæ, expertes etiam logicæ, ac moralis Philosophiæ, & Theologiæ speculativæ libros intereà morales evulgant, atque de cunctis decernunt.

Ad sanctos Patres nunc ut redeam, non est cur in eo immoremur, quod alii plenissimè prosecuti sunt, & concordant, quod sciam, Theologi omnes, illa scilicet in doctrina fidei, morumque, & ut arbitror, in tota re præesse Theologica non modo probabilia, sed certa etiam esse, quæ omnes una sancti Patres docent; illa verò probabilia, & plerumque vera, quæ pauci eorum, vel unus etiam tradit, nec alii sancti Patres dissentiunt, sed omittunt.

Hinc est, quod sanctorum Patrum quoslibet infra Ecclesiam ponamus, atque ut cum S. Thoma

superiùs declaravimus, plus valeat autoritas Ecclesiæ, quam Hieronymi, vel Augustini: quare si dissortiant, omittendus esse Hieronymus, omittendus Augustinus,& sectanda Ecclesia; quæ certa regula est: at sancti quique probabiles sunt, & licet possint non deficere, possunt etiam deficere. Inde Magnus Augustinus suas retractationes scripsit: de Thoma etiam habemus, eum aliqua in summa permutasse, quæ in sententiariis docuisse: Ecclesia verò nullam doctrinam, quam docuerit, retractavit unquam, neque potest.

Hic etiam incidenter habes argumentum, peremptorium, quo perspicias, quid mediis, argumentisque etiam ut in plurimum veris obstet concursus cum alio & quantum in hoc quidam decipiantur, qui concursum nihil arbitrantur obstare. Etenim Autoritas Hieronymi, vel Augustini de se, & seorsim plerumque vera proculdubio est: at si concurreret cum autoritate Ecclesiæ fortiori, prorsùs evertitur, & nihil probat, tuncque falsa esse sciru. Sic ergo eadem Hieronymi autoritas, si ex adverso Augustinus contradicat, impeditur, nec probat, licet sit plerumque vera: & ubi Ecclesia quidem contra diceret, sciretur, falli Hieronymum: ubi verò pares sunt, simile, ut ita loquar, non agit in simile; æquè fortia se se non superant; & prorsùs nescitur, utrer verus sit; ergo nihil probatur; nam omnis probatio est de veritate.

Ex quibus demum omnibus perspicias, quam peregrinum sit, quamque planè nimium, ne dixerim puerile, quod Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Chrysostomi, ac reliqua post Canonicos scriptores ipsa lumina Ecclesiæ ad certitudinem non pertingant, sed probabiles duntaxat sint regulæ morum; & velint intereà quidam bos, & illos Autores, & quoslibet de vulgo scriptorum regulas probabiles existere: quod certè vel disputandum vix videretur. Sed quoniam probabilium istorum via cuncta ubique moratur, visum est, hanc nunc daram, doctrinam novo, eoque, nisi fallor, evidenti argumento ex sensu, consensuque omnium denuo comprobare, nec nimius videri debeo, si ubique appositum obicem etiam ubique repellam.

§. V.

Sapientes noti sunt illi soli, quorum autoritate res probamus; non illi, quorum autoritate non audemus; quin forsitam etiam ridere mur.

SUppono illud sensu ipso naturæ notissimum, omnem probationem eo dirigi, ut rem, quam probat, ostendat veram. Hoc norunt rudes, & inepti quique, qui sanè de aliquo aliquando argumentantur, nituntur que dictum suum probare, hoc est, verum esse ostendere.

Hinc infero: ergo ab omnibus notis sapientibus in ea arte, in qua sapientes sunt, eorumque autoritate probare asserta nostra possumus. Quod patet; nam quos constat esse sapientes, constat esse veros; at notos sapientes constat esse sapientes; hoc enim est, eos esse notos. Ergo notos sapientes constat esse veros. Sed autoritate, & dicto verorum, quos constat esse veros, asserta nostra ostenduntur esse vera. Ergo probantur. Ubi scitur, quod paulò ante dicebatur, alios esse certo veros, alios probabiliter; & sic utroque modo probari conclusiones solent.

Jam hinc Academias librosque ipsos etiam morales adeamus, quibus planè cernitur, eorum autoritatibus in utraque Theologia conclusiones quasque probari solere, quos sapientes, notos §. præced. nominavimus; aliorum autoritate non solere, hosque omnium fieri sensu, & consensu. Ergo is, quos diximus, sapientes noti sunt; cæteri vel noti non sunt vel incontroversi sunt.

Oporter res has tantas viribus omnibus statuere, modis item omnibus explicare. Ecce ergo in Academia aut prælectionem dicere quis aggreditur, aut conclusionem aliquam oppugnare in cætu, qui adesse solet, gravissimorum virorum. Est porrò in more, sive autoritate, sive etiam ratione rem agere, & Jurista quidem ordiatur dicendo, ratio dubitandi est textus in lege, &c. Canonista: est textus in cap. &c. Theologus verò dicit, est autoritas Augustini, vel Thomæ, &c. sic etiam cum decidunt jam, & resolvunt, inquiunt; probatur ex lege, &c. probatur ex cap. &c. Probatur autoritate Apostoli, Augustini, Thomæ similiumque sapientium. Similiter etiam quando conclusionem aliquam oppugnamus; dicimus scilicet argumentor autoritate Apostoli, vel Hieronymi, vel Augustini, &c. Quod aliud planè non significat, quam conclusionem falsam esse ostendo. Ergo ex sensu, consensuque omnium hi, quos notos sapientes diximus, noti sapientes, noti veritaris assertores sunt.

Sed ecce novus aliquis disputator accedit, & prælectionem dicere exorsus novos quosdam homines nondum eo in loco visos educens, eos ut clare loquar, ipsos quorum autoritate tu, tam conscientiam volunt, dicit, ratio dubitandi est autoritas hujus, vel illius Dianæ, Caramuelis, Tamburini, &c. Deinde verò conclusione sua jam posita, pergit dicendo: probatur autoritate hujus, vel illius; eos inquam, intelligo, quorum autoritate mores omnium regunt. Quod, precor, tunc murmur adstantium, inciperet? Mirarentur, opinor, novi disputatoris audaciam alii, alii etiam riderent; omnes verò despicerent.

Quid verò si hisce autoritatibus propugnator aliquis impetatur. Scita est responsio; nam nullum dubium, quin diceret; transeat autoritas; & nego consequentiam; vel forrè etiam diceret; nego suppositum, hoc est eam autoritatem esse autoritatem, qua quidpiam ullo modo probetur: atque hæc ab omnibus recepta sunt: certa autem, vel probabilia saltem sunt, quæ omnibus videntur. Quid porrò est, transeat autoritas, & nego consequentiam? Certè nihil aliud, quam ex hac autoritate, vel dicto nullo modo ostendi falsitatem conclusionis positæ, aut veritatem oppositæ; illud item dictum nihil connexionis habere cum vero magis, quam cū falso. Quod rursùs significat, nego suppositum, vel nego autoritatem? Planè non aliud, quam eam autoritatem, non esse autoritatem; nihilque ex ea colligi conclusionem. Atque hæc in schola, in Academia, in libris hoc in loco habentur, nec mea sunt, sed omnium; non inventa modo, sed ab omnibus ubique recepta.

Ex quo nunc perspicias miserandum prorsùs rerum ad conscientiam pertinentium, totiusque moralis Theologiæ conditionem, in qua res quæque eis autoritatibus statuantur, ac probentur, quæ in concione sapientium, vel in disputatione, vbi veri, & falsi leges servantur, nec ad dubitan-

dum

dum quidem digne existimantur; & quas ad probandum aliquid nemo ausus sit adducere, quæ autoritates esse inprimis negantur; atque ex eis nihil conclusionem sequi, omnes supponant, exploratumque habeant.

In universa scilicet morali Theologia in omnibus, ac singulis occurrentibus casibus ea est conclusio probanda, voluntas numerum Dei, æternaque ejus lex, & sapientia; hoc velimus, nolimus, explorandum nobis est quid Deus velit, quid præscribat, imperet, veterque: Hæc, etenim est regula suprema morum, ut fides statuit; inde ratio omnis sumitur boni, & mali, melioris, ac minùs boni, atque indifferentium. Quare autoritates ineptæ, seu nullæ ad probandum, hanc vel contrariam esse voluntatem Dei, ac regulam supremam meam, prorsus ineptæ sunt, nullæque ad precandum bonum, vel malum. Sed hæ, quas loquor, autoritates ineptæ sunt, seu nullæ ad probandum, hanc, vel contrariam esse voluntatem Dei, supremamque regulam meam; quod patet, quia nullus, ubi de hoc esset quæstio, eas pro autoritatibus admitteret, Ergo ineptæ sunt, seu nullæ ad probandum bonum, vel malum. Hinc porro idem infertur de licito, vel non licito; cum evidentissimum sit, de eo, de quo non constat esse bonum, vel indifferens, non constare, esse licitum; ac absurdum dictu esse, hoc sive bonum sit, sive malum; sive juxta, sive contra meam regulam, est licitum; quod plane est tollere à suprema regula rationem regulæ, atque aliam comminisci, ut part. 1. & sæpe demonstratum est.

Sed ponamus in terminis ipsis de licito in schola quæstionem, quæ lege aliqua scientiæ discutienda sit; & tuetur quis, illicitum esse, & peccatum, quod sartores quadragesimam non servent. Exurgis tu in contrarium, & arguo, inquis, autoritate horum, vel illorum, quos quippe jam significavi: quid vero tunc? Vix non ridet defendens, & ait; transeat antecedens, vel nego autoritatem. Ergo hæ autoritates dignæ non sunt, quæ opponantur in ipsis etiam terminis de licito ad probandum, aliquid licitum esse. An ergo in schola, ubi largior deberet esse facultas, & ubi idcirco Juristæ aliqua propugnant, quæ ad forum, praximque adducere non audent, an, inquam in schola, quia forma aliqua scientiæ, veritatisque servatur, autoritates illæ autoritates non sunt, nec in ipsa in terminis de licito quæstione allegari possunt, quia nihil probant, & mox in praxi omnia probent? Quod si causam quæras, cur ne allegari quidem pro probatione in schola possint, eo demum tota reeovatur, quod hæ autoritates non magis verum arguant, quam falsum, nihilque ex eis habeatur, Deum hoc velle, vel contrarium. Praxis ergo vel voluntatem Dei nihil curat, præteritque regulam totam vivendi, vel quid faciat, non satis intelligit, quando his ex autoritatibus colligit, statuitque bonum, & malum.

Hæc, inquis, ita sunt in disputatione directa; non in reflexa, in qua reflexe autoritates istæ usurpantur, ac bonom, & licitum non modo probant, sed si superis placet evidenter etiam demonstrant. Sed reflexa ista malitio directa est part. 1. nunc vero attentione opus magis est, quam argumentatione. Hoc itaque loquis; autoritates istæ nullæ sunt, ubi de rebus ipsis conscientiæ, morumque tractatur; quia nihil prorsus probant. At reflexe sumptæ naturam mutant, maximæ fiunt, & omnia probant. Hoc rursus inquis; ex autoritatibus istis nihil plane constat Voluntas Dei, vel non voluntas, nihil mea regula: constat tamen, quin etiam evidenter constat, licitum: ergo liciti, & illiciti alia, eaque independens regula adest: alius ergo Deus. Unde vero in nulla quoquo modo rationali via autoritates pro rebus ipsis, quas affirmant, nullæ tantum deinde roboris accipiant? Autoritas enim omnis pro ea inprimis revelare potest, quam affirmant (sunt enim directæ) nihil valent: Ergo pro nulla alia re valere possunt. Rursus: autoritates istæ sunt ipsæ in se directæ, atque in tantum affirmant, rem aliquam esse licitam, in quantum affirmant, eam non esse contra voluntatem Dei; pro hoc secundo nullæ sunt, nec alleganter ad probationem: Ergo etiam pro licito.

Quod si nihilominus nihil his movearis, eos ipsos rogemus, super quorum autoritate struis universam pœne vitam hominum. Eccur, rogo, asseruerint, res has, & illas esse licitas? Respondent plane; quia contra nullam voluntatem Dei sunt, neque legem. Existimatio ergo eorum, atque autoritas de licito resolvitur in existimationem directam, atque ad autoritatem de non voluntate, neque lege: at ubi est quæstio directa de voluntate Dei, vel non voluntate; de lege, vel non lege, eorum existimatio, & autoritas inter probativas non censetur, sed nulla habetur. Ergo nulla etiam erit de licito. Quod etiam confirmatur; quia ridiculum est, autoritatem aliquam plus valere pro eo, quod autoritates istæ dicont, aliquid esse licitum, est, quia non sunt contra voluntatem Dei: quæ tamen ita sit, nihil probatur eis autoritatibus; alioqoin indirectis etiam quæstionibus his autoritatibus argui posset. Ergo neque valent pro eo, quod dicunt, scilicet esse licitum, vel non esse peccatum.

Quin hæ reflexæ velut alter equus Troianus inconvenientium sunt, quibus liber alius impleri posset. Ipsi itaqua directi opinatores, quorum opiniones authoritatesque reflexe assumuntur, contra ipsos ita assumentes sunt, & clamant. In tantum enim, ajunt, singuli, asserui ego, & nunciavi aliquid licitum esse, in quantum directe arbitrabar, id non esse contra ullam voluntatem Dei; quod si secus arbitratus fuissem, inquit, illicitum potius esse dixissem; sin vero nasciviſsem, num esset, vel esset contra voluntatem Dei, eodem plane modo dixissem, & alioqui desipuissem, me nescire, num esset, vel non esset licitum. Ecce ergo opinatores omnes directi suas de licito affirmationes alligant suis ipsorum affirmationibus de non voluntate, & de non lega; & utrioque hujus rei indicia, & assensua connectunt. In autem reflexis ita discerpis alterum ab altero fateri sque, ex his autoritatibus nihil tibi constare directe non voluntatem, & non legem, alioqui abi, eisque in scientia morali directè argus: & tamen vis, ut ex eis tibi constet, quin evidenter etiam constet rem eam esse licitam. Clamant ergo cōtra re ipsi opinarores directi, quorum autoritatibus reflexe uteris; & omnino contra sensum directum, mentemque eos torques.

Sed hæc omittamus; nuspiam scilicet hactenus visum est in arte ulla, in facultate, scientiave ulla

ulla alia, quod autoritates illæ, quæ pro rebus ipsis artis, facultatis & scientiæ nullæ existimantur, quia res ipsas ita esse, vel non esse nihil probant, mox reflexarum beneficio robur omne accipiant ad finem artis, facultatis, vel scientiæ. Sed hæ, quas loquimur, autoritates nullæ existimantur pro rebus ipsis moralis scientiæ; nec quisquam audet arguere res eas esse, vel non esse vi earum autoritatum. Nullæ ergo sunt ad finem moralis scientiæ, rectitudinemque morum.

Quorum omnium ea est ratio, quam sæpe usurpavimus, quod autoritas omnis doctrinalis ita sit in non falli; neque fallere: atque hæc est tota quanta ejus autoritatis essentia, & quidditas. Quare omnis autoritas doctrinalis est vera, vel semper, vel qui est infimus gradus, saltem plerumque. Ut porro ex autoritate recte operemur, non satis est eam re ipsa autoritatem, sed necesse est, esse autoritatem notam, & cujus nota sit veritas: alioqui quoad nos est quasi non esset. Unde patet, eandem esse autoritatem, ex qua res probari possit, & ex qua operari possit: & ex omni ea, ex qua recte probamus, recte operamur, recte etiam probamus: & ex qua res probare non possumus, non recte, sed male operamur.

At his autoritatibus, quarum nulla, vel ignota est veritas, nihil umquam probamus, nec eas inter autoritates recensemus. Ergo ex eis numquam licite recte operamur. Rursus absurdum est nos plus scire debere voluntatem, vel non voluntatem Dei, ut aliquid in schola enunciemus, esse, vel non esse peccatum, nec eis arguit quisquam adversus defendentem. Ergo neque propter eas recte vivere possumus: quibus scilicet, ut toties dico, non magis constat mihi ipsa re ipsa lex, & regula suprema mea, quam contrarium: & quam ipsam re ipsa legem, supremamque regulam meam non minus servare jussus sum, quam non occidere, non mœchari; quin eo non jussu, neque ista juberentur. Fortiori igitur in schola, scilicet in judicio Dei probare debebo, quibus autoritatibus motus apud me statuissem, me legem ejus non ultro violasse, quod si eas allegem, quas schola hominum respuit ad probandum, num Deus aliquid jusserit, vel secus, quid ni illæ admittantur in exactissimo judicio veritatis?

Hic tamen illud est notandum eos, quos significavi, notos sapientes, quorum authoritate res probamus, quam autoritatem admittimus, quam ubi diffidere videmur, interpretamur, & ad quam *transeat* dicere omnes erubescunt, eos, inquam, esse notos, & velut publicos omnibus sapientes. At hoc non prohibet, quin quemadmodum alia sunt de fide omnibus, alia solum sapientibus; sic sint alii, quorum sapientia, veritasque nota sit expertis: qui proinde & operari, & res etiam probare pro se eorum autoritate possunt: atque etiam pro aliis, qui ejus autoritatis magnitudinem credent, vel illam eis persuadebunt. Quod si hos nondum adeo omnibus notos sapientes, provehet quondam in altiorem gradum Ecclesia, tunc erunt omnibus regula etiam vivendi.

§. VI.

Hoc ergo nomen Sapientis aliis jure, aliis usure, velut urbanitate aliis attribuimus.

Sunt ergo inter eos, quos sapientes nuncupamus, alii noti sapientes, alii controversi, alii qui sapientiam solum profiteantur: quod sane amplissimi significatus, excellensque nomen, tam liberaliter modo tribuimus quam parce illud olim, vel ipsi Gentiles tribuerent; nam oraculo etiam restrictus fuit numerus, & septem solum sapientes numerabunt, quique adumbratam eam sapientem profiterentur, non sapientes, sed sapientiæ solum amatores, id est, Philosophi nuncupantur.

Cum itaque liceat per jus omne sapientibus credere, peritos sequi, intelligentes audire, tributa autem sint hæc omnia notis in primum sapientibus, deinde ignotis etiam, & controversis, Professoribus demum quibusque, inde, opinor, secutum est, ut universalia, rectaque documenta propter nominis æquivocationem alio controversa sint, quam debuerint. Sic olim in sinagoga illa erat malorum origo maxima, quod omnes veri, & falsi Prophetæ nuncuparentur, & existimarentur. Inde falsi veris perpetuo contradixerunt, & cum numero vincerent, apud Populum prævaluerunt, eumque perdiderunt. Notarum porro, & sup. lib. ex Petro Apostolo, & Sanctis, quod tunc Prophetæ hoc esse modo Magistros. Confusi ergo cum sint omnes, & commune sit omnibus nomen, oportet per signa, & notas utrosque diligenter discernere; nam Magistris utique bonis, & veris credendum est; malis & falsis credendum non est, ut in Prophetis cernitur. Aperiendi tunc erant oculi. Ergo & nunc. Discernendum tunc erat. Ergo & nunc. Poterat tunc. Ergo & nunc.

Patet ergo ex dictis notos sapientes, de quorum scilicet sapientia nemo controvertit, esse quoad nos jure, & possessione jus probante sapientes, peritos, intelligentes, expertos, vel si quod est aliud ad id significandum nomen. Quare ea cuncta, quæ in his causis controvertuntur, eis citra controversiam omnem conveniunt, suntque eorum dicta jam certa, jam probabilia saltem, & ut in plurimum vera regola morum, quibus cum, & ex quibus quicumque vivit, peccare, aut damnari vix, aut ne vix quidem posse videatur.

At secundi generis sapientes, vel qui sapientes nuncupantur, scilicet controversi comprehendendi non sunt sub eis universalibus documentis de fide præstanda sapientibus, de audiendis peritis, &c. quia non nobis constat, utrum sint, vel non sint sapientes, periti, scientes, intelligentésque, cum supponantur esse controversi. Sunt porrò, ut dictum est, illi omnes sapientes controversi, de quorum sapientia litigatur; de eorum deindè omnium sapientia litigatur, de quorum litigatur veritate, cum evidens sit, neque sapientiam, neque periciam, scientiamvè ullam constare citra veritatem. De eorum postremo omnium veritate litigatur, qui cum vix autoritate, ulli sive notis veritatis inter sint, nec alii aliis emineant, ipsi inter sese diffident: nam alii aliorum veritatem negant; & quemadmodùm res ipsæ, de quibus dissentiunt, exploratæ, notæ-

notæque non sunt, sed controversæ, ita, idque necessariu dissidentium ipsorum veritas explurata esse nequit, neque nota, sed controversa. At quurum explorata non est, neque nota veritas, sed controversa, haud explorata est, neque nota, sed controversa sapientia. Quicumque ergo modo prædictu inter se dissentiunt, non explorati, neque noti sapientes sunt, sed controversi. Regulæ autem non dicunt, controversis sapientibus, sed sapientibus esse standum, & peritis in arte, nun de peritia controversis esse credendum.

Hos tamen omnes more jure etiam aliquu sapientes appellamus. Quod exemplo facile intelligas. Lis est inter duos viros Principes de Ducatu, Principatuvè, neuterque possidet, nec tenuram, ut hic vucant, consecurus est ullus. Mos sanè est, illum utrumque Ducem, Principemvè compellare propter jus controversum: & quidquid nominis, urbanitatisque superest, facile, si velint, utrivis exhibetur. Sed si pecunia impendenda sit, & emendum, vel vendendum, omnes cavent; sciunt enim rem esse controversam, & nequaquam exploratam, & tutam. At sic si volunt, advertere, omnes homines nosse possunt, modo dicto interse dissentientes, utrosque simul veros, & sapientes non esse; & quemadmodùm res ipsæ, ita prorsus controversam esse ipsorū sapientiam, & veritatem. Si ergo credere nihilominus, aut volunt, aut possunt, non magni honestatem ducunt.

Porrò annotatum est part. i. taram aliquam, & in paucioribus contradictionem non impedire, quominus uterque etiam simul sapiens existat: cum numquam, & nullibi falli supra hominum sit sapientiam, si speciali Dei privilegio non vigeant. At ubi dissentiunt, alterutet fallitur, & in alterutro deest ea in re sapientia: quare regulæ, quas part. i. dedimus, servandæ sunt. Enim vero illi, qui plerumque, vel semper etiam dissentiunt, & neutri inter sunt, nec veritatis signis eminent, nequeunt esse noti, exploratique illi sapientes, quibus standum est.

Quam rem duobus hic denuò exemplis, utrisque certis, & altero quidem ad hominem commonstramus. Quamquam enim susque deque omnia vertant, & infinita excogitent pro suis minus, & æque probabilibus stabiliendis, cordati tamen quique numquam ferunt, ut usus eorum ad forum, judiciaque transvehatur; cum tamen quæcumque de nun promulgaris legibus, de lenitate, de non nimis onerandis conscientiis ex æquo forum quoque, & judicia, eorumque leges comprehendant, ac misereri etiam oporteret animarum pauperum judicum, Advocatorum, & hoc genus cæterorum.

Quuad præsens certè valent etiam pro foro, pro judiciis, & pro sacris, prophanisque rebus omnibus regulæ, peritis in arte esse credendum, sapientibus, scientibusque esse standum: quas regulas naturæ lumen ipsum præscribit. Habent vero judices interpretes legum suarum, & Autores plurimos dissidentes de juribus suis, sicut nus. Quæro num hi nomine sapientum peritorumque intelligendi sint, vel nun sint? Si primum: ergo ex eorum dictis ac opinionibus, sic peragenda erunt judicia, quemadmodùm ajunt regendas esse conscientias; nec enim Respublica, vel ratio ulla præscribere potest, sapientibus non esse standum, ac peritis in arte, scientibusque non esse credendum. Quod si pro foro, judiciisque hi de legibus dissidentes, opinantesque Authores, & homines sapientium, peritorumque nomine numquam intelligendi sunt, sed scevola, Paulus, verique alii summi, quos jure consultos vocant, profectò quærant, quod certissimè numquam invenient, cur nobis sapientium nomine similes alii de rebus nostris non minus, neque aliter dissidentes, controvertentesque intelligendi veniant. Sint ergo nobis, quæ honestissima lex est, Augustini, Ambrosii, ac similes consultorum loco, & reliqui reliquorum.

Exemplum alterum sit nullam adhuc religionem, habentis, veram tamen quærentis alicujus. huic certè ratio; & honestè etiam diceremus, non solum de moribus, sed in ipsa etiam veræ Religionis inquisitione sapientibus esse standum, quin in veris sapientibus, quidquid quærebat invenit. Num vero eorum sapientium nomine significaremus eos, qui de religione ipsa dissident, controvertuntque, ac neutri præ aliis signis veritatis eminent, sed pares, ut aiunt aquilæ, & argumenta minantia argumentis? Profectò; ut satis est commonstratum, eos quærendos statueremus, quorum nota; explorataque sapientia, & victrix foret, & veritas; non controversa, ac sub lite pendens; quemadmodum pendent res ipsæ, cum magis indubitata sapientia esse nequeat, quam res, de quibus est sapientia.

§. VII.

Ex his paradoxorum sequitur; sed quod Romani Pontifices, piique plurimi desiderant.

Satis quæst. 5. ob. sensa Romanorum Pontificum innotuere, constatque satis omnibus; ipsos, sive de fide, sive de moribus decreturi, quidpiam sint, eos sapientes sequi, quus nobis sapientes esse constituimus, quorum etiam præcipuos sibi, & in se nobis Doctores Ecclesia destinavit. Illud verò quod ex Alexandro 7. commemoravimus satis eorum desiderium, mentemque manifestat, abhorrere scilicet eos omnem modum de rebus conscientiæ Philosophandi à doctrina Sanctorum Patrum alienum. At ex nostra omni doctrina huc sequitur, quod Sanctorum Patrum doctrina sit prorsùs necessaria ad rectè de rebus conscientiæ deque moribus Philosophandum, atque definiendum; quin cum autoritate plerique regendi sint, eos esse indisciplina morum notos illos, & maximè quidem notos, ut aiebat Aristoteles, sapientes qui consulendi, audiendique sint; reliquos vero quasi paribus armis inter se dissidentes certos, exploratosque sapientes non esse, sed controversos. Ergo ex nostra omni doctrina, nihil sanè paraduxum; sed id sequitur, quod Romani inprimis Pontifices desiderant.

Hoc planè idem pii etiam quique desiderare videntur: omnibus enim, si rem tantisper consiserent, ab sonum videatur, necesse est sanctos Patres jacere omnes, nihilque esse in Ecclesia necessarius sanctos Patres, Augustinos, Ambrosios, Gregorios esse superfluos. Aliud enim non superest, ad quod illi magis necessarii esse possint, quam ut sciamus, quid credere, quid agere, vitareque oporteat, & quomodo vivendum sit.

Ad conciones, inquis, necessarii sunt. Sed vero vel in concionibus luditur, vel serio de animarum salute

salute tractatur? si autem de hoc, ut par est, tractatur, concionum, & doctrinæ morum unus est finis, recta quippe fidelium, & salus: utrobique vero docemur, quid agere, quid cavere, & quomodo vivere debeamus. Quod si hoc satis in concionibus ex doctrina sanctorum Patrum doceri possumus, poterimus etiam in disciplina morum: neque enim hæc, aut illa in concionibus, Apostolicisque missionibus verà sunt, & alicubi vera ea non sunt; nam vera ubique vera sunt; non ergo quasi hæc in concione, prorsus alia alibi vera esse possunt. Ad conciones porro, ut ais, sapientes illi, quorum autoritate, dictisque est agendum; negotiumque salutis per tractandum, sunt sancti Patres. Iidem ergo esse debent in scientia disciplinaque morum.

Quod si Sanctos Patres, aut alios inferioris gradus Autores non ita utiles, aut inutiles fieri se quereretur, necesse foret plane fateri, præstare, ut viverent Sancti Patres, & cæteri quique jacerent, ut mox dicam; At ex doctrina nostra neutrum sequitur; nam noti sapientes necessariis inprimis sunt, & credendi; controversi vero ad controvertendum, atque ad verum per controversias indagandum deserviunt; quorum primum quidem omnium sit, posterius vero scientiam ipsam profitentium, qui priores illos, quippe notos sapientes audire debent, posteriores vero examinare. Inquam, audire priores, non quidem tamquam scriptores Canonicos, atque sanctam Ecclesiam infallibiliter veram; sed tamquam veros saltem ut in plurimum; & quorum veritas sic plus minus sit præsumenda, quemadmodum de matre qualiber præsumimus, eam diligero filios. Ex quo fortissima, atque extraordinaria probatione opus sit, ut sanctum Patrem aliquem in aliqua sua morum Doctrina relinquamus: *ab his duabus columnis (Augustinum loquor, & Ambrosium) difficile me avelli permittam*, ajebat sapienter Bernardus.

§. VIII.

Hinc ad eam, quæ quæst. 3. §. 5. proposita fuit, difficultatem; quid scilicet faciendum sit de tot libris vias opinionum docentibus, respondetur.

HÆc sit nostra brevissima, & æquissimu sane responsio, cum his scilicet libris id faciendum esse, quod per ipsos, eorumque Autores cum sanctis Patribus, Doctoribusque Ecclesiæ factum est; quod item factum est cum Prophetis, cum Evangelio, cum Apostolis: & sicut hi omnes pœne derelicti sunt, tantisper illi derelinquantur, & in usum, praximque doctrina sacra, sanctorumque restituatur, atque sic eis vicem justissime rependimus.

Nimirum hoc loco offendi, commoverique Jure, vel injuria multi possunt; jure non possunt. Jacuit diu Augustinus in foro conscientiarum regendarum. Quis, quæso, ab institutis Christianis tam longè positus est, qui non consultus arbitretur, ut tantumdem saltem jaceat Diana, & ad forum ejus loco redeat Augustinus? Si vel Ambrosium, vel Caramuelem vivere oportet, quis non Ambrosium præhabeat? Si populi vel ex Chrysostomo, & Gregorio, vel ex Tamburino, & Escobario regendi sint, si vita fidelibus ex alterutris instituenda, quis eos non præferat, quos Doctores vitæ nostræ Ecclesia Sancta Mater, & Magistra nostra nobis porrexit? Hæc clara sunt, & nulli injuriam facimus, & si persecutionem propter Justitiam patiemur, beati à Domino habebimur.

Sed dicis, utrosque simul vivere, regnareque posse. Augustinos ergo, & Ambrosios restituamus quidem, & neutros dimittamus. Ad hoc plura brevissime Respondeo. Primo oraculo Pontificio sæpius commemorato constat nobis, quibus Sedes Apostolica in loco suo est, irrepsisse modum de rebus conscientiæ opinandi omnino alienum à simplicitate Evangelica, & doctrina Sanctorum Patrum. Hic porrò modus, & hæ opiniones alicubi sanè sunt, & in libris aliquibus sunt. Hi ergo libri cum Evangelio, & doctrina Sanctorum simul vivere, regnareque non possunt. Si qui vero erunt, qui oracula Pontificia prose lata maximi faciant; contra se vero nihil pendant, hoc sanè bonum non est. Secundo ex constitutis hoc opere, & demum quæst. præc. insinuatis constat, doctrinam Sacram, & Sanctorum Conciliari non posse cum opinionibus multorum, non modo in particulis quibusdam, & quasi conclusionibus, sed nec in ipsis quidem principiis universalibus Philosophandi. Utrique ergo simul vivere, regnareque nequeunt. Tertio apertis multis libris moralistarum notorie constat, pænè nullum usum in eis esse doctrinæ Sacræ, & Sanctorum. Tantundem ergo cum ipsis tantisper fiat. Quarto hi libri contrarietate, & contradictione pleni sunt. Ex quo proindè dimidia saltem pars falsa sit. Sed nulla falsitas cum sacra Doctrina, & rara, vel nulla cum doctrina Sanctorum Patrum de fide, & moribus Conciliari potest. Hi igitur libri, quandiu saltem falsa hæc omnia non expungantur, una cum doctrina Scripturarum, sanctorumque vivere non possunt. Similiter ex non perpetuitate, & ex non successione; item ex non sanctitate Doctrinæ, de quo quæst. seq. tractabo, aliisque veræ, ac sanæ Doctrinæ notis constat, nullam esse concordiam.

Dices iterum, in libro Dei, & doctrina Sanctorum deesse doctrinam necessariam salutis ad regendos populos, dirigendasque conscientias. Verùm ostensum est, hanc doctrinam numquam magis, quam fidem in Ecclesia de fuisse, & monstrum monstrorum esse, si existiment, se nunc venisse ad dandam scientiam salutis plebi ejus; ad hoc quippè ille venit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui Ecclesiam ædificavit, firmamentum & columnam veritatis; cuique depositum custodiendum credidit, quod haud dubie illa servavit. Non hic doctrina, sed consideratione, & minimo saltem gradu humilitatis opus est. Illud itaque faciendum incunctanter asserimus cum his libris, quod cum libris sanctis Dei, & Sanctorum per eos factum est, ut hi vivant, & regnent; & ad opinatores illud Apostoli dicere possunt: jam sine nobis regnatis; utinam & regnetis, ut & nos vobiscum regnemus. Utinam, unquam, regnetis, qui scilicet una cum illis regnare possunt; sin minus si alterutri exulare deberent, quemque Christianum judicem compello, quos judicet regnare oportere.

Jam quippè demum §. præc. cavebam, posse inter hos ipsos de moribus dissentientes inveniri aliquos plures, vel pauciores, qui præsertim eo

Concilio

Concilio non scripferint, ut peccata tollerent (hos scilicet nequaquam sapientes arbitramur) in quam posse eos inveniri ab eis, qui rerum ipsarum examine veritatem quærere valent, à quibus proindè prosè saltem in Catalogum sapientium numerentur. Verùm illud semper necesse erit, ut eorum doctrina cum scripturis Dei, sanctorumque concordet, & inde hausta sit, notisque perpetuitatis ac successionis, & aliis fulgeat modo explicato.

§. IX.

Ex his clare constat quæ sint doctrinæ Ecclesiæ.

Sunt qui, quæ Ecclesiæ sunt, & quæ in Ecclesia, ultro, citroque confundant; disputent etiam, num eæ doctrinæ quæ in Ecclesia impune aliquando permissæ sunt, reprobari ab ipsa possint, rebusque clarissimis tenebras offundunt: cum exempla in contrariam manifesta suppetant, cum heri ferme quadraginta quinque opiniones morales, quæ paulo ante impune defendebantur, ex punctæ sint; cum quod plus est ipsi Theologi fateantur, plurimas olim probabiles opiniones à se sua virtute effectas, redditasque improbabiles, quasi vero quod ipsi possint, nequest Ecclesia, cui clavis scientiæ donata est; cum demum ex Evangelio compertum sit, eo ipso magno, in quo Dominus verbum suum seminaverat, super seminasse errorum zizania inimicum hominem; quæ pater familias eradicare posset, non quidem quando Agricolis, sed quando ipsi fuerit. Explicatum porro fuit part. 1. lib. 2. quo pacto Ecclesia antea probabilia reddere improbabilia possit, & distinctia probabilibus æquivocatio repulsa est.

Hæc ergo cum clara sint, ex dictis aperte constat, sic esse in Ecclesia vera, & falsa commixta, sicut virtutes, & vitia. At quemadmodum nihil vitiorum est Ecclesiæ, quæ tota pulchra est; sic nihil falsitatis, in ipsius est, quæ est columna veritatis. Nihil igitur falsum docuit, probavitve unquam, ut suum effecit: in quo plane morandum non est.

Hinc nullæ simul contradictoriæ quantorumcumque Autorum Ecclesiæ sunt; quia alterutrum falsum. Inde etiam dimidia pars librorum, quæ opinionibus contrariis pleni sunt, non est Ecclesiæ, quia falsa: ac proinde neque libri ipsi Ecclesiæ esse possunt; neque quibus pascamur, & vivamus, omnes eas opiniones nobis contulit. Patet hoc; quia si eas nobis contulisset, & probasset; falsam doctrinam morum fideles docuisset: at neque docuit umquam, neque docere potest. Non ergo eas nobis contulit, probavitque, ut ex eis viveremus. Qui ergo ex eis vivunt, non Ecclesiæ Judicium sequuntur, sed aliud.

Hinc etiam sequitur, sanctam Ecclesiam numquam declaraturam, opiniones morales contrarias probabiles esse rectam, sanamque doctrinam morum: nam alioqui porrigerer nobis, probaretque doctrinas morales falsas: quod implicat. Numquam ergo; quod etiam sequitur, probabit, aut declarabit, usum similium opinionum esse rectum: nam usus hic sive directe, sive reflexe assumere debes, doctrinas contrarias, & æque, & minus probabiles esse rectam, sanamque doctrinam morum: nam acumen reflectentium exacui adeo, opinor, non poterit, ut assumat licet sequi opiniones æque, & minus probabiles, & si hæ opiniones recta, sanaque doctrina morum non sint; ergo in ipsa sua reflexissima etiam assumptione supponit, ac virtualiter dicit, eas opiniones, ex quibus tam sancte vivere possumus, esse morum rectam, sanamque doctrinam. At hoc Ecclesia dicere non posset; nam alioqnin judicium, ac passiva etiam approbatio Ecclesiæ veritatis argumentum non esset, sed solum probabilitatis; ac rursus ex opinionibus probabilibus improbare nullam posset, quia sanam doctrinam reprobare nequit: atque postremo, quia Ecclesia, quod docere non potest, neque approbare sane potest; sicut neque Deus: falsum autem nihil docere potest. Ergo vera est minor subsumpta, quod Ecclesia dicere non potest, eas opiniones esse rectas, & sanas. Ergo neque probare umquam poterit opinionem eum usum concedentem. Quæ pressiua, atque latiua, prosequi promptum est; sed intelligentibus res manifestæ sunt, quas insinuare satis sit.

Contra vero res habet in via nostra; nam duo pænè, vel tria ea complectitur, Primum illud, quod part. 1. statutum fuit, solas scilicet doctrinas veras esse morum regulam: atque hoc Deus primum, mox etiam Ecclesia declaratum habere videtur; nam declaravit solùm, legem suam in se esse primam, supremamque regulam morum: cum hoc porrò connectitur, solam doctrinam veram esse regulam secundariam; Tum quia solæ veræ concordant primæ, ac supremæ regulæ; tum quia idest, ut assumunt sapientes, in intellectu verum, quod in rebus esse. At declaratum est, atque de fide sanè rum, legem, ac voluntatem solam Dei in se, & non ut opinatam (in quo jam regula secundaria involvitur) esse primam, ac supremam regulam. Ergo declaratum est, vel ex declaratis immediate, clareque sequitur, solas doctrinas veras esse regulam secundariam, primæ scilicet concordem, illiusque applicativam.

Alterum est, hanc veritatem, secundariamque regulam in veniri à nobis posse; quod etiam videtur satis ab Ecclesia declaratum; nam declaratum est, præcepta Dei esse possibilia, hoc est, observabilia. Ergo vel declaratum est, vel ex declaratis immediate, clareque consequitur, ea esse à nobis scibilia, dignoscibilia, invenibiliaque, cum quæ scire, nosseque non possumus, servare planè nequeamus. Atque id multis Dei promissionibus, sanctorum Doctrina lib. 3. statuimus; Ecclesiaque ipsa nos instituit, ad omnem actionem nostram, & actum à Deo lumen, veritatem, directionemque postulare; quod nos non institueret, si rectè postulantibus ea promissa non supponeret.

Postremum denique viæ nostræ est, multis signis, notisque hanc veritatem internosci posse; atque hactenus eam dedimus, quæ ex doctrinæ perpetuitate, successioneque ducitur: atque sapientes notos his de rebus consulendos diximus esse scriptores Cannonicos, sanctosque Patres. Hoc etiam sancta Ecclesia declaratum satis habet.

Jam exclusis à doctrina propria Ecclesiæ omnibus doctrinis falsis, atque ex omnibus vicissim contrariis repulsa dimidia parte, superest, ut de reliqua media vera dicamus. Inquam, media vera, ubi est oppositio contradictoris; nam in contrariis non repugnat, ut scitur, utrasque etiam simul esse falsas.

De his autem loquendo, quæ veræ fuerint, si nihil circa ipsas, aut earum autores Ecclesia declaravit magis, quam circa contrarias, planè eas nondum suas fecit, sed abstinet, quandiu sibi visum fuerit. Veræ utique omnes Dei sunt? at quan-

quandiu veritas non constat, Ecclesia suas eas non facit. Et sane si in omni tot sibi contrarium opinionum concursu sciremus, has esse Ecclesiæ, sciremus profecto, contrarias esse falsas: nescimus autem saltem sæpe, & si de aliquibus constet, vel ex Bullis Pontificiis, vel ex similibus.

Denique existimandum non est, omnes doctrinas Ecclesiæ esse jam eo ipso Doctrinas fidei, in quo quidam insigniter ignorantes falli solent. Illæ itaque de fide sunt, quas tamquam fidei ipsa tradit; quod unde, quibusque notis dignoscendum sit, tractant suo loco sapientes, nosque tractavimus. Alias Doctrinas accipit ipsa, & tradit tamquam citra fidem certas. Alias denique ut probabiles, ac fere semper veras; supponitque, & nos instituit, eas deficere alicubi posse: quapropter defectus ia raro contingens non Ecclesiæ, sed ignorantiæ potius nostræ adscribendus est.

Ex quibus demum omnibus consequitur, eas doctrinas morum esse proprie Ecclesiæ, quas vel fide, vel citra fidem certo, vel saltem probabiliter probabilitate toties exposita constat, notumque in Ecclesia est, esse veras. In hoc porro sapientiæ tanto thesauro, habent fideles, ut ostensum fuit, unde recte vivere possint; alioqui non satis Ecclesia fidelibus suis providisset; neque Deus Ecclesiæ suæ. atque hoc modo non, ut promisimus, una, sed multiplici etiam nota, qua internosci possit, & inveniri veritatem moralem designavimus. *Ita tibi*, ut Augustinus ait eo, quo maxime usi sumus lib. de util. creden. cap. 18. *Neque præcepta, neque disputationes doctissimorum hominum & vere Christianorum, neque libri, neq; sexenta cogitationes defuerint, quibus facile, quod quæris, invenias.* Si tamen, ut disserit Philo. libro de Agricul. rationalis pars *Explicet duplices, & ambiguas dictiones, & sophismatum persuasibilem speciem, & probabilem deceptionem, maximam, & perniciosissimam escam animæ tollat medio etc.*

QUÆSTIO IX.

Utrum altera nota veritatis moralis sit etiam illa, quam Dominus de Magistris dedit; ex fructibus eorum cognoscetis eos.

NIhil hac regula, notaque veritatis, rectitudinisque doctrinæ tutius prodere possumus, quam quippe Dominus ipse in hac ipsa causa contulit; cum quo proinde, minime vero cum nobis contendendum sit. Hæc porro veritatis nota ipsa illa est, quam à sanctitate Doctrinæ Catholici omnes contra sectarios movent.

§. I.

Num in hac ipsa nostra causa Dominus hanc regulam, notamque tradiderit.

HAnc regulam, notamque Dominus tradit Matth. 7. ac Luc. 6. in Mattheo sic ait: *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos.*

De via ipsa salutis, vel perditionis; de bonis, vel pravis moribus aperte, ut vides, tractatur, nam morum viæ istæ sunt, non pedum. Prædicit Dominus futuros falsos Magistros, sed contectos maxime, in vestimentisq; ovium latentes, qui tamen intrinsecus sint lupi rapaces. Hic quid, precor, tu probabilista Christianis præscriberes? Illud opinor, quod perpetuo recantas, eos dignoscere sic latentes Magistros non posse, neque teneri, satisq; esse, si tantam ovium apparentiam, pellemq; totam sectentur: credo enim, usitatis probabilibus satis probabiliter oves fidelibus videri possent, qui in vestimentis venirent plane ovium. At Domino non sic visum est, nec hæc jacta Theologiæ fundamenta; sed *à fructibus eorum*, inquit, *cognoscetis eos.* Cognosci ergo possunt, & attendere jubet.

Rem porro exponit Magister bonus exemplo arborum, fructicumque. *Num quid, inquit, colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit. Non potest autem arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Igitur (concludit iterum) *ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Qui vero sunt hi, Domine, quos ex fructibus eorum cognoscemus? sane illi: *attendite à falsis Prophetis, &c. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Ergo possumus; nec stertentes, torpentesve, sed vigiles, attentosque nos esse, jubet Dominus: non dicit, si vos fallant, nihil est; si Doctores sint, magnaque etiam apparentia boni, verique videantur, nihil est; nam ignorantia erit invincibilis; non hoc dicit, sed vigilare, attendereque nos jubet. Scitur scilicet ex secunda Petri 2. & alias, Prophetarum horum nomine Magistros falsos significari; qui certe, ut Dominus, Apostolusque prænunciant, futuri erant.

Hujus generis Doctores in synagoga erant scribæ, & Pharisæi, Saddocæique: quos etiam cavere imperavit Matth. 16. *Intuemini, & cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum*: quod cum de fermento panis discipuli intellexissent, postea declaravit: *Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.* Quod qualiter cum eo altero documento cohæreat quæ dicunt, *satire*, declaratum est libro 5. id ipsum jubet Marc. 8. *Videte, & cavete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. Et cogitabant ad alterutrum dicentes, quia panes non habemus. Quo cognito, ait illis Jesus: quid cogitatis, quod panes non habemus? nondum cognoscitis, & intelligitis.* Et rursus Marc. 12. *& dicebat eis in doctrina sua: cavete ab scribis.*

Hic porro occurrit ipsissima nostra, quam versamur, tota quanta difficultas: quomodo scilicet ignorantes homines dignoscere tam cautos, industriosque Magistros possent, qui quippe & vestimenta ovium gestarent, quantumque sub profundissima quadam Hypocrisi delitescerent, patet ex Matth. 23. dilatabant enim Phylacteria sua, fimbriasque magnificabant; & ac legem in eis scriptam, cujus amantissimi viderentur, circumferebant: Orabant etiam orationes longas; circuibant mare, & aridam, ut facerent unum proselytum, ad legemque converterent: non quod

sciamus

sciamus, occidebant, aut mœchabantur, aut furto aperto vivebant; quin jejunabant, à peccantium consuetudine etiam abhorrebant, religiosissimique in specimen videbantur: quam ob rem Dominus ait: *Væ, vobis scribæ, & Pharisæi, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa; intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem paretis hominibus justi; intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.* Hæc Dominus, quæ plane dormientes, quosque excitare possent; sin vero hæc ipsa apud eos, quos futuros esse falsos Magistros prædixit, sic coram, sic palam denuo differeret, quid denuò de Domino decernandum arbitremur?

Qui ergo fieri poterat, ut tam profunde delitescentes Magistros populus deprehenderet? Num Doctores fieri omnes oportebat, atque scribas in lege peritissimos? quemadmodū modo rogant nos utrum omnes oporteat fieri Theologos? num populus tunc ille populus non erat? vel Doctores illi Pharisæi, scribæque, non ut Dominus dicit occultissimè tegebantur, sed facile deprehēdi poterant: nunc autem Magistri falsi non possunt; aut magis delitescunt? Nihil sane minus; nam nulli ejusmodi Magistri intrinsecus oves sunt, sed vestimenta solum afferunt ovium; neque ea, sed parere duntaxat veri, speciosique. At illi quidquid exterioris tegumenti est, gestabant; & solum intrinsecus lupi erant. Ergo quidquid tegumenti, apparentia, speciositatis congruere modo falsis Magistris potest, congruebat totum eis Doctoribus. An ergo tutus populus erat; si falleretur, ignorantia omnis erat invincibilis? nihil attendere, vigilare, videre debebat? Non hoc Dominus dicit; *sed intuemini, videte, attendite, cavete*; Hæ scilicet sunt voces Salvatoris, qui nec fallit sane, nec fallitur. Ad eos ergo etiam dictum est; *à fructibus eos cognoscetis* ac iterum: igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos: quos Doctorum fructus, ex quibus cognoscendi essent, designavit cōsequenter ipse Dominus Matt. 23. & Marc. 12. ubi dixit *cavete à scribis*.

Quam sane vellem, hærerent hic nonnihil, considerarentque, qui nobis tantopere reluctantur. qui paradoxos nos habent, si ad veritatem ipsam, si ad discernendum inter veros, falsosque Doctores obligemus; si sequendo maximæ etiam apparentiæ Magistros peccari posse, neque ideo ignorantias invincibiles reddi, dicamus, & indubitate sane Dominum sequentes dicimus. Graves, & gravissimos viros obloquuntur: Num graves, & gravissimi populo illi Doctores sui non videbantur? igitur eis dicit, & nobis dicit ipse, qui nos suis dictis, non nostris judicabit, Dominus; *attendite, cavete; à fructibus eorum cognoscetis eos.* Cognoscere neque possunt, neque debent; dicis sane tu; at Dominus attendere præcipit; attendentibus autem, *cognoscetis eos*, dicit: nosque nihil timantes sub Domino, *cognoscetis*, dicimus. Inferius autem tractabimus, hæc ad Prælatos quidem maxime dici; ad eos tamen solos non dici, sed ad omnes.

§. II.

Num falsi Doctores, etiam non heretici hoc in loco intelligi possint?

NOstrum non est, multas pravas hæreticorum, Manichæorum, Pelagianorum, Donatistarum, Calvinistarum, ac aliorum arboris bonę, & malæ acceptiones loco hoc commemorare; nec item recensere ex consilio varias sanctorum Patrum explicationes. Deinde vero, quod Maldonatus, Cornelius à lapide, aliique notant, & ex Evangelio ipso palam conspicitur, non sicut Luc. 6. de omnibus hic universim hypocritis est sermo, sed de hypocritis solum Magistris, & Doctoribus: dicitur enim: *attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: à fructibus eorum cognoscetis eos.* Itaque Lucas, inquit Maldonatus, aut non eamdem, quam hic Matthæus, recitat, aut dictorum ordinem connexionemque non servat. Nam apud Matthæum quidem tam apte adhæret proximæ scientiæ, ut develli ab illa non possit, nisi altera, aut utraque rumpatur. Apud Lucam igitur ad cognoscendum hypocritas; hic vero ad dignoscendum falsos Prophetas hypocritas easdem notas Christus consignavit.

Quibus notatis interpretes inprimis solum hæreticos, intellexisse, comprehendisseque videntur; hos scilicet nominant, & nullos alios, sed omittunt; supposuisse ergo videntur, solum hæreticos esse intelligendos. Deinde hoc loco comprehensi Doctores sunt intrinsecus lupi rapaces: durum porro, inauditumque videtur, citra fidem de moribus quantumcumque falsos, errantesque Doctores luporum nomine intelligere.

Dicam nihilominus, quæ occurrunt; quid verum sit, alii judicabunt. Et primo quidem quo jure eximamus Doctores extra fidem errantes, aut non hæreticos, eodem plane eximere sese potuissent scribæ, & Pharisæi, qui non solum erant intra synagogam tunc adeo nondum repulsam, & adhuc suam, sed in ea quoque legis Doctores, Magistrosque morum erant. Et tamen sic ab eis, eorumque doctrina cavere Dominus imperavit, sicut imperat attendere ab his falsis Prophetis. Quod deinde durius videri potest, ut Doctores citra fidem errantes, & in Ecclesia docentes lupi conferantur, haud, opinor, minus durum fuit, quod eos Dominus comparaverit sepulchris dealbatis plenis ossibus mortuorum, & omni spurcitia; cæcos item dixerit, ducesque cæcorum: dixit tamen & per Sophoniam cap. 3. judices eorum lupi etiam dicti sunt, atque Matth. 23. & Marc. 12. ad eos dignoscendos signa, notasque tradit: quemadmodum hoc loco Matth. 7. ad cognoscendum universim falsos Prophetas quosque, & Doctores, quos inter comprehendendi utique etiam sint hi falsi Doctores legis; ut in libro de conflictu vitior. & virt. cap. 4. inter opera Augustini posito annotatur: quorum interea non tam fidei, quam morum falsas opiniones Dominus insecutus est.

Dicendum itaque videretur, quoscumque animas sua falsitate occidentes Magistros, & lupis recte comparari, & in loco isto Matth. comprehendi. Occidunt porro animas etiam falsi Doctores morum, ut lib. 2. late ostensum est; & Magistralis est regula illa alia Salvatoris, *si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt*, ubi non dixit *ante*, *sed ambo*, reflectit Augustin. utique per necessarias alibi satis statutas, ubique etiam confirmemus, Hieronym. In cap. 5. Jerem. ad ea verba *stupor, & mirabilia*, &c. inquit. *Supra dixerat ibo ad Primates, & loquar eis. forsitan ipsi cognoverunt viam Domini: & ecce hic magis confregerunt jugum, ruperunt vincula. Nunc describit, qui sint Optimates, Prophetæ videlicet, & Sacerdotes, quorum alii futura prædicunt; alii facienda ex lege decernunt. Et ecce inquit illis mendacium prophetantibus Sacerdotes manibus applauserunt. Et ut ostenderetur, quod nec populus esset sine culpa, qui à talibus abducatur, scriptum est;*

& populus meus dilexit talia, &c. Unde stupor, & mirabilia sunt, quod nec in Principibus, nec in Populo sit, qui recta sentiret. Occidebant ergo, interficiebantque mendaciis animas. Est autem apud nos etiam admixtum non parum prædicationis, qua falsas opiniones morales sectantibus salutem æternam promittimus, eamque futuram esse quasi prædicimus: Laxitates porrò falsas, & salutem quoquomodo obtineri posse, gaudent, diliguntque multi.

Rursùs eodem libro 2. commonstratum est, nullum statum in Ecclesia præservatum esse, quominus peccare singuli possint in suis propriis officiis: ex quo proindè nulla fit exceptio, ne quæ per Prophetas, in Evangelioque dicta sunt, ad nos Christianos etiam afferantur: quæ est planè intelligentia Ecclesiæ; & sic ipsa, concionatoresque passim status quosque, & officia ex Prophetis reprehendunt. Peccare ergo etiam in Ecclesia in suo officio Magistri possunt, atque redargui ex Prophetis, sicut reliqui. Nihil ergo est, cur sicut quæ in avaros, in superbos, in ambitiosos in Prophetis, Evangelioque continentur, Catholicos etiam avaros, superbos, ambitiosos comprehendunt, ita quæ de falsis Magistris scripta sunt, falsos quoque Magistros morum comprehendere nequeunt, primum quidem, & quasi antonomasticè Hæreticos, deindè vero reliquos, ut lib. 2. late ostensum est.

Hinc ad rem propius accedendo diminuta, insufficiensque doctrina Domini videretur, si ad cognoscendum solùm falsos in fide reliqua Doctores modum tradidisset; ad cognoscendum veros falsos morum Magistros formam prætermisset; quemadmodùm diminuta fuisset, atque insufficiens, si credendis consignatis, prætermisset, quæ agere, vitareque oporteret. Ad utrumque igitur Magister bonus, & doctrinam tradidit, & unde suam à non sua dignosceremus, edocuit.

Hoc prætereà in loco de moribus in specie erat sermo, de arcta scilicet, lataque via: quæ ut diximus, notatque Gregorius, non pedum sunt, sed morum. Eos ergo attendere falsos Prophetas consequens erat, qui vias has suis morum doctrinis commutarent, seu magis pervertèrent, inducerentque laxitate opinionum, aut potius comminiscerentur latam portam, spaciosamque viam, quæ duceret ad vitam. Unde etiam in Decreto sæpius commemorato, quo plures opiniones morales sub Alexandro VII. nuper confixæ sunt, continenter admodum pravum Philosophandi de rebus conscientiæ alienum à simplicitate Evangelica, doctrinaque Sanctorum, subditur, ne dilatari contingat, seu potius perverti viam salutis, quam suprema veritas Deus arctam esse definivit. Hi ergo, si qui essent, qui dilatarent, seu magis perverterent eam viam laxis morum opinionibus proculdubio comprehenderentur in sententia illa Domini, qui propositis, declaratisque illis viis duabus, immediate subjunxit: *attendite à falsis Prophetis*: nec alioqui ad rem est, neque consequens, connexaque, sed rupta, & aliena hæc sententia foret.

Idcircò Hieronymus de omnibus Prophetis falsis hypocritis intelligi posse commentatur: sed *specialiter*, quod non negamus, de hæreticis, ait, *intelligendum est*. Absurdum ergo non habet, quod hypocritæ quique, etiam Catholici Doctores lupis conferantur. Et sanctus Augustinus libro 2. de Serm. Dom. in monte cap. 24. ad hypocritas omnes rem extendit, & Ambros. libro 2. in Luc. cap. 10. Sacerdotes rapaces, & alios quoque comprehendit. Salmeronius tract. 63. in hunc locum: falsus Propheta est, inquit, qui docet contra fidem, sive contra bonos mores, apud quem non dissentit Autor operis imperf. in Matth. ac satis Maldonatus quoque consentit si omnia perpendantur. Quamquam vero communiter, ut objecimus potissimos quippe, amosioresque falsos Prophetas hæreticos intelligant, haud tamen excludunt, sed prætermittunt reliquos morum falsos Doctores. Atque per universam scripturam peccatores quique, & inimici Dei nominibus appellantur satis duris timendisque. Adde vix posse fieri, aut ne vix quidem, quod via salutis, quæ arcta à Domino definita est, laxis opinionibus spaciosa reddatur, quin in fidem etiam impingatur, & si quis hæreticus non sit, quia deest contumacia.

Quod si nihilominus luporum nomen nullis quoquomodo falsis Doctoribus Catholicis congruere possit, ut Autor imperfecti docere videtur, & discursus Ambrosii loco citato firmat, nec enim lupi intra ovile degunt, sed in ovile grassantur, quamquam responderi possit, in his similitudinibus non omnia esse servanda; Consilium tamen non est de eo litigare, sed aliis, ut dixi, rem judicandam relinquere. Illud tamen tenendum prorsùs arbitror, attendendos etiam, atque cavendos esse falsos Doctores morum, malasque arbores; & quidquid absolutè nomen lupi eis haud congruit, congruere sententiam, summamque doctrinæ, & regulæ: quemadmodùm eam de scribis, doctoribusque legis exposuit Dominus Matth. 23. & Marc. 12. & si eos lupos haud dixerit.

§. III.

Quæ sint ergo propriè malæ arbores quoad officium Doctoratus?

Disputare sanè nollem de bonis, malisque arboribus universim, sed duntaxat quoad doctrinam, ex quo unusquisque Doctor, & Magister, qua Doctor & Magister arbor bona esset, vel mala. At quoniam à fructibus utralibet arbor cognoscenda traditur, qui non doctrinæ, & quasi doctrinales sint, sed virtutis, aut vitii, difficile sanè est ita de Magistris, qua Magistris solùm dicere, & sic etiam de bonis, aut malis arboribus, quin universim bona, vel mala arbore simpliciter differamus. Dixi autem arbores istas non tradi agnoscendas ex fructibus doctrinæ, & quasi doctrinalibus; nam hi fructus, aut quasi fructus sunt verum, & falsum: at verum, & falsum non sunt fructus ex quibus, sed quæ ex fructibus potius aliis virtutis, vitiique cognoscuntur: atque ea duo dignoscenda instituimur.

Est profectò res ista explicatu difficillima, quo scilicet arbor quæque bona fiat, aut mala, maximè vero Doctor. Multiplicem delectationis modum Magnus Augustinus excogitavit, cujus eam inter alias Maldonatus profert, quam Autor imperfecti Theophilactus, Lyranus, aliique amplexi sunt, ut hominem bonam voluntatem habentem bonam arborem, malam habentem malam arborem esse intelligat. Hanc sententiam perse quidem veram, huic tamen loco minime congruere arbitratur Maldonatus; non enim de bona voluntate agnoscenda tractatur, sed de fide; nam attendite, inquit, à falsis Prophetis.

Verum

Verum pace tantiviri non ita ad fidem, vel doctrinam sermonem restringere possumus, ut à bona, vel mala voluntate præscindamus. Quamquam enim bona, vel mala Voluntas Doctorem verum, vel falsum, ac proinde in hac quasi specie arborem bonam, vel malam minime constituat, at, ut paulo ante notabam ex suis his quasi propriis fructibus veritatis, vel falsitatis, cognosci quoad præsens nequit, quin a Domino ad arbores simpliciter bonas, & malas, hasque a fructibus dignoscendas ducimur; qui sane fructus sunt, ut patet, bona, vel mala voluntatis. Clauditur ergo bona, vel mala voluntas hoc in loco; quia quippe bona, vel mala voluntate prætermissa, fructus quoque illi desint, à quibus veros, & falsos Prophetas cognoscamus.

Hinc itaque consequenter, si arbor bona est homo voluntatem bonam habens, quam habentibus dictum est, & *in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; mala autem arbor homo habens voluntatem malam, dicendum videretur, Doctorem verum esse, Doctorem habentem bonam Voluntatem; eum falsum, qui habet malam. Etenim in sola doctrina, fideve sistamus, ac cætera circunscribamus, fructus desunt, à quibus arbores agnoscendæ sint.

Hoc autem modo contextus Evangelii apprimè cohærere videtur; nam a fructibus primum bonis, vel malis arbores ipsas, quales sint, deprehendimus; ac inde ad doctrinam demum argumentum ducitur. Ubi antequam ad ulteriora progrediamur notum in Augustino est, bonam, vel malam voluntatem, non aliam esse, quam charitate affectam, vel non affectam; Deum, & proximum diligentem, vel non diligentem.

At occurrunt mox multa difficilia. Primum illud, quod omnis Doctor charitatem habens, hoc est, Dei, proximique amator futurus sit bonus, ac minime attendendus, & cavendus: sed hoc falsum est: nam sunt multi, vel pauci Doctores charitatem habentes, & de cætero boni, ut dicimus; homines, alii natura, alii studio parum apti, & docti; qui proinde quam maxime ignorent fallanturque: Ergo inter falsos Prophetas, Doctores que claudentur. Processus ergo esse nequit, ut a fructibus bonæ, vel malæ voluntatis; virtutis, atque vitii bonas arbores, ac sic mediate veros, falsosque Doctores deprehendamus: siquidem hi, sive multi, sive pauci Doctores, qui maximi falluntur, arbores bonæ, bonorum que fructuum sunt, & tamen falsi.

Illud deinde est difficilius, quod hic ratione cavendi, attendendique viderentur peccatores, quique Doctores: hi namque malæ arbores sunt, & si fructus inspiciamus, pravi, putidique illi sunt, melarumque plane arborum, tribulorum, atque spinarum. Et tamen absurdum est, peccatores quosque Doctores cavendos esse, quantum saltem attinet ad doctrinam; & si de cætero peccatorum consuetudo vitanda sit, qui pravis scilicet operibus, & exemplis plus ad malum ducant, quam ad bonum trahere possint doctrinis etiam bonis. Nam alioqui ut Augustinus in nostro prologo ajebat, ubi *est illud, quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite? Ubi illud; sive veritate, sive occasione Christus annuncietur*, quo sane pertinet, multo Doctores peccatores esse veros: at Doctores veri qua Doctores boni sunt, neque cavendi, impertinens ergo est bona, vel mala voluntas, fructus item ab ea provenientes abs re sunt, ut falsos, verosve Doctores agnoscamus.

Hinc postremo ad vetus tam illam senis socratis sententiam labi videmur, qui ajebat, sapientem malum esse non posse: contra quem Aristoteles habuit, sapientiam parum, vel nihil conferre ad virtutem. Etenim pravus omnis Doctor mala est arbor, atque à fructibus mala esse plane innotescit; at hujusmodi omnes Doctores, quos malas arbores esse constat, attendendi, cavendique sunt: Ergo omnis pravus, & malus doctor attendendus & cavendus est: at nullus sapiens attendendus, & cavendus est (intelligo in doctrina:) nullus ergo sapiens pravus & malus est.

Nec juvat, si ad solam fidem rem limitemus; nam habentium rectam, veramque fidem possunt esse, quin persæpè etiam, sunt fructus mali: ergo si attendere, cavereque eos oportet, quorum pravi sunt fructus, scilicet avaritia, spurcitia, ambitus, atque hoc genus fructus alii satis sanè putidi, cogemur vitare, attendereque eorum etiam plurimos, qui rectam, veramque fidem habent: quare si de recta etiam ipsa fide à fructibus judicandum est, consequens erit, ut tam pravos fructus affetentium etiam fidem falsam esse colligamus, ab eisque attendamus tamquam à falsis Prophetis. Dicis; falsi Prophetæ non sunt, quia veram fidem docent: non ergo attendendi sunt. Verum, Dominus, ne abducantur, nos docet, qui inter veram, falsamque fidem per se ipsas non discernunt nec item veros inter, falsosque Prophetas? Ut porro eos discernere possint, ad fructus remittit, à quibus inter eos discernant. Videns ergo quis putidos, putridosque fructus in habentibus veram fidem, à fructibus arbores colligendo, cavebit, fugietque eos velut falsos Prophetas.

His planè cedendum videretur, nisi doctrinam salvatoria sterpitus convelletent: sit enim his objectionibus omnibus, nihil veros, falsosque Prophetas nosci à fructibus posse; quandoquidem habentium bonos fructus sæpè falsæ sunt doctrinæ; & habentium veram fidem, & doctrinam sæpe pessimi fructus. Ex quo doctrina salvatoria tota conteratur, & voce, vel factis tamquam falsa omittatur; quod ferri à Christianis nequit.

Insistendum ergo est doctrinæ, regulæque salvatoria veros, falsosque Prophetas, ac Doctores à fructibus deprehendi; ad hoc quippe unum ea tota doctrina revocatur. Priùs verò, quam ad objecta argumenta respondeamus, has bonas, & malas arbores amplius explicemus, necesse est.

Dicebat itaque Augustinus, bonam arborem esse hominem voluntatem bonam habentem, & à contrario eam malam. Hanc porrò bonam, voluntatem ex Augustino addebamus non aliud, quam charitatem esse; non inquam, charitatem sumptam pro habitu in fuso, qui nobis tribui solum posse, nihilque præterea actus, vel affectus addat, sed eam, quæ in actum, affectumque transeat, nostramque Voluntatem Erga Deum, proximumque rectè afficiat, & utrumque vere, proprieque diligamus, & ex quo in Domino delectemur, & sapiamus, quæ sursum sunt, ut fusius infra tractabitur.

Augustinus itaque hanc bonam voluntatem putavit eam esse, qua arbor bona efficitur; & cupiditate, quæ est radix omnium malorum, & charitate, quæ bonorum, arbores bonæ, vel malæ fiunt. Charitas autem alia est incepta,

& incipientium; atque hæc magis incipit facere arborem, quam perficiat; & sic etiam ferre fructus incipit, nec in hoc arboribus assimilamur, quæ non omni tempore fructum referunt, ut notat Maldonatus Matth. 28.

At hæ inceptæ solum arbores quoad nos arbores sunt, quas ex fructibus agnoscamus; vix enim discernuntur, & strictissime loquendo fructus earum, vix fructus sunt, & si sufficiant, ne ad ignem mittantur. Etenim ut S. Thomas in cap. 5. ad Galat. lect. 6. ait: *Fructus sic acceptus duo importat, scilicet quod sit ultimum quod producitur ab arbore, est fructus; & quod sit suave, & delectabile: cant. 2. Fructus ejus gutturi meo.* Quare incipientes, vel aliis, qui statim ad peccatum redeunt, fructus hoc sensu non ferunt, & ideo Matth. 13. & Luc. 8. eis, qui ad tempus cum gaudio etiam verbum suscipiunt, & iu tempore tentationis recedunt, nulli fructus deputantur; ubi ad tem dicitur: & *hi radices non habent*: arborea autem, radices habent: arbores ergo hoc sensu non sunt; notæ certæ nobis non sunt. Quare si pessimorum fructuum Propheta re ipsa conversus esset, haud nobis id notum foret, nec statim ei sidere oportet, sed expectandum est, ac fructus ulterius inspiciendi sunt.

Atque hoc sensu satis Ecclesiastico, scripturalique Augustinum locutum arbitramur: qui plane modus scientiis etiam ipsis præterea congruit. Neque enim quamlibet continuo bonam voluntatem, virtutem, aut virtuosum facere dicimus: sed voluntas ea requiritur, quæ faciat prompte, & delectabiliter operari: inde etiam Juristæ satis sane Philosophicè justitiam non definiunt voluntatem reddendi unicuique, quod suum est, sed voluntatem constantem, & perpetuam. Inde in Prædicam. & in Ethic. iracundum, vel continentem eum non habemus, qui aliquando irasceretur, aut se contineret: neque Logicum eum arbitramur, aut Theologum, aut sapientem, qui aliquid aliquando sapientiæ, Theologiæ, vel Logicæ exercere posset. Quorum ea est ratio, quod virtutes facilitatem, & inclinationem, ponant: quæ autem facilia nobis sunt, & juxta inclinationem,prompte,ac delectabiliter operamur; & etiam frequentissime, si occasio fuerit frequentissima.

Cum ergo materia virturum, & vitiorum sit perpetua; charitas autem facilitet, inclinetque universaliter ad bona omnia: cupiditas etiam vel ad omnia, vel ad multa mala juxta complexionem uniuscujusque, inde est fructus bonarum, ac malarum arborum esse frequentissimos.

Hinc omnes prorsus homines arbores bonæ sunt, aut malæ, aliæ inceptæ, vel incipientes, ac Deo notæ, quæ fructus etiam ferre incipiant, & si nondum habentes perfectam rationem fructuum bonorum, vel malorum, neque delectabilitatem: aliæ jam arbores bonæ,vel malæ factæ,& perfectę, aut quasi perfectæ: quæ inter se denuo etiam differant, ac plures, vel pauciores fructus teferant. Primæ autem vix notæ nobis esse possunt; atque ipsa regula Salvatoris tempus requirit,ut fructuum omnium consequentiam, cohærentiam, nexumq; deprehendamus? atque plus quoad doctrinam fidendum videretur bonæ diu arbori,& homini,qui modo forte conversus, justificatusque sit: & si nunc obirent, prior damnandus, salvandus porro esset posterior.

§. IV.

Quomodo ergo hæ à fructibus cognosci possunt?

Difficultas illa est, quod exteriora omnia, ut dicetur inter vestimenta deputanda videantur; orationes, eleemosinæ, jejunia, & eadem ratione cætera. At noa nisi ab exterioribus arbores cognoscere, ac inter lupos, & oves distinguere non possumus: cum corda nos prorsus lateant, & bonæ, & pravæ intentiones, & hoc genus cætera. Ergo nihil super est, ex quo cognoscamus, & distinguamus. Ergo, si decipiamur, ignorantia erit invincibilis. Videtur deinde implicatio, quod vestimentum non sufficiat, & fructus sufficiant; cum exteriores fructus sic fingi possint, sicut vestimenta. Frustra ergo Dominus noa à vestimentis ad fructus remisit.

At latuit forsitan Dominum signum aliud expeditius, & ubique præsens, scilicet gravitas, Prudentia, prudenter, & alia convertibilia, ad quæ nos passim hodie remittunt pro Doctoribus bonis, vel malis discernendis: nam falsos, aut veros ipsi non loquuntur, qui viam Dei non in veritate docent, sed in probabilitate, quæ liberat, salvatque homines. Cur ergo Dominus non dixit, ex gravitate, prudentiaque cognoscetis eos? quo uno, ut dictum est omnes accipiantur, nullaque opus sit attentione, atque Pharisæi scribæque probandi essent religiosissimi in specimen homines. Ex fructibus ergo dixit, & plurimos certe, ut videbimus, usus probabilitatum refert.

Supponunt Maldonatus hic in 6. Luc. Toler. Salm. & communiter, signum hoc non certum esse & infallibile, sed probabile, ut signate loquitur Maldonatus. At ut semel, iterum, & sæpe inculcat, & Toletus etiam exercite & Salmeron per probabile non id intelligunt, quod cum vero connexum non sit, aut non nihil magis connexum sit, quam cum falso, sed ut in plurimum, & plerumque verum, quodque, ut loquitur Maldonatus; *pleramque verum afferre solet.* Ridiculum enim dictu foret, si ad veros, falsosque discernendos prophetas ad eos fructus temitteremur, qui aut pluties, aut toties, aut fere toties falsitati congruerent: gravissimæ autem illę minores, & æqualea probalitates hujus generis sunt: qoibus sex centum opinionibus quinquaginta, vel plures falsæ sint.

Magister itaque noster, qui veritas est, ac viam Dei in veritate docet, voluit, nos inter veros, falsosque Doctores distinguere; hoc scilicet est in Doctore, quâ Doctore esse bonum, vel malum; esse utique verum, vel falsum: utque eos dignoscere possemus, non sanè ad signa nibil magis verum, quam falsum significantia, sed ad fructus remisit, qui vel semper reipsa, vel saltem plerumque, & ut in plurimum etiam quoad nos vero soli congruant; ideoque nos ducant ad cognitionem veri reipsa Prophetæ, Doctorisque. Abeant ergo illi, qui visis hinc inde fructibus, & signis commixtis, quæ hinc verum, inde falsum tepræsentant, in sua libertate mox habent, quem voluerint, verum, vel falsum Prophetam, Doctoremque opinari, & credere; probare, & rejicere: quod sanè egregium privilegium erit, si quando de veritate, vel falsitate privatarum revelationum dubitatur, ut probent, improbent, quam fœminam placuerit: occurrent enim gravia fundamenta utrimque; res autem esse solet, quæ certo dignosc

dignosci vix possit: & olim in lege tempore tot falsorum, Prophetarum gravissimum fundamentum videretur populi totius consensus, & approbatio.

Nunc jam, siquidem non ex vestimentis, sed ex fructibus cognitionem colligere jubemur, quid inter utrumque intersit, in primis videndum est. *Multi enim*, inquit Augustinus lib. 2. de Sex. Dom. in monte cap. 24. *quædam in fructibus deputant, quæ ad vestimentum ovium pertinent; & hoc modo à lupis decipiuntur: sicuti sunt vel jejunia, vel orationes, vel Eleemosinæ: quæ omnia, nisi fieri etiam ab hypocritis possent, non superius diceret, cavete, ne Justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Quâ sententia præposita, ipsa tria exequitur Eleemosinam, Orationem, jejunium.* Neque vero, ut Doctor advertit, oves relinquere debent vestem suam, quia & lupi eam usurpant.

Sic ex Evangelio declaratis vestimentis fructus etiam ex Apostolo tradit: *fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas.* Ad Galat. 5. & primo ad Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit, agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt; non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit; omnia sperat, omnia sustinet.* Ecce quantis signis bona arbor, charitasque innotescit.

Hæc omnia, & horum quid libet, si à charitate est, fructus est; si aliquid, vel aliqua simulate fiant, vestimenta sunt. Omnia vero, aut pleraque, ac cohærenter, & constanter ab hypocrisi esse non possunt ob eas, quæ §. præc. datæ sunt, rationes: & idem Augustinus egregie declarat tract. 87. in Joan. ubi inter alia; *quis est longanimis in bono opere perseveranter manendo, nisi ferveat diligendo? quis ab eo continet unde turpatur nisi diligat, unde honestatur.* Quod & denuò paulo inferius rursùs magis explicabo.

Aristoteles eam veritatis probationem maximam habuit omnium cohærentiam, consequentiam, aptamque concordiam; quo probandi genere eminuit S. Thomas; plusque valet, quam multa syllogizatio. Est enim scientia, & sic etiam virtus consequentissima res; & contra Sophistæ & hypocritæ, valdè inconsequentes. Unde patet, quomodo eædem res vestimenta esse possint, & fructus, ut dicam rursùs.

Quorum sanè fructuum, & operationum charitatis, ac bonæ voluntatis per charitatem affectæ, motæque, cum alii interiores sint, de quibus 2a. 2æ. à quæst. 28. tractatur, ad præsens pertinere non possunt; nam cum nobis haud innotescant, ex eis arborem cognoscere non possumus. Exteriores ergo, de quibus à quæst. 31. tractatur, ad nos modo expectant, modo dicto.

Hinc consequenter ad doctrinam, regulamque suam Dominus facile deprehendit, scribas, & Pharisæos, haud bonas arbores esse, neque oves, & se sub ovina pelle valdè laterent. Quemadmodùm porrò ipsa sua regula, signoq; pro nobis usus est, nos quoque eo uti edocemur. Ecce ergo, quo pacto argumentatus sit Marc. 12. *& dicebat eis in doctrina sua: Cavete ab scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro, & in primis cathedris sedere in Synagoga, & primos discubitus in cœnis; qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis:* quæ ipsa prosecutus est Matth. 23. & Luc. 11. hæc scilicet non charitatis, quæ non inflatur, neque est ambitiosa, neque quærit, quæ sua sunt, fructus existunt, sed carnis, cupiditatis, malæque voluntatis non tam fructus sunt, quam opera. Quæ carnis opera, nequis excusaretur, manifesta dicit Apostolus ad Gal. 5. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.* At radix omnium, ut idem inquit Apostolus, est cupiditas, quæ cupiditas ex Augustino est mala illa voluntas, quæ arborem malam facit.

Jam cum tot, tantique sint fructus charitatis, & spiritus; tot item, ac tam manifesta opera carnis, ac malæ voluntatis, profectò si quemadmodùm rebus hisce humanis attendimus, attendere causa animarum vellemus, difficile non esset arbores bonas, malasque cognoscere, ac verissimè à Domino semel, & iterum dictum est *à fructibus eorum cognoscetis eos*, eo scilicet servato, quod antea jusserat; attendite.

Ex dictis, jam manifestissimæ nobis sunt insigniores quædam arbores bonæ, & malæ. Bonæ, famosæ, plenæque fructuum extitere in primis post Salvatorem, qui prius quidem cæpit facere, deindè docere, Sancti Apostoli, atque post Sancti Patres Ecclesiæ omnes: quorum proindè doctrina excipienda sit, sicut cavenda falsorum Prophetarum. Unde denuo ex hac regula Salvatoris superiores quæstiones comprobantur.

Sunt similiter manifestissimæ nobis malæ arbores famosiores hæresiarchæ, & hæretici, & schismatici, infidelesque omnes. In quam, malæ arbores omnes: non autem hi falsi Prophetæ, pro quibus attentione opus sit, cum in vestimentis ovium non veniant: quin nec hæretici omnes ovina pelle teguntur; nulla certè latebat vafer spurcus, insolens, ac furiis omnibus agitatus Lutherus: & nisi sæpè mecum cogitarem, quid est homo, mirarer sanè vehementer, ab eo homine tantam stragam inferri potuisse.

Hi, quos memoravi, omnes charitate, ac bona voluntate, caruerunt, qua arbores bonæ efficerentur. Cum porrò bona voluntas, & virtus per modum naturæ inclinet ad bonum, unde etiam prompte, & delectabiliter bona operemur; contra vero cupiditas, ac mala voluntas inclinet ad malum, ex quo bona non nisi difficulter, ac violente fiant, nullo artificio dissimulatione, & hypocrisi fieri potest, ut malarum harum arborum, sive fructus, sive opera sint ut in plurimum, & in omni omnino materia bona.

Quod juvat non nihil amplius explicare, ubi pro veritate Salvatoris declaranda laboramus, & sanè omni logica consequentior natura, totaque connexa, & nullam umquam suorum quasi antecedentium consequentiam negat. Propè sequitur naturam virtus; deficit tamen aliquando; quia non natura prorsùs est, sed ad eam propè accedit. Sic autem est & vitium ad malum. Sicut ergo naturam umquam deficere est impossibile, sic virtutem sæpè, frequenterque deficere, & fallere erit impossibile: & similiter est de vitio unoquoque quoad malum suum. Cum ergo charitas sit velut universalis quædam virtus, & natura movens ad bona omnia, virtutesque: atque eodem modo cupiditas, velut universale quoddam vitium sit, ac radix omnium malorum, fieri nequit,

ut altera, scilicet cupiditas ut in plurimum in hac, aut illa materia mala opera non ferat: altera vero, quippè charitas non modo plerumque bonos fructus non afferat, & cum nullo graviter malo opere cohæreat dum est, sed esse etiam, & fructum afferre difficulter desinit.

Hinc non solum, ut exponunt, & verè quidem multi, arbor bona, dum bona est, malos fructus afferre non potest, neque mala bonos, sed morali quadam impotentia, magnæ difficultatis absolutè etiam loquendo, non potest arbor bona malos fructus facere, neque mala bonos: quemadmodùm mater non potest non benè facere filiis, neque liberalis non donare: nam ipse etiam transitus à bona in malam arborem est difficilis. Primò enim, qui jam bona arbor est, difficulter in peccatum mortale cadit; deindè vero si cadat, cito resurgit ut in plurimum, & frequentius loquendo, & si mala arbor esse incipiat, non omnino efficitur: & sic etiam est de conversione malæ arboris in bonam. Illud namque signum, quod arbor bona, dum bona est, & in sensu formali, ut ajunt, non possit facere fructus malos, & e contra, nisi magis explicetur haud videtur appositum ad scopum, finemque Salvatoris; nam nobis non constat, quando unusquisque sit arbor bona, vel mala nisi à fructibus: qui si adesse, & abesse, mutarique facile, ac momentanee possint, regulam constantem non habebimus cavendi, vel sectandi Doctores, sed eosdem, cum bonos fructus videro, sequi debeo, & fugere, quando malos; cumque hypocritæ simulare ad tempus possint, & scribæ prolixas orationes orarent, sintque velut sophistæ quidam subtilissimi, nullibi tuto pedem figere licebit; sed jam cavere, jam vitare semel, & iterum eosdem debebimus. Cum ergo Augustinus quoque, & alii eo sensu loquuntur, intelligendi sunt, dum arbor bona, vel mala est, idest, cum in arbores omnino transeunt; ut Saul, Salomon, & alii ex bonis arboribus malæ factæ sunt: quod tempore magnaque mutatione opus habet.

§. V.

Ulterior rei expositio, & difficultatum §. 3. solutio.

EX his nunc ad objectiones, §. 3. propositas. Dicebatur, multas, vel aliquas bonas arbores, & charitatem habentes Doctores esse ineptos natura, studiove, qui falsa doceant. Sed negandum est hos tales esse, quos qui sequuntur, in foveam cadant: sed vel quæ ignorant, à scientioribus inquirent, aut quæ nesciunt, se nescire fatebuntur: vel tutissimis, & non suis, sed scripturæ, sanctorumque Doctrinis utentur. Etenim quemadmodum in judice, Medico, & aliis cernitur, grave peccatum esset ultra vires, sufficientiamque, ac scientiam audere in docendo: cum charitate porrò grave peccatum non cohæret, & charitas ipsa habita unumquemque dirigit, ut fusè tractabitur.

Deindè dicebatur, multorum Doctorum, quorum pessimi sunt fructus, esse interea bonam doctrinam; & si de Doctrina solum fidei fiat sermo, multi rectam fidem habent, & opera mala. Responderi solet, id non ita esse plerumque, sed raro, & in paucioribus. Cæterum non satis videtur responderi; cum Catholicorum veram, rectamque fidem habentium satis frequentia sint opera mala; quare si ex fructibus arbores arguendæ, probandæque sint, nullum signum nec probabile quidem superesse, videretur veram fidem quærenti, ut à fructibus nostram fidem tectam esse colligeret, & amplecteretur.

Respondendum est multipliciter. Primò regulam intelligendo de doctrina quasi propria bonarum, vel malarum arborum; fides autem Catholicorum peccatorum non eorum quasi propria est, sed accepta, & sic aliorum scilicet fides Apostolorum, Martyrum, & Sanctorum Patrum: quos bonas arbores extitisse, abunde ex fructibus constat. Secundò hinc respondetur, non quasi absolute solùm, sed etiam comparativè; neque singulos, sed omnes esse considerandos: hoc autem considerato, facile quivis agnoscet, Catholicam religionem tenentium & maximos fuisse, ac esse absolutè fructus; & comparativè cum nullis aliam quamcumque religionem secta ntibus esse comparationem. Tertio Respondetur, Prophetis quibusque malos suos fructus nihil obstare, quominus ipsorum doctrina admittatur, ubi constat, eos malos fructus, & opera non probari; quin improbari maximè, redarguique à sua doctrina: ut contingit in Doctoribus orthodoxis malorum operum. Etenim potius ex hoc doctrina recta esse probatur, quod & me a criminatoribus vindicat, ut dixi in prologo: & licet inter bonas arbores computari non merear, bonarum certè, & insignium arborum, fructus, doctrinamque refero. De aliis eorum doctrinis loquendo, vel illæ approbarent, & quoquomodo foverent fructus illos malos? & tunc cavendi erunt; vel non approbant, sed prætereunt, & tunc attendendum est, nec malis arboribus fidendum, ubi sua loquuntur: nam mala arbor malos fructus facit, & ut in plurimum malam quoque fert doctrinam, quæ non bonarum, sed malarum ipsarum arborum fructus fuerit.

Atque ex his demum constat, num sapiens possit esse malus? duplex scilicet est sapientia, altera donum, & hæc perit quocumque peccato mortali; altera virtus, & quasi scientiæ, ut est Theologia; & hæc non perit. At sensim etiam ista quoad partem saltem moralem diminuitur, hebescitque, ac obtenebratur continuatione peccatorum, ut multis autoritatibus, experientiaque constat: & si quis jam in malam omnino arborem abeat, attendendus est tum in doctrinis universalibus, tum magis in particularibus, rerumque agendarum consultationibus, quæ sunt applicationes scientiæ universales ad particulares actus, & personas: tunc enim maximè locum habent amor, & odium, assentatio, ambitio, turpe lucrum, quæ malarum arborum, mentem, ac judicium rationis valdè perturbant, uter ponitur L. Reth, & alias, & Apostolus docet; ac deindè, cum cupiditate moveantur, fallere etiam scienter, possunt, aut quæ nesciunt, in trepide pronunciare, constituereque. Unde regula absolutè sit malas omnes arbores attendendas esse.

Sed quæris utrum possibile demum non sit, quem malam arborem vel esse, vel reddi; & tamen sapientiam, scientiamque ipsam universalem diu conservare? Respondeo, rem esse in primis difficilem, & raro contingentem; absolutè tamen possibilem. Si scilicet is non suo, sed bonarum arborum intellectu intelligat, ac statuat, & nihil ferme de suo audeat: atque hoc firmum, constansque habeat, eos audire, ac sequi, quos constat plurimos fructus reddidisse, seque eorum

comparatione speculativè, & practicè vix non fungum ad res istas existimet. Et quidem ita de ipsa scientia universali; de particulari tamen applicatione ejus ad casus, & circunstantias, ac personas particulares majus adhuc est periculum, & prorsùs periclitantur, qui bonæ arbores non sunt radicati in charitate, aut qui paulo saltem ante aliquo lapsu, peccatoque arbores bonæ esse non desierunt, remanenique adhuc habitus boni acquisiti, & naturales: Quoniam vero rarum est, malas arbores comparare, conservarevè sapientiam etiam ipsam, & scientiam universalem; id circò universim malæ arbores omnes attendendæ sunt; & nisi modo dicto veritas aliundè constet minimè sectandæ.

Ex quibus omnibus habemus planè eosdem Doctores malas arbores esse in aliquibus audiendos; in aliis non audiendos, sed cavendos. Audiendi quidem sunt, ubi non sua, sed vel Dei, vel eorum dicunt, qui fructum extulere; Cavendi autem, ubi sua dicunt, vel eorum, quos fructum attulisse non constat. Utrumque sanè, habemus expressum in Evangelio de scribis, & Pharisæis malis planè arboribus; habemus enim *cavete:* & habemus etiam, *quæcumque dixerint facite, secundum autem opera eorum nolite facere.* Illud *cavete* erat de Doctrinis suis, vel à se inventis, vel per traditionem acceptis, à majoribus non quidem Prophetis, sed ab aliis, qui fructus bonos non tulerunt. At quæ dicunt, facite, fuit non propter doctrinas suas, sed Dei, & Prophetarum, ut plenius lib.2. exposuimus egregie Augustinus loco citato, de eo, qui mala arbor est, inquit: *qui si aliquando utilis sit, non hoc ipse facit, sed fit de illo quadam divina Providentia procurante, sicut de Pharisæis dicit: quæ dicunt, facite, &c. Hoc ipsum quod bona, dicebant, & ea, quæ dicebant, utiliter audiebantur, & fiebant, non erat ipsorum; Cathedram enim, inquit, Moysi sedent. Per divinam ergo Providentiam legem Dei prædicantes poterant esse audientibus utiles, & si ipsi sibi non essent, &c. Non ergo, qui eos audiebant, & faciebant, quæ ab eis dicebantur, de spinis legebant uvas, sed per spinas de vite legebant uvas, tamquam si manum aliquis per sepem mittat, aut certè de vite qua sepi fuerat involuta, uvam legat, non spinarum est fructus iste, sed vitis.* Hæc altissime Augustinus. Sim ego tribulus, vel spinæ: si doctrinas tradam Augustini, & Hieronymi, non tribuli, non spinarum fructus sunt, sed arborum optimarum, à quibus per spinas colliguntur. Quia tamen hoc, ut dixi, per rarum est, & quadam divina Providentia (idest, peculiari) opus est absolutè pro omnibus malis arboribus scriptum est, *attendite, cavete.*

Hic fortè quæras, utrum esse possint Doctores, quorum optimi sunt fructus; & tamen non tam bona, sed attendenda doctrina, quemadmodùm, ut diximus, sunt Doctores pravorum quidem fructuum, bonæ tamen doctrinæ, non utique ipsorum, sed bonarum aliarum arborum, sicut modo Augustinus exponebat.

Respondeo, attendendo ad doctrinam Evangelicam tam de arboribus, quam aliis esse profectò per difficile, ut bonarum, sanctarumque arborum non sint bonæ, sanæ, sanctæque Doctrinæ. At quoniam haud semel vestimenta ovium cum fructibus prorsùs confundimus, nec omnia, sed aliqua solùm consideramus, multorumque fructuum arbores existimare possumus, hos, aut illos dico, eos si fructum attulere non ex ea doctrina attulisse, quæ minus bona & discutienda attendendaque videretur, sed aliis potius doctrina ipsos usos esse, ut ex illa fructum illum afferrent; præstate autem operibus magis credere, quam verbis; atque jam ex eis doctrinam capere, ex qua vixerunt, non ex qua vivere noluerunt. Et certè patentissimum esse solet has alias doctrinas humanas bonarum alioqui arborum non esse fructus ipsarum, qua bonæ arbores sunt, & ex quibus ipsi vivunt, sed omnino alias, & materialiter, ut dicimus, non formaliter fructus bonarum arborum sunt. Quo in loco miratus sum sæpè virum gravem, qui quasi opinionum minus probabilium usus minus ipsi placeret, contestatus mihi fuit, semel tantum in vita sua usum esse opinione, quam minus probabilem, existimaret: & intereà viribus omnibus eum, usum promovet, tutissimumque docet.

At dicis, si hæc omnia consideranda sint, & circumspicienda, opus fore maxima diligentia. Respondebo actuosius §.7.& 8. nunc Respondeo. Dominum non hoc nobis denunciasse, *dormite, stupete; sed vigilate, attendite.*

§. VI.

Ex fructu etiam ipsarum doctrinarum, quam colligit, facile quisque dignoscit Prophetas.

IPsa etiam virtus, quam nobis Doctores doctrinis suis ingenerant, fructus eorum est juxta illud; *nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*, ac ex multis aliis. Unde Bernardus in præsenti quærit, qui sint fructus hi, de quibus est sermo. Respondeo, inquit cum Abulensi, & Jansenio, fructus esse tam opera, quam doctrinam: addo & doctrinæ effectus. Quod ex Lirinensi, Bernardoque comprobat, atque obvia sunt alia.

Doctores itaque illi qua Doctores bonæ sanè arbores sunt uno verbo, quando audientes, excipientesque doctrinas suas, bonæ ex eis arbores & ipsi fiunt. Atque hoc signo unicuique propria experientia notissimo facile Doctores ab ignorantibus etiam nihilque scientiam ipsam callentibus dignosci possunt.

Num autem unusquisque ex doctrina, quam audit, bona arbor fiat, vel fieret, nosci ex hoc potest ex fructibus, quos assignevimus, bonarum arborum, item è contrariis, quas malæ fuerunt. Hoc porrò illud idem argumentum est, quod orthodoxi omnes ex sanctitate Doctrinæ religionis nostræ adversus falsas omnes sectas prosequuntur.

De quibus rebus, ut dicam aliquid magis in specie; videre quis potest, an in angustam portam, arctamque viam, an in contrarium ducatur, & dirigatur, de hoc scilicet Domini sermo erat. Nam licet angusta porta, arctaque via cum veritate connexionem non habeant, cum stricta possit esse falsa, ut erant Circumcellionum, aliorumque stultitiæ; & sicut detrahere legi, ita etiam addere prohibiti sumus; at nulla laxa, & spatiosa est vera, cum vera angusta porta sit, & via arcta, ut Dominus docet, & intellexerunt omnes sancti Dei, & vel verbis, vel factis docuerunt, nec everti potest. Adeò autem hoc verum est, ut Matth.23. cum Dominus de ipsis falsis Doctoribus scribis, & Pharisæis ageret, deque oneribus gravibus, & importabilibus, quæ imponebant, ad hæc etiam extenderit regulam eam, *quæcumque* dixerint, vobis, *servate, & facite.*

Hinc erui etiam potest alia regula universalis probabilis, atque vere, ut in plurimum, quod series, ac via doctrinarum laxantium sit falsa: atque sic de facto laxarunt hæreses ferme omnes, & patet etiam in Prophetis falsis in lege, qui semper ad lætiora deflexerunt: & sic in doctrina morum contra hæresim contingere potest. Ratio autem sumitur ex 2. Ethicor. cap. ult. quia in natura corrupta sumus nimium, & cum extremo inclinati ad voluptatem, ad divitias, ad honores, ad potentiam, ad placendum, atque similia: plerumque autem inclinationem sequimur. Moralis Philosophica porrò est regula Aristotelis eo loco, *considerare*, inquit, *oportet ad quæ sumus propensiores, &c. atque nos ad contrarium oportet retrahere*, ut scilicet medium virtutum, & rectitudo inveniatur. *In universum autem subdit; cavendum est à voluptate, non enim incorrupte judicamus de ipsa, ut ergo Troianorum Senes erga Helenam se habuerunt (eam scilicet abjiciendam judicantes) sic & nos ad voluptatem ipsam esse affectos, in omnibusq; illorum dicere vocem oportet.* Altius vero Dominus hæc docuit, mundo, & carni contraria disserens, tradensque, ut Patres annotant, & exponi solet exemplo Medici. Unde regula probabilis, & verè Philosophica opiniones indulgentes voluptati suspectæ haberi possunt; atque sic etiam in ambitiona, in divitiis potentia, negligentia, seu non diligentia, ac sexcentis hujusmodi. Nam homines volunt prorsùs in his sibi indulgeri; appetimus autem maximè placere, & amari; & sæpè ex hoc etiam pendet honor, lucrum, & alia bona Prophetarum docentium.

At regula certa non est; nam bonæ arbores, ac benè radicatæ huic naturæ corruptæ maximæ inclinationi resistunt inclinatione contraria virtutis. Deindè alii vitio, utque incorrupti Doctores videantur, nimis in axtremum contrarium declinare possunt. & est etiam suum nimium, ut declarat eo libro Philosophus. Sed crede mihi, nolunt non amant, non quærunt, sed horrent homines, fugiuntque hos tristes nuncios. Scriptum deindè est beatum esse virum *qui timet Dominum, & in mandatis ejus volet nimis* omnia sibi correspondent: mandavit Deus mandata sua custodiri nimis; mandavit etiam veritatem suam nimis: & sic hi beati volunt etiam in mandatis nimis, sicus reliqui volunt minus. Omna sanè nimis, & nimium vitiosum est: at declinandum est ad id quod nimis videtur, ut justum ipsum rectè capiatur, quia naturæ vitio in contrarium propendemus; & justum ipsum valdè nimium videtur.

Videra ergo quisque potest, quo duceretur, si seriem aliquam doctrinarum sequeretur, quosque fructus collecturus esset, vel collegerit, an ad voluptatem magis, quam ad contrarium, an ad appetitum divitiarum, atque studium ducatur magis, & implicetur, quam retrahatur: & sic etiam circa honores, circa potentiam, &c. Nemo enim ita ineptus est, qui hos fructus non agnoscat. Domino ergo credat dicenti, *non potest bona arbor malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.*

Neque ad arborem bonam satis esset, si nullos etiam fructus malos redderet, sed necesse est, referat bonos. Quare non valeret, si diceretur, ex similibus doctrinis, eos malos fructus non colligi, sed aliunde. Nam hoc primo falsum est; quia eæ doctrinæ firmant appetitum, fortioremque etiam reddunt timorem peccati, & gehennæ tollendo, & quæ appetimus, bona esse concedendo, & indulgendo. Deindè vel tribuli, vel spinæ, vel steriles, ut summum arbores, ac minimè bonæ forent, quæ nullos bonos fructus referrent, & in ignem mitterentur.

Ex his ulterius videre etiam quisqua potest, eam viam doctrinarum, quam aliqui terunt, pure ferme negativam, quæ vix ullum virtutis ullius exercitium necessarium docet, nisi tempora urgentis tentationis, & ubi in assuetis jam ex hac voluntaria suppositione est id difficillimum, ac fortè atiam ex suppositiona impossibile *orare v. g. ut oportet*, videre, inquam, quisque potest, hanc viam non esse frugiferam: Legem autem Dei utrumque sanè complecti declinare scilicet a malo, & facere bonum, & utique bene. Videre ergo potest, se neque assa, neque incipere quidem esse bonam arborem. Credat ergo iterum Domino ibidem dicenti: *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Quo circa Hieronymus. *Tu quoque*, inquit, *si non vis damnari à Christo in judicio, arbor sterilis esse caveto.*

Sed dicis, eos, qui nunc justificantur, ac bonæ arbores nondum factæ sunt, sed incipiunt, fructus bonos non ferre juxta datam superius explicationem arborum, & fructuum; & tamen non excindentur, neque in ignem mittentur. Dicendum est hominem a puncto justificationis incipere esse arborem bonam: ideoque omnes justorum gradus distingui in incipientes, proficientes, & perfectos. Hoc autem interest, quod notat etiam Maldonatus in cap. 22. Matth. quod in arboribus non omne tempus sit fructuum; secus hominum: quare nullo tempore steriles esse debent, sed referta à principio fructus bonos saltem incipientium, quos qui non facit, sed sterilis est, in ignem utique mittetur; & hoc ipsum crimen est, esse scilicet sterilem. Præterquam quod part. 1. lib. 8. quæst. 2. ostensum fuit absque exercitio positivo virtutum, & sic absque bonis fructibus cito quem cadere in alia etiam mala manifesta, vel latentiora, & spiritualia.

Profecto non est, cur in his amplius immoremur; Christianis namque omnibus notissima sunt, nec ignorari prorsùs possunt, quædam universalissima vitæ verè Christianæ, salutisque principia; Deum diligendum super omnia; proximum item instar nostri: humilitate opus esse: superbosque quosque damnari: corda nostra vel in coelo præcipuè esse, vel in terra; ubi est Thesaurus noster, ibi esse, & cor; Deum & mundum conciliari non posse: Sectatores mundi, non esse sectatores Christi, & Crucis: atque hoc genus alia cuncta ferme vicissim connexa norunt omnes, neque prorsùs ignorant.

Respicere ergo, videreque possunt singuli, in quamnam partem his, aut illis doctrinis, ab his, illisque Prophetis ducantur, & ex fructibus arbores cognoscere possunt, & interrogare semetipsos, quem fructum habuistis? Vel antequam etiam errent, prævidere quem collecturi sunt hac, aut illa via doctrinarum, & an mundi, an Dei, aut Christi sectatores, Justitiæque ejus amatores redditi, vel reddendi sint? Atqua demum conferre possunt, quæ audiunt, cum sententiis Evangelicis, doctrinisque Salvatoris; cujus aliquam notiorem saltem partem nulli prorsùs in Ecclesia ignorant.

Prætermissis jam aliis Consilium erat hoc in loco depingendi hominem vel solum Christia-

num

num, vel etiam religiosum, & videndi, qualis ille futurus esset, si à juventute sua omnes prorsùs laxas opiniones sequeretur, quæ pro probabilibus habentur, quarum usum tantis viribus licitum esse quidam tuentur. Nihilominus visum deinde ēst abstinere. Poterit tamen quisque libros collectarum opinionum accipere, aut summam aliquam; atque eum sic à juventute sua vivenrem hominem conferre ne Evangelium dicam, saltem cum Philosophia motali Aristotelis; & videbit num saltem inveniat, eum continentem, eum liberalem, vel fortem, vel amicum, vel justum, vel quod omniom summam continet, eom virum probum, qualis in ea salem Philosophia traditur. At ut intremus io regnum cœlorum, abundare debet justitia nostra, non solùm plusquam Philosopho-rum, sed quam etiam scribarum, & Pharisæorum. De his viæ opinionum fructibus egi supra quæst. 4. §. 3. itaque si in Ecclesia in victum argumentum est, quod à sanctitate Doctrinæ, conficimus contra Judæos, avaros contra Mahometanos, Lutheranos, Calvinistas laxantes, & Carnales, tu, quæso, perpende, & ot Dominus jubet, attende, quis unquam Sanctus factus fit quibusdam libris, & quem ipse tu sanctitatis fructum collegeris. Si ergo ibi, & hic valet argumentum, & Magister noster, non nisi sanctissima tradit, integram de hoc quæstionem texere instituerem, sed res est me tacente sole clarior.

§. VII.

Præcipuè ad Prælatos, ad omnes tamen absolutè dictum est: attendite à falsis Prophetis.

Sancti Patres, quod sciam, nulli docuerunt, hoc ad Prælatos solùm Ecclesiarum dictum esse; aliqui tamen graves interpretes ad eos tenui istam restrinxisse videntur. Sed ne nimium in hac quæstione morer, dicam quam brevissimè potero. Et primo compertum est, Episcopos, quos speculatores positos esse constat, justos in primis, ac præcipuè esse attendere. Deindè vero censeo omnibus dictum esse, *attendite à falsis Prophetis.*

Quod primo absolutè, & ad hominem constat. Quia hoc loco sermo etiam est, ac præcipuè saltem est, ut nemo negat, de Doctrina fidei. At in hac omnes tenentur attendere, nec excusantur, sed peccant, ut lib. 1. latè est ostensum, si hæreticos audiant, & sequantur. Deindè quasi à priori & innegabiliter; quia fides & lex Christi non solùm ad Doctores, & quasi Præpositos, sed ad unumquemque de populo virum, vel fœminam; agricolam, Barbarum prædicari legitime, ac obligatorie potest; ac sic etiam prædicata fuit, & conversus mundus; dictumque est alibi consequenter, cur per appellationem ad suos Doctores, & quasi Præpositos nequeant excusari hæretici, & infideles: & ad Donatistas respondentes, Episcopos suos rationem de ipsis reddituros, Augustinus respondit *reddent planè malam de morte vestra*, ut lib. 2. visum est. At si non omnes tenerentur attendere, ac falsos Prophetas à veris discernere, nequivisset omnibus legitime, & obligatorie fides, lexque Christi prædicari, & proponi; & si solùm Doctores, & quasi Præpositi attendere tenerentur, reliqui essent excusati. Ergo omnes tenentur.

Dices, reliquos quidem teneri; Catholicos autem non teneri. Verum hoc falsum est; alioqui non peccavissent Catholici, qui hæreticis crediderunt: & nunc non peccabunt, si ab hæretico, qui in vestimentis ovium veniret, & ipsi nec attendunt, ac proindè neque discernunt, decipiantur. Tenentur ergo falsos agnoscere: ergo & veros: nam veri, & falsi est indivisum judicium, quæ falsum constat, nisi per verum. Deindè absurdum dictu videretur, ignorantiores, & ineptiores, ut sunt hæretici, & fideles discernere posse: nostros vero scientiores, magisque instructos non posse. Cum ergo illi & possint, & etiam debeant, à fortiori quoque nostri.

Dices iterum de Doctrina quidem fidei ita esse, reumque fore populum, si Parochus suus Calvinista, vel Arianus fiat, atque eum deindè seducat: at in doctrina morum non ita esse. Si vero causam requiramus, nullam unquam, ut sæpè noto, proferent, quæ in ipsis Catholicis ignorantibus quoad fidem, vel in aliis magis ignorantibus hæreticis manifestissima instantia non prorsùs atteratur. Deindè hæc via, quod etiam sæpè observo, nimium fidei, & minus justo rectis, bonisque operibus, atque necessitati sanæ eorum doctrinæ defendo deflectere nimium videtur ad sectarios. Etenim Dominus sicut jussit, non suam existimatam, sed suam reipsa suam fidem quæri, & credi; ita jussit, non suam existimatam, sed suam reipsa suam legem sciri, & servari; quod frequentissime imperavit. Si ergo Catholici multo facilius, ut hac ipsa quæstione, & in præcedentibus est ostensum, cognoscere veros, & falsos Doctores morum possunt, quam reliqui Prædicatores fidei, nihil unde excusentur, superest.

Secundò probatur ostensivè ex Prophetis, & ex Evangelio. Etenim Prophetæ primum, ac deindè Dominus, maxime doctrinas morum: certè eas etiam insecuti sunt, ac pacem falsam, morumque inde natam corruptionem. At cum ista adversus ipsos potius Doctores, Sacerdotesque dicerent; non ipsis, sed reliquo magis populo de ipsis, & contra ipsos dicebant; neque scribis, sed reliquis Dominus dicebat *Cavete à scribis*; nec Pharisæis, sed cæteris magis dicebat, *cavete à fermento Pharisæorum*, idest à fermento doctrinæ, quod absque longiore textuum allegatione videtur sanè conspicuum, nec à quoquam negandum arbitramur: quod si quis tamen hæsitaverit, Isaiam, Ezechielem, Jeremiam adeat, quos inveniet populum ipsum edocentes de suis falsis Prophetis, Magistrisque. Potuit ergo populus ille, ac etiam debuit attendere, dignoscereque suos falsos morum Magistros. Ergo & Populus noster, nisi placeat, aut barbariorem, minusque intelligentem; aut minus Deo, legique ejus obstrictum populum Christianum comminisci, eosque, qui sub ombra, ac nube vixerunt existimare capaciores.

Postremo, ut alia prætermittam, in ea etiam via, quæ falsarum omnium opinionum probabilium patrocinium suscipit, idem ostenditur; nam ea nondum, quod sciam, ausa est dicere, probabilitatem existimatam esse regulam conscientiæ; quod si id aliquo dia fateatur, omittere to *probabile*, & dicere rotunde possunt, unicuique omnem suam opinionem, & existimationem esse regulam; nam nulli aliquid opinanti non existimatur, & habetur sua opinio vel certa, vel probabilis; existimatur enim, & videtur vera. ut sæpè demonstratum est.

Jam ergo Doctor morum levis, vel etiam gravis-

gravis tradat in aliquo doctrinam, non gravi, sed levissimo fundamento fultam, vel etiam positivè improbabilem, vel temerariam, vel erroneam: & quandoquidem simplices attendere neque possunt, neque debent ut ajunt, sequantur eam doctrinam, vel similes etiam multas. Quærimus modo, num hi simplices non peccent? Et quæ ipsorum alia Theologia est, an etiam rectè operentur? num contra peccent, nec rectè operentur? Si hoc dicant: ergo attendere tenebantur; nam tenentur non peccare; Quod si non peccant, sed rectè operantur; radant ergo tò *probabile* ex libris suis, fateanturque palam, licere vivere ex opinione, etiam reipsa non probabili, sed improbabili, vel temeraria, vel erronea, & unicuique opinionem quamlibet suam, & existimationem esse rectam vitæ, motumque regulam.

Nullum itaque aut Patrem Ecclesiæ, aut interpretem scripturæ gravem dabunt, credo, qui eam Domini regulam, *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*, ita exposuerit, ut dixerit, solùm cadere ducentem; non autem ductum: cadit ergo, & peccat ducens, ac etiam ductus. At omnes tenentur non cadere, & non peccare. Ergo omnes tenentur attendere, à quibus ducantur. Quinimo Dominus, ubi hanc regulam contulit, de moribus, deque eorum doctrina disserebat, ut eo loco patet.

Placuit in horum confirmationem ex gravissimo Patre Julio Mercoro eum textum autoris operis imperfecti planè illustrem subjicere, ut integris judicibus pateat, qualiter autoritates interpretentur, inquit ergo: *Si vestimentum empturus unum giras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; an non oportet, populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincere veritas Christi venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere, plusquam vestimentum.*

Sed o nos miseros! nam Respondet Recentior tò *oportet*, non præceptum significare, sed Consilium, ut Luc. 13. *Sed dies sunt, in quibus oportet operari*, quo facto deleri possit, vel converti saltem ad doctrinam non de simpliciter, ac benè esse, sed de melius esse, & solius Consilii tota quanta primum Philosophia moralis Philosophi, quæ conferta est ea voce: magna item pars juris Canonici; & de Concilio erit etiam Episcopum esse irreprehensibilem, & unius uxoris virum, quia Paulus dixit, oportet. Idem deindè erit de voce *debet* quæ etiam aliquando Consilium significat. Hoc ergo non videtur interpretari, & sensum capere volentis, sed arripientis ansam ad effugiendum vel detorquendum. Ex substracta scilicet materia sensus liquet, & tamquam rem absurdam Autor, ut sæpè etiam verus ipse Chrysostomus, insequitur, quod homines non tantum faciant prohabenda etiam gratis doctrina vera Christi, quam pro habendo, comparandoque pecunia bono vestimento: quod arguit pluris fieri vestimentum, quam salutem, veritatemque Christi; quod grave crimen est.

Addit idem interpres nescio quæ de ignorantia invincibili. Sed sunt abs re, licet ab ipso sæpè commisceantur. Nam non de ignorantiis invincibilibus disputant Autores Catholici, qui probè sciunt, eas excusare à peccato. Non ergo Jansenistarum causam, erroremque confundat; atque ignorantias distinguat.

Deindè dicit, paritatem non conducere ad intentum. Sed hoc est autoritatem negare; nam Autoris illius est paritas. Quid ergo nos moratur? Eccur vero, mi homo, paritas non est ad rem? Ut ad rem esset, inquit, ponendum est ita probabile esse emptori, quod vestimentum sit optimum, & infimo pretio offeratur, ut oppositum sit paulo *probabilius*.

Sed commonere hunc Recentiorem vellem sui prologi; haud enim hoc videtur sincere, ac veritatis amore causam agentis: nam ubi, vel quando sententia contraria contra minus probabile tò *paulo* adjunxit? Ergo si esset, non paulo, sed longe probabilius oppositum, paritas esset ad rem. Ergo si viginti Autores dicant, aliquid esse peccatum, & unus, vel duo negent, non licebit hoc minus probabile; quia non paulo, sed multo probabilius est oppositum.

Quoniam vero non solùm Autor operis imperfecti, sed verus etiam Chrysostomus, ut diximus, atque sæpè etiam videmus, aliique Sancti his paritatibus passim quasi à minori ad majus, & à fortiori argumenta conficiunt, ostendendum amplius est qualibus velut nugis autoritates evertant.

Inducamus ergo denuò emptorem illum vestimenti girantem negotiatores. Dicit itaque vel venditor ipse, vel dicar unus alius, vel duo vestimentum esse optimum, & infimo pretio: viginti alii pares ad sunt, & ajunt, esse pessimum, ac pretium excessivum. An non abeat? sed præsto fit venditor alius, cujus vestimentum optimum esse, nec prior quidem venditor, suique illi unus, vel duo diffiteantur; nam hic est casus, cum partis rutoris bonitatem negat nemo. An non primi vestimentum relinquet. imò vero vel viginti illi, vel solùm decem addant, prius illud vestimentum non solùm pravum esse, sed præterea etiam veneno infectum; negent vero decem alii pares: num hic est casus. Num non horreat, fugiat que inde emptor. Ecce autem tuos utrimque viros graves affirmantes, & negantes; & hoc, opinor, & nihil aliud significat tuum probabile. Ergo vel anima nihili fit, nihilique ducitur peccare; vel magis operaturus quisque horrebit, ac fugiet probabilitates tuas.

Sed quæris, nos oblitos reflexarum, ex quibus certitudo etiam non peccati comparatur. Admirabil s planè est vis ista reflexarum. Verum age subveniamus etiam emptori nostro his reflexis, reflexoque syllogismo. Sille, in quis, emptor: quidquid viri graves approbant, tuto, prudenterque exequeris: sed ecce unus vel duo viri graves approbant vestimentum, & emptionem, ajunt fore commodissimam; quin decem prætereà contestantur, nullum esse venenum. An non vides nihil his movendum emptorem, quin risurum tuum syllogismum, & contra duos repositurum mox viginti, & contra decem negantes venenum decem alios pares affirmantes, quis, quæso te, filiorum hominum hujusque sæculi his se rebus exponit, aut non stultus haberetur, quantiscumque sese reflexis syllogismis contegere, protegereque velit.

Hæc satis de his. Nunc ad scopum hujus §. patet ex autoritate, populum posse dignoscere, discernereque inter Doctores, qui sincere tradunt, vel corrumpunt veritatem Christi: frustra alioqui, aut præcipitaretur, aut consuleretur circuire Doctores. Quod si possunt, utique etiam tenentur in re tanta, & quasi summa rerum. Ne igitur,

tur, ajebit Chryſoſtomus quæſt.6. §.3. multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas inquiramus. Quomodo non abſurdum *propter pecunias alius non credere, ſed ipſas numerare, & ſupputare: pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter?* &c. *Ideo obſecro, & oro omnes vos, ut relinquatis, quid nam huic, vel illi videatur.* Poſſunt ergo, ac debent, quod de veſtimento, & de pecunia efficiont, non ſimpliciter credere, ſed numerare, & ſupputare, quantum quiſque valeat.

§. VIII.

Ejuſdem Chryſoſtomi graviſſima diſſertatio pro facultate, & obligatione omnium ad veritatem.

IN ſedit altiſſime, ut ſæpè doleo, & quodam modo etiam in naturam verſa eſt ea perſuaſio ex opinionibus horum, aut illorum vivendi, & oſcitandi, atque dormiendi, & aliqui nihil quærunt, ſed ipſi ſibi ducti, & ductores ſunt; alii quoslibet quærunt, & fieri poſſe non putant, ducentem unà, & ductum in foveam cadere, nihilque minus exiſtimant, quam ſe obligatos eſſe ad attendendū. In quod planè tantum malum, cum nos haud pares exiſtimamus, omni exceptione majores, venerandos, audiendos, ſin minus timendos diſputatores producere conſultum eſt; ut quidam horum, & illorum tranſcriptis opinionibus & libros, & conſultationes implent, vitio dandum haud erit, ſi nos tantos Patres prolixius etiam tranſcribamus.

Itaque Chryſoſt. hom.26. in Epiſt. ad Romanos ſic diſſerit, & quid quid hac parte 2. dictum eſt exhaurit. *Circumſpectis itaque ſingulis, quæ ad nos pertinent videamus, ne cuiquam vel modicam mali anſam præbeamus. Stadium quippè præſens hæc vita eſt, & in numeros oculos, quos circumquaq; dirigamus, habere oportet, neque putandum, ad Apologiam ſufficere ignorantiam: erit enim, erit, inquam, quando & ignorantia pœnas dabimus; quando ſcilicet & ipſa ignorantia veniam non habebit.*

Nam & Judæi ignorarunt, quorum ignorantia veniam non meretur: & Græci ignorarunt, ſed excuſationem non habent. Quod ſi ea ignoraveris, quæ ſciri non poſſunt, præter culpam erit; ſi vero, quæ ſciri, & poſſibilia ſunt, & facilia, extremas pœnas merito dabis. Niſi enim (ecce probat facilitatem) vehementer pigri, negligentesq́ fuerimus ſed quæcumque ad nos pertinent, ſimul attulerimus, & in his, quæ ignoramus, manum porriget Deus: id quod & Philippenſibus ſcribit Paulus: & ſi quid aliter, inquit, ſentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Si vero nihil eorum quæ noſtra ſunt poteſtatis, expedire voluerimus, neque illius potiemur auxilio. Idem & Judæis uſu venit, &c. Sed Cornelius non ita. Atque ideo, quoniam diligenter, quidquid poterat, faciebat, quod reliquum adhuc de erat, adjecit Deus.

Nunc ad excuſationes, voceſque nobis adverſantium. *Ne dicas itaque, ſubdit, quomodo hunc, vel illum ſimplicem, & bonum contempſit Deus eo quod Græcus ſit? Nam primum quidem quis ſimplex ſit, ab hominibus cognoſci nequit, ſed ab eo ſolo, qui ſingula corda formavit. Deindè & hoc dici poteſt, quod plerumque, qui talis videtur, veritatis nullam habeat, vel curam, vel diligentiam.*

Sed dicis, & quomodo poterit, cum ſit homo vehementer ſimplex, & Idiota? Simplicem itaque hunc, & idiotam in rebus terrenis mihi conſideres ac dicas videasq́, quam multam illic oſtendat diligentiam; quam ſi & ſpiritualibus impendere voluiſſet, contemptus utique non fuiſſet. Sole quippè clariora ſunt, quæ veritatis ſunt, & ubicumque quis intenderit facile ſuam ipſius ſalutem apprehendet, ſiquidem advertere voluerit, illamque non velut obiter quærendam putaverit. An in Palæſtina occluſa ſunt ſalutis negotia? An in modico orbis angulo? Non audiſti Prophetam dicentem, quoniam omnesq́ cognoſcent me a parvo uſque ad magnum? Non vides, rem ipſam loqui. Quomodo ergo veniam habebunt iſti, &c.

Et iſta, inquies, (non confingo Chryſoſtomus eſt, & ſi confingere nihil plus poſſem) *ab eo exigis, qui agrum incolit, & a barbaro? Non ſolùm ab agricola, & a barbaro, ſed & ſi quis barbaris iſtis, qui nunc ſunt, barbarior fuerit. Quanam ratione, dic, quæſo, in rebus ſecularibus, qui talis eſt, & contradicere novit injuria affectus, & reſiſtere violentiam paſſus, omniaque facere, ac moliri, ut neque calumniam aliquando ferat eum in rebus ſpiritualibus eadem prudentia non utatur,* &c.

Nihil itaque eſt, quod dicis, nihil eſt inquam, ſed ſolius negligentiæ, ſocordiæq́, culpa perit. Nam quos ſimpliciores, agreſtioréſque putas, An qui temporibus Abrahæ, an qui nunc vivunt? Manifeſtum, quod qui temporibus Abrahæ vixerunt. Quando verò facilius fuit veram invenire pietatem, an nunc, an Abrahæ temporibus? Manifeſtum quod nunc. Nam nunc quidem & Dei nomen invocatum eſt, &c. Tunc vero rudes erant plerique, & peccatum regnabat. Ad hæc nec lex erat, quæ inſtrueret, &c. Verùm tamen admirabilis hic, & generoſus vir, licet tot eſſent impedimenta, nihilominus & Deum cognovit, & virtutem exercuit, aliosq́, multos in eundem zelum induxit, &c. Verùm quod ſuum erat ad hanc rem contulit, contulit & Deus, quod & reliquum, & ſui muneris erat, &c. Deindè inducit eodem modo Melchiſedech. & poſt alia concludit. *Quid igitur ad Græcum inquis, dicam? hæc ipſa ſcilicet.* & quid de ſimpliciſſimo Catholico, inquis, dicam. *Hæc ipſa ſcilicet, & plus.*

Chryſoſtomus ſanè ſolutionem aliam, vel interpretationem non habet, niſi non placet Chryſoſtomus, ſed forſitam habeas Ambroſios, Auguſtinos, aut ſimiles alios adverſantes negligentiæ omnium, ignorantiæque ſimplicium Patronos? nullos inveniemus. Patet autem de Græco in ſpecie tamquam in re difficiliori objectiones proponi; diſcurſum porrò, & probationes, argumentaque de omnibus eſſe, deque pietate univerſa, & a fortiori evincere de Catholicis. Quoniam vero quaſi conterrere nos voluerunt dicentes cogi nos ad eremum abire, ſi ex ſola veritate vivendum ſit, e re erit ſi ex eodem hic Chryſoſtomo huno quoque prætextum, calumniamque, qua a veritate arceri homines poſſunt, repellamus.

§. IX.

Repellit hic idem Chryſoſtomus obtendentes, his admiſſis ad eremos fore eundum.

SÆpè itaque, ut dixi, quoniam part.1. minos, & æque probabilium adverſus legem uſum licere negavimus, atque unam veritatem legi re ipſa, quæ ſuprema regula eſt, conformem regulam ſecundariam adæquatam conſtituimus aggreſſi nos ſunt, dicentes, terrenteſque, jam hoc facto non niſi eremos ſupereſſe, in quibus homines rectè vivere poſſint.

Occurri, qua potui diligentia populari oppoſitioni, produxiq; exſtatibus omnibus Eccleſiæ omnibus viros egregios, ſanctos etiam canonizatos, qui non eremos ſed urbes ampliſſimas, Regum etiam aulas incoluerint, quin Reges quoque extiterunt: qui certe nec alij quidem minoris etiam notæ ſectatores virtutis ea regula haud vivunt ſane, ut inventa una opinione minus probabili

dicente, rem aliquam non esse peccatum mortale; alia probabiliori affirmante esse; aut duabus æqualibus, negante altera, & altera affirmante, esse peccatum mortale res eas exequantur, quæ ab æquali vel probabiliori opinione affirmantur esse peccata mortalia. Vivere ergo homines & in Urbibus, & in aulis possunt, & in omni statu possunt sine usu minus, & æque probabilium, nec ad eremos amandantur. Præterea vero hi ipsi sic legem Dei veritatemque nosse studuerunt, ac student; sicut alij cumulare divitias; & siquidem quæcunque ad ipsos pertinebant, & quod suum erat, ad hanc rem contulerunt, contulit & Deus reliquum, & in his, quo ignorabant, manum porrexit, ut statuebat nunc Chrysostomus, nec non alii lib. 3.

Hæc ergo & alia respondere solent, qua veritatem, hoc est legem ipsam ab accusatione tuear. Sed vere scriptum est, nihil sub sole novum, hoc namque ipsum ante mille ducentos annos objiciebat sibi Chrysostomus in eo ipso, quem dedimus, loco, & discursu.

Dicebat itaque. *Quid igitur ad Græcum, inquis dicam? Hæc ipsa scilicet*, quod pigritia demum sua, atque negligentia ignorat veritatem. *Vide autem, subdit, ne solum dicas, ad Græcum sedet quomodo ipsum emendes: quando vitam tuam exquirent, scandalum ab illa patiunt, hic cura, quid dicas, &c. Quando de Regno Dei philosophantem te viderit, & tamen interim præsentia admirantem &c. Si quando te pecuniarum jacturam formidare viderit, qui cælos expectas, proque unico obolo impendio gaudere, ac rursus modis argenti gratia, quasi venalem exponere animam &c. ista quippe sunt, ista sunt, unde Græci scandalizantur. &c.*

Hoc igitur corrige; alioqui dicet tibi rursus Græcus, unde discam, quod possibilia præceperit Deus? Nam ecce tu cum ex ipsis Progenitoribus Christianis, atque in bona ista religione enutritus sis, nihil tamen. quod huc pertineat, facit. Quid dices? omnino respondebis: ostendam tibi alios, qui faciant, nimirum Monachos eremum incolentes.

Non erubesces, quod cum Christianum te fatearis, ad alios mittas, ut quæ Christianorum sint, designasse te, ac demonstrare non valeas, ille siquidem confestim dicet. Quam ergo mihi necessitatem facis eundi ad montes, solitudinesque persequendi. si enim possibile non est huic incumbere Philosophiæ eum, qui in mediis versatur Urbibus, magna utique fuerit vestræ conversationis deprehensio, siquidem relictis urbibus ad solitudines currendum &c. sed ostende mihi hominem, qui & uxorem habens, & pueros simul ac domum philosophetur. Quid igitur ad ista dicemus? An non necessario decidemus, & confundemur Neque enim Christus ita præcepit. Sed quomodo? Luceat Lux vestra, inquit coram hominibus non coram montibus neque coram solitudine, aut recessibus accisi.

Atque hæc dicens, non illis detraho, qui montes occupant, sed habitatores Urbium deploro, eo quod ex illis Virtutem exegerint. Hortor itaque, ut Philosophiam ex montibus ad urbes reducamus, ut civitates sint vere civitates.

Certe Chrysostomus ipse urbem incoluit amplissimam, in qua tamen non mundo, non potentiæ cessit, sed obstitit, philosophiamque illam, quam solum in montibus coli posse, sectatores mundi arbitrantur, severissime retinuit: at semel ac iterum (hoc enim præmium veritatis esse solet) in exilium agitur, atque in exilio tandem occubuit Lux maxima orientis: neque lites de fide, sed de moribus erant, nec tantus vir, qua placeret Eudoxiæ Augustæ opinionem aliquam probabilem excogitare scivit. O ingenium infæcundum plane, ac sterile! Ergo ex Chrysostomo Philosophia alia ea veritatis cura de qua §. Super. Disserebar, & quam in solis montibus servari posse dicunt, ad urbes, sed omnes, nec ad Monachos duntaxat pertinet, sed ad omnes pertinet utique Evangelium.

Ubi certe canere popularem objectionem debent, qua ferme eadem, vel prorsus ipsa utuntur. Athei & prophanopolitici, ut apud Thomam Campanellam libro de Atheismo triumphato videri potest; ajunt enim, & oblatrant, legem Christi esse idealem ad instar idearum Platonis & phantasticam, quam homines servare nequeant. Hoc verbis aliis idem multi hæretici olim dixerunt, dicuntque modo Lutherani, Calvinistæ Jansenistæque, legem quippe Christi impossibilem esse.

Nemini unquam sui vere compoti in mentem venit, eam esse facilem secundum carnem, & sanguinem, & mundum: norunt omnes, & sicut solem esse in cœlo, supponunt, esse hoc sensu difficillimam, & quæ viribus naturæ, & humanis servari nequeat, sed opus sit, ut is juvet, qui jussit. Unde ergo possibilis, inde etiam facilis redditur, scilicet a gratia Dei, maxime vero a charitate, ut satis hac quæstione etiam constitit, & plenius part. 1. lib. 9.2. Explicatum fuit, nec ullis unquam sanctorum plenius gratia, virtutibus, & præmiis facilitatem exposuit, aut hæreticis, aut Atheis dixit, legem Christi, quam adversus carnem, & sanguinem, & mundum esse evidenter constat, de se facilem, suavemque esse.

Quare miramur & mirabimur, nequid plus dicamus, quod illud Evangelii, *jugum meum suave est &c.* toties in eo sensu recantent, ut teneant, legem Christi expositis, vel ablatis obligationibus esse suavem, & sic licere usum omnium probabilium, & sic habitari urbes, posse, sin minus currendum ad montes, solitudinesque. Eam ergo legem Christi ad urbes pertinere putant, quæ de se, & à suavitate rerum ipsarum præceptarum suavis sit, At ista Christi non est; & hoc supponunt Recentiores etiam Theologi omnes tract. de fide ubi ex ejus summa, notoriaque omnibus difficultate, & ex propagatione ejus per mundum absque potentia, & armis, inferunt omnes eam divina utique virtute propagatam fuisse. Quid ergo res tritas veras, notissimasque nos memorare cogunt?

QUÆSTIO X.

Utrum altera nota Veritatis sit conformitas, doctrinæ ad existimationem, & fidem, quam Christiani habemus de futuro judicio?

ECce notam aliam, ex qua ignorantissimi quique cognoscant facile doctrinatum, quibus vivunt, & viæ qua incedunt, veritatem, vel falsitatem; quam notam, signumque hoc discursu complectar, & explicabo. Nisi doctrinæ, ex quibus tenemur vivere, strictæ, severæ, maximæque diligentiæ, esse deberent, existimandum non esset, neque credendum, judicium istud futurum tam strictum & timendum. At Christiani omnes recte utique existimamus & timemus, judicium istud futurum strictissimum, ac valde timendum. Ego doctrinæ, ex quibus tenemur vivere strictæ, severæ, maximæque diligentiæ esse debent: Unde unusquisque agnoscet,

§. I. Nisi

num quibus debet, an aliis utatur, & vivat, atque ad multa oculi aperiuntur.

§. I.

Nisi doctrinæ, ex quibus tenemur vivere, strictæ &c. esse deberent, existimandum non esset, neque credendum, Dei judicium futurum tam strictum, & timendum.

HOc, nisi totus stupeo, est apertissimum. Neque enim Dominus de rebus aliquibus nos discutiet, judicabitque, ad quas scire nec potuimus, nec debuimus, scitas volet; aut requiret eas, quas etiam scitas, notasque exequi non poteramus; sed omnino eas ipsas, ac nullas alias scitas, factasque, vel omissas volet, quas scire, facere, vel omittere tenebamur, neque amplius quidpiam requiret. Ea ergo ipsa doctrina; doctrinæque lege, ac legia doctrina discutiet nos, & judicabit, ex qua doctrina, doctrinæque lege, ac legia doctrina vivere debolmus. Ergo nisi doctrinæ, ex quibus tenemur vivere, strictæ, severæ, maximæque diligentiæ esse deberent, existimandum non esset, neque credendum Dei judicium futurum tam strictum, atque metuendum. Quare dormire videmur, & somniare, dum hinc judicium strictissimum futurum existimamus, & dicimus; inde vero non nisi ad laxam quandam doctrinam, negligentemque viam nos obligatos esse, & ad nihil præterea, aut corde credimus, aut ore saltem jactamus.

Expono. Mensura futuri judicii est prorsus pax, adæquata, ac proportionata arithmeticè mensuræ obligationis nostræ sciendi, agendi, & vitandi, neque excedit quidquam, aut exceditur, & evidentissimum est nos nihil prorsus quærendos, nisi de debita vel subgravi, vel levi, vel etiam de consilio ad quantitatem gloriæ mensurandam. Ergo nisi mensura obligationis sciendi, agendi, vitandique in vita esset stricta, & magna, neque mensura judicii stricta foret, aut magna.

Qui judicat nos, inquit, non nos sumus, sed Dominus, ut Paulus advertit; qui est infinite sapiens: quapropter plurima in vita nostra inveniet, quæ nos prorsus ignoravimus; ex quo proinde metuendum maxime sit ejus judicium. Atque exemplo rem, exponis: porrigitur hæc ipsa, quam nunc prosequor, quæstio examinanda, judicandaque d. Augustino: plurima sane advertet, invenietque, quæ nosse ego non potueram multo porro plura Deus, & quo major est sapientia, eo plures deprehendi possunt defectus. Cum ergo Deus sua nos, non nostra sapientia judicaturus sit, inveniet plurima, quæ notare nos, & advertere non potuimus; atque ex hoc judicium ejus evadit formidandum. Nos itaque, inquis, vivemus, vivereque possumus sapientia, scientiaque non Dei, sed nostra; judicium vero fiet sapientia scientiaque non nostra, sed Dei. Ex quo respondes valde quin infinite disparem esse doctrinam, & scientiam, qua vivere tenemur, & qua judicandi sumus.

Sed quæ absre, & vana sunt. Sciunt scilicet omnes judicium Dei, tres quasi partes complexurum, aliam, qua juxta mensuram, vel arithmeticam, vel geometricam meritorum, & gratiæ taxaturus sit gloriam; & de hac non est sermo; aliam, qua de culpis solum venialibus causam aget: atque de hac etiam, quam non tantopere formidamus, non præcipue disputamus, & si par sit quoad institutum præsens ratio; tertia demum illa est, quam metuimus, ex qua salus, vel mors pendet, momentum quippe illud, à quo æternitas; atque instituti maxime nostri est. Quoad hanc porro, ac pariter quoad causam venialium, & Purgatorii, Deus quidem judicabit, & sua, non nostra sapientia, ac scientia judicabit, sed prorsus scientiæ nostræ, quam successive habuimus, vel habere debuimus, commensurata, neque excedente, neque excessa: judicium enim, non de judicio ipso erit, sed de vita nostra; neque de ista quæret, quid in ea Deus ipse agere, vel scire potuisset, sed quid nos, neque Jota unum addet, aut apicem: est enim judicium hoc de peccatis, quæ esse non possunt sine cognitione non Dei, sed nostra: quæ inquam sine cognitione nostra esse non possunt, peccata quidem scienter admissa sine cognitione in actu; ignorantiæ vero, sine cognitione in debito, ut libro 1. dictum est. Unde excessus ille sapientiæ Dei collatus ad scientiam nostram, quam in vita successive, & quoties peccavimus, vel habuimus, vel habet saltem, & potuimus, & debuimus, est quasi non est ad eam quasi partem judicii, & momenti à quo æternitas Unde non est ad rem exemplum indoctum de quæstione ista examinanda à D. Augustino, vel Dei; in qua nimirum deficere ego citra culpam possum; & sic citra cognitionem nec in actu, nec in debito.

Maneat ergo fixum: si ego in vita benignissime solum vivere teneor, & laxiorea, benignioresque sequi doctrinas, benignissime etiam me Dominus judicabit; nam me exiget solum ad regulam operandi non suam, sed meam; atque per conformitatem vitæ meæ ad illam judicabit; ac regula mea coalescebat serie quadam doctrinarum laxiorum, & benignissimarum, & quibus salvari plurimi queant, & quas servare etiam in urbibus, ut quæstion. proxim. dicebatur, & facile possint, & sit jugum suave. De hoc ergo solum jugo me quæret, meque discutiet, judicabitque benignissime, hoc est non quæret an ardua quædam sectatus sim, aut sanctorum more vixerim, aut severam valde disciplinam retinuerim, sed solum, num eas opiniones impleverim, quæ in summis sunt, & probabiles habentur. Unde non libro suo, & suæ legis, sed ex his aliis me judicare oportebit, cum mensura regulaque recti judicii sit ipsa mensura & regula rectæ vitæ.

Deus itaque in judicio non faciet de non peccatis peccata, nec vertet non scita inscita, aut impossibilia in possibilia, aut novam aliquam, legem tunc feret aut tyrannicum hoc genus aliquid exercebit. Pure ergo & solum ad eas nos doctrinas exiget, ex quibus vivere debuimus. Ergo si hæ strictæ esse non deberent, existimandum non esset, neque credendum, Dei judicium futurum strictum, ac valde metuendum.

§. II.

At Christiani omnes, & recte utique existimant, & credunt, Dei judicium futurum strictissimum, ac esse valde timendum.

HOc probandum non est, sed ex communi omnium, publicaque conceptione constat, & nemo Christianorum de hoc quæsitus aut ignorat, aut negat, aut dubitat; sed incunctanter affirmat. Est enim res de fide notoria, & publica vel ex iis solum, quæ in officiis defunctorum passim memorantur, & inculcantur.

Præterea hymnum, *Dies illa*, &c. Ubi illa, quid

sum miser tunc dicturus; Quem Patronum rogaturus, cum vix justus sit securus: quod ex 1. Petri cap. 4. sumptum est *si Justus vix salvabitur*: item ex psalm. 142 illa ingeruntur: *non intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; quod rei maximam difficultatem, arduitatemque significat: atque sunt alia.

Illud item Jobi. 9. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille*. Item illud psal. *delicta quis intelligit*, &c. Apostolus 1. ad Corinth. 4. perspicuè testatus est: *nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat, Dominus est*. Tanta ergo etiam illa sapientia sanctitasque Pauli habebat adhuc unde timeret. Ubi illud argumentum confici potest: Paulus strictissime satè sese discutiebat, atque severam valde, sanctissimamque vitæ regulam sectabatur, ut patet exactis Apostolor. atque ex ipsius Epistolis non utique se judicabat; nam judicare est damnare, vel absolvere potentis; discutiebat tamen: non ergo laxius, amplioris que scientiæ judicium putabat esse judicium Dei; alioqui cum nihil sibi conscius esset quasi a fortiori se judicare, absolver que. seu justificare potuisset: quicumque enim in strictiori discussione, & quasi examine probatur, haud dubie probatur in laxiori, ac benigniori. At Paulus non se audet judicare, & justificare. Supponit ergo, strictiori, rigidiorique judicio se judicandum.

Enim vero quid moramur in re compertissima suadenda? Arsenii, Hilariones post sexaginta, post septuaginta annos sanctissime in eremo ductos timebant: Hieronymus nihil aliud recogitabat, & quia Cicerone delectabatur, acerbe mulctatur, quin quod plus est, cum se Christianum diceret, mentiri, audiit. Hoc revelationes quæque privatæ; hoc quotquot sanctæ animæ ad nos redierunt; hoc perditissimorum, hoc sanctissimorum sensu clamant Ergo Christiani omnes, & rectè utique, existimant, & credunt, Dei judicium futurum strictissimum, ac esse valdè metuendum; quin ipsæ etiam Gentium fabulæ ad indubitatum habuere.

Dicunt ad nos, dicunt etiam ad alios strictis doctrinis terreri nimium homines; in scrupulos, in angustias conjici, & si mavis etiam a virtute arceri. Hæc, & similia dicunt; sed nimis inconsiderate dicunt. Age itaque: eradamus etiam jam a corde fidelium persuasionem istam de strictissimo judicio futuro; parum enim, opinor, profuerit eis, quod a nobis nunc blandissima quæque habeant, & audiant, si tristitia demum audituri sint: si damnandi tunc erunt, quid rogate, nostra solatia juverint? Oporteret itaque, audere ulterius, & ut doctrinarum modo, ita etiam futuri judicii terriculamenta abigere dicendo, utrumque, legem scilicet, & judicium esse suave, trepidarique timore, ubi non est timor.

Etenim ut §. præc. satis est ostensum, in consequentium omnium in consequentissimum est existimare vitæ nostræ regulam fore strictam, & difficilem. Ideo cum maximo dolore audivi in fulsissimum, & omnis scientiæ expertem hominem verbis mendacii solantem fœminas quasdam: nihil ajebat, metuerent, nec quale existimatur, futurum judicium, est enim Deus, subjiciebat Hispane, de muy buen coraçon y de bonissimos entrañas y todo yra ala buena.

Postremo rem istam sole clariorem efficit sensus, & judicium Ecclesiæ, quam pro veritate invenienda, sequendam, ex Augustino in primis præscripsimus. Satis nimirum aperte illa sensum, judiciumque suum explicat in canonizatione Sanctorum. Videmus enim, causas trahi longissime, discuti exactissime, minutissime evolvi, perspici, perpendi omnia, singula, ut aliquem Sanctorum numero adscribat: Canonizatio hoc porrò unum præcipuè significat, aliquem scilicet beatum esse, salvatumque, atque ex hoc uno cætera cultus, honoris, & omnia consequuntur. Adeo vero adhoc pauculum universa de canonizatione discussio, causaque revocatur, ut idem sit scire, salvatum quem esse, atque scire sanctum esse, & velut Sanctum colendum. Unde quoscumque scriptura commemorat, salvos factos esse, de fide est, Sanctos esse: & hoc unum canonizando Ecclesia Sancta, de his qui in scriptura expressi non sunt, declarat. Hoc unum, ut sciat, vitam in primis examinat; atque ut certius illud unum habeat, miracula etiam postulat; quæ nihil sanè requireret, si citra illa tuto sciret quem cœlo donatum.

Hæc itaque discussio canonizandorum velut imitatio quædam est futuri judicii: in isto quippè nota sunt omnia judici, nec opus est miraculis, aliisvè extrinsecis justitiæ uniuscujusque probationibus; Ecclesia tamen tanta illa causæ discussione, & molimine alio non tendit, nisi ut approbet, vel approbatos declaret eos, & non alios, quam qui à Deo judicari, probatique sint: quo uno comperto, nihil ultra examinaret. Sentit ergo non largam, non cujuslibet, sed strictissimam esse istam in Dei judicio approbationem.

Terrere hoc sanè potest vigilantissimum quemque, Ecclesia enim non errat, nec a vero deflectit per quid nimis, aut per quid minus: & ecce quanto voluit, ut quem in Dei judicio probatum fuisse, cœloque donatum comperiat, & deprehendat, declaretque. Profecto alii etiam, quos non declarat, salvi facti sunt: neque hoc Ecclesia ignorat; at ut judicium suum interponat, tot sanè illa, tantaque, & non utique per excessum expostulat. Nullam, opinor, illa laxe viventium, per minus, & æque probabilium regulam euntium, aut alias multas opiniones consectantium causam vel discutiendam solùm admisit unquam, vel admittet; supponitque, alia regula eos vivere debuisse, pro quorum salute suum ipsa, quæ non fallit interponat judicium. Quod si non hanc ipsam vitæ regulam in judicio Dei à nobis requirendam crederet, excederet sanè per quid nimis.

Unde sic argumentor: discussio salutis uniuscujusque in judicio Ecclesiæ est strictissima: sed in ista nihil aliud intenditur, quam conformitas sui judicii cum judicio Dei: ergo hoc etiam est strictissimum, & difficillimum. Ex quo accipitur, fideles si in hoc aliis ultro credendo falluntur, voluntarie sanè falli; reflectere enim, recogitareque facile possent, recogitarentque, si tanti esset salus, quanti aurum, quod sit hac de re judicium Ecclesiæ, quæ non fallit: qualis item sua propria uniuscujusque existimatio de futuro judicio, quod non fallit; ac manibus pænè ipsis contrectare possunt, laxe vivere debentium non posse esse strictum rectum judicium. At rectum est Dei judicium, & totum justum. Ergo non est laxe vivere debentium. At est Christianorum; nam qui non credit, jam judicatus est. Ergo Christiani non laxe, sed strictè vivere debent; non dormire, sed vigilare; non mundum sequi etiam quando, quæ mundi sunt administrant, sed Christum.

§. III. San-

§. III.

Sanctus Sixtus hoc totum argumentum producit in specie Doctrinæ serenæ confici.

AN Sancti Sixti hujus nominis tertii sit Epistola, quæ de malis Doctoribus, & operibus fidei, & de judicio futuro tractat, dubitatur: in quo planè immorari non placuit; nam quæ adducturi sumus, ex bonis profecto autoribus vel Sixtus, vel quicumque alius autor fuerit, probat.

Quid faciemus, inquit, *dum ille advenerit dies cum adstantibus Angelis?* &c. *Quid respondebimus dicenti nobis. Ego vos, idest, humanum genus ad hoc in primordio de limo terræ secundum imaginem meæ similitudinis formaveram, ut me per omnia, quæ ad justitiæ opera pertinent, sequeremini*: & prosequitur cætera collata bona, & hominis apostasiam. Tempus deindè percurrit missorum à se Prophetarum, qui errantes, deceptosque homines in viam revocarent.

Sed nec istis contentus (subdit) *novissime ipse descendi, & ex virginali utero vestri generis hominem dignanter assumpsi, ut me vobis possibilia præcepisse naturæ contestatione monstrarem.* Producit hic Dominus vitam suam, passionem, irrisiones, convitia, flagella, mortem, & crucem; & quo pacto ulcisci inimicorum noluerit, sed magis veniam à Patre precari.

Ubi est ergo, quæret, ejus profectus doctrinæ, quam tradidi? Ubi perfecta, consummataq. justitia, & benignitatis forma, quam præbui? Omnia prorsus mandatorum meorum præcepta sprevistis, &c. Et quibus ego, ut inimicos etiam vestros diligeretis, tam doctrinæ verbo tradidi, quam operationis exemplo, vos nec vestris quidem fratribus pepercistis, Divitias vobis usque adeo contemnendas mandaveram, ut infinito difficultatis exemplo regni mei aditum locupletibus denegarem. Vos autem adversus doctrinæ meæ regulam, adversus conversationis exemplum, quo me causa vestri profectus in propriis mundi processione pauperem præbui, ita divitibus adulati estis, ut in illis potissimum collocaretis spem omnem futurorum, & lesbalis ? sectaremini odio quemcumque cerneretis mandatorum velle defensare doctrinam. Utinam nimis verum non esset.

Patrem etiam super terras vocare prohibui, ne quis vobis post cælestis generositatis eximietatem terrenæ, & mundana gloria memoria permaneret, &c. Vos autem ita vobis humanæ stirpis honorem vindicastis, ut cæteros, quibus corruptibilis hujusce originis dignitas deerat, acsi degeneres, & ignobiles despiceretis, quamvis nobilitatos illos divini seminis progenie non ignoraretis.

Aliis vero, quibus ut sua contemnerent, imperaveram pervadere aliena contrarie; & quibus etiam malefacientibus benignos esse jusseram, sibi nequaquam molestos persecuti sunt. Et ac si ego non pacis, & dilectionis fædera, sed dissensionum, & litium jurgia docuissem, ita interse odiosa, & sæva inimicitiarum bella gessere. Quid ad hæc dicturi sumus, &c.

§. IV.

Exurgent etiam in Judicio Apostoli, & qualia nos docuerint contestantur.

D*icemus forsitan* (subicit Autor) *idcircò nos erga mandatorum ejus obsequia negligentiores fuisse, quia ipsius postmodum Apostoli suam dissimulaverint iterare doctrinam, &c. Sed si hæc dicere voluerimus, illico ille Apostolorum Princeps, &c. E contrario respondebit & dicet, ego istis nunquam tacui, quin etiam sæpissime ea, quæ dixeras iteravi increpans, & quæ non dixeras, annunciavi.*

Ego his, (Epist. 1. cap. 2.) *ut deposita omni malitia, & omni dolo, & simulatione, & invidia in modum infantium parvulorum ad sanctitatis incrementum rationabilis & simplicis escæ alimoniam concupiscerent, imperavi. Ego his* (cap. 2.) *ut solius corporis pudicitiam sufficere existimarent, animas etiam in charitatis obedientia, in fraternitatis amore simplici in sordis dilectione castificato præcepi. Ego his* (cap. 2.) *& generositatis suæ nobilitatem ante oculos posui, & quod genus electum, Sacerdotale, regale, gens sancta, Populus acquisitionis essent, indesinenter ostendi.*

Ego etiam (Epist. 2. cap 1.) *quod divinæ naturæ essent consortes, edocui, credens, eos ad custodiendam Justitiam promptiores fore, si stirpis suæ speciem agnovissent ita mirabilem, &c. Ego illis* (1. 2.) *ut secundum se in omni conversatione essent, sæpè mandavi, addito etiam prioris sua vocis imperio, quo continetur: Estote Sancti, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester. Ego* (Epist. 1. cap. 2.) *ut essent super terram cælestes cives, quam spiritualis vigore a carnalium concupiscentiarum illecebris advenarum more alienarent, vehementer hortatus sum. Ego & Justorum gloriam, & peccatorum æterna supplicia declaravi, ut illos ad sanctissimæ Disciplinæ conversationem, aut desideratæ beatitudinis cupiditas flecteret, aut horribilis pœnæ anxietas perurgeret.* Epist. 2. cap. 2.

Et ne putarent, vera non esse, quæ promittebantur, de futuræ justitiæ rigore, in præsenti etiam probanda monstravi; Nam Maritum, & uxorem, qui de quantitate pecuniæ mentiti fuerunt, per spiritus mei gratiam morte mulctavi, &c. Actu 5. *Quomodo autem evaserunt, & unde delinquentis fe...ationem sum... ...respondeant.*

... & ille Apostolus Gentium, & proclamabit, & dicet. Ego illis per quatuor decim Epistolarum volumina, ne quid injustitiæ, vel iniquitatis agerent, intimavi. (Ego 2. ad Corinth. 1. 1. Timoth. 2.) *nihil aliud magis quam ut simplicitatem, innocentiam, pietatem, Justitiam diligerent imperavi. Ego* (1. Timoth. 6) *ut cum omnibus pacifici essent, admonui. Ego* (ad Rom. 12.) *ne cui malum pro malo, sed e contrario bonum redderent, evidenter expressi. Ego* (1. ad Thessal. 5.) *ut considerantes te Patrem, & tu se Filios recordantes, rationabiles, & absque peccati macula degerent, jussi. Ego* (2. ad Corint. 13.) *ut dignos se spiritus tui habitaculo exhiberent, monui. Ego* (1. ad Thessal. 5.) *ut se corporis tui membra esse cognoscerent, sæpe testatus sum. Ego* (Gal. 3.) *ut omnem sermonem malum non emitterent, sed ut de bonis semper loquerentur, edixi. Ego* (ad Ephes. 5. & 1. Timoth. 6.) *ut ab omni amaritudine, & ira, & indignatione, & clamore, & blasphemia cum omni malitia expiarentur, apertissime plerumque mandavi.*

Ego (ad Gal. 5.) *quod tui non essent, qui lenitatis, & benignitatis tuæ spiritum non haberent, exposui, & quod illi tantum ad te pertinerent, qui carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifixissent, manifestissima contestatione prædixi. Ego* (ad Eph. 5.) *illos etiam etiam absurrilitate, stultis loquio, vanitate alienos desideravi, atque præmonui, ut in nulla re a divinis laudibus digna exciderent, imperavi: impudicitiam vero, & avaritiam nec nominari quidem inter eos volui, ut agnoscerent, quam grande esset admittere, quod non esset licitum nominare.* Hæc, & alia Paulus: quorum quid, quæso te, in libris quibusdam? Sed non his, sed ex illis judicandi sumus.

Ille quoque dilectus, &c. hoc est Joannes *proclamavit dicens: Ego ut præceptorum jussa perficerent tribus Epistolis monui. Ego* (Epist. 1. cap. 2.) *quod to neque nosset, neque diligeret, qui mandatorum statuta non faceret, contestatus per omnia sum. Ego* (Epist. 1.) *te illis meram lucem, & ab omni obscuritatis nube sinceram prædicavi & quod beatitudinis tuæ consortio potiri omnino non posset, quisquis non ejusdem luminis gauderet, idest, suavitate conversationis. Ego* (1. 3.) *quod nobis filiorum Dei dignitas collata esset, edocui.*

Ego (1.3.) *quod ad te soli justi pertinerent, & quod diaboli consortio jungerentur quicunq, peccata committerent, promptissime declaravi.* Ego (1.3.) *illis, ne sibi de solius nominis vocabulo blandirentur, tam filiorum Dei, quam filiorum diaboli signa monstravi, ut justos tantum Divinæ esse sobolis scirent; injustos vero ad diaboli prolem noscerent pertinere.* Ego (1.4.) *charitatem mutuam præcipuè demonstravi colendam, & ut se exemplo tuo invicem diligerent, idest, alter pro altero animam ponere vellet, admonui.* (Ego 1.3.) *quod vitam æternam quisquis fratrem suum odisset, habere non posset, manifestissime prædicavi. Ego ne sermone tenus amare, sed ut dilectionis suæ puritatem operum veritate niterentur monstrare, edocui.* Atque alia Joanes, Jacobusque prosequuntur: ac plurima præterea congeri possunt, quibus ora, obstruantur, & alienæ opiniones suffocentur.

§. V.

Aliqua ex his syllogizatio, & dictorum comprobatio.

HUnc in modum syllogizare jam possumus, quarum doctrinarum regula vivere debemus, earumdem regula judicandi sumus. Sed adductarum harum, & consimilium regula judicandi sumus. Ergo earumdem regula vivere debemus. Sed eæ prorsus veræ sunt, ac facile ab unoqooque Christiano inveniunrur, si vult. Ergo veritas illa moralis, ad quam tamquam ad unicam vitæ, morumque regulam obligavimus, & quam inveniri non posse obloquebantur, facile ab unoquoque Christinio inveniri potest: quin exigua cousideratione existimationis propriæ suæ de futuro judicio inventa jam est.

Sed quid moramur? Nam Dominus ipse Joan. 12. quidquid arguimus, intendimusque, expresse contestatum reliquit: *& si quis*, inquit, *audierit verba mea, & non custodierit, ego non judico eum*, &c. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum, sermo, quem locutus sum; ille judicabit eum in novissimo die.* Utrosque itaque, & qui audientes non custodiunt, & qui spernunt, & non accipiunt, non tam ipse, quam sermo ejus, non quem tunc loquerur, sed quem locutus jam est, judicabit; hoc est, ipse, sed ex sermone ipso illo, & verbis qoin addat legi quidpiam, detrahatvè, judicabit; & si lex ipsa, & sermo loqui posset, judice vix opus esset: qoo sensu legea ipsas clamare mutis quasi vocibus dicere solemus. Sermo itaque judicabit, quem locutus fuit, ideft, ut exponunt, erit ratio, causaque, ex qua quisque discernetur: *propè aderit*, air Rupertus, *tutus sedebit, in conscientia cujusque justas sententias terribiliter personabit.* Quo eodem sensu ipse Dominus Join. 5. Judæis edixerat: nolite putare, *quod ego accusaturus sim vos apud Patrem; est, qui accusat vos, Moyses: ideft, liber, lexque ipsa Moysis;* Quemadmodùm etiam dixit, *Moysem habent, & Prophetas*, non homines ipsos, sed libros, ut passim loquimur.

Sermo itaque nos judicabit in novissimo die, ille sanè ipse, non alius, quem Dominua locutus fuit. Ar nequit nos judicare sermo ex quo vivere non teneremur. Tenemur ergo vivere ex ipso illo sermone, qoem locutus fuir. Ar ille expressissimus est, & omni Luce clarior; nam ad mundi terrenarumque rerum contemptum, cælestiumque prosecutionem totus ille ducit; Deum amandum super omnia; proximos etiam instar nostri, quin inimicos quoque diligendos novo mandato aperte intimat: tot præterea illa, quæ S. Sixtus prosecutus est. Quid ergo dicemus? *Tarde*, concludit, *illius doctrina, cujus quondam a cerbitas abhorret, agnoscetur utilitas. Alii intereunt sui causam proprio judicio, alii alieni Magisterio imputabunt.*

Sed fositam inquis; ego ista nesciebam, nihilque mecum contuleram. Auguft. in psal. 32. conc. 2. sic glosat, *Ego non judico quemquam; sermo, quem locutus sum*, &c. *Nec se excuset, qui audire non vult, ne quasi non sit, quid ab illo exigatur. Aliud est enim non posse accipere, aliud est nolle. Illic excusatio necessitatis est, hic reatus voluntatis.* Er paulo infra: *exigit enim rationem, reddita ratione donat æternitatem. Nemo nostrum in accipiendo dormiat.* &c.

Ratio itaque reddenda est accepti, & reddiri, & inter accepta iu uno sensu, putanrur etiam, quæ accipere potuimus. Totum porrò acceptum reducitur præcipuè ad doctrinam, & vires gratiæ. Quemadmodum igitur ex accepta ouoc Dei gratia vivere tenemur, & sic ex hac mensura judicabimur; ita de doctrina quoq; est Philosophandū.

At Augustinus doctrinam istam, sermonemque Domini contemplatus deflet in psalm. 47. paucitatem custodientium. *Quot enim sunt, inquit, qui videntur servare præcepta Dei? vix invenitur unus, vel duo, vel paucissimi: ipsos solos Deus liberaturus est, & cæteros damnaturus? Absit*, inquiunt. *Cum venerit, & viderit tantam multitudinem ad sinistram misi ribetur, &c. Hoc plane etiam serpens ille promisit primo homini &c. non morieminus. Dicunt hoc* (præmiserat paulo ante) *qui sibi promittunt hoc; quod à Deo promittente non audierunt.*

Ita & nunc, fratres ponite, vobis Ecclesiam ante oculos ad instar, similitudinem, Paradisi; non cessat serpens suggerere, quod tunc suggessit &c. Respondeamus talibus suggestionibus, quod respondit Job. Ergo nos audiamus tales voces; nec putemus paucos esse istos (idest, bonos) *multi sunt, sed inter plures latent. Non possumus enim negare, plures esse malos, & tam plures, ut inter eos boni prorsus non appareant: quomodo non apparent grana in area, &c.* Vides autem, sermonem esse de Catholicis.

Ratio porrò, & causa cur Sancti tam paucos bonos, salvandosque inveniant; alii tam multos, eisque prompte dicant, *nequaquam morietmini*, sumitur ex hac ipsa hujus quæstionia doctrina; Sancti enim regulam vitæ, ac futuri judicii putant fore sermonem, quem per se, suosque Apostolos Dominus nobis denunciavir; alii regulam putant esse sermones alios, & opiniones. Cum ergo sermones istos jam in vita, jam magis in morte servent plurimi, quin plerique eorum, qoi susceptia Sacramentis obeunt; illum autem Domini, & Apostolorum perpauci, iode est, quod conclusiones collectæ tantopere discrepent.

Sermo Domioi, si loqui posset, ira syllogizaret: Ego sic dixi: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16. Item Sermo ejus Apostoli 1. Joao. 2. qui dicit, *se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Ar hi, & hi, & quidem quam plurimi noo solùm de propria abnegatione, tollendaque cruce, nihil tractarunt, sed nec hoc ad ipsos, sed ad Monachos solùm pertinere, nesciò qoo stupore mentis existimarunt, vel tamquam existimantes vixerunt, nec sicut ipse ambulavit, sibi ambulandom, sed delicatissime vivendum, omnibusque honoribus inhiandum censuerunt. Isti ergo multi, vel plurimi non me servarunt. Quid vero proderit, si sermones alii salutem promittant, ubi sermo Domiui damnat.

§. VI. Ex

§. VI.

Ex Judiciis etiam in hoc mundo à Deo factis facile quis colligere veritatem posset, & scire quomodo esset vivendum.

DEcreveram ferme hoc in loco Tertulianum imitari, & siquidem tantundem dicunt, veritatem moralem inveniri ab ignorantibus, quin neque ab ipsis sapientibus non posse, in quo eos sapientes, & non sapientes simul dicunt, volueram, ut Tertulianus contra Gentes fecit, animam Christianam evocare, non, ut loquitur ille in scholis formatam Bibliothecis exercitatam: Academiis & Porticibus Atticis partam sapientiam ructantem, sed simplicem illam, & rudem, & impolitam, & Idioticam de compito, de Tribio de Tertrino compellare, abeaque testimonium expostulare, quale putet fore extremum judicium? & quales nos esse oportet ad illud securitare aliqua subeundum? Nec tam oris, quam cordis testimonium postularem, qua via, quibus moribus, qua doctrina, vitaque vivant, de quibus patum formidatur? Atque hoc modo connexa alia exigerem testimonia. Quod tamen omittendum postea censui; & annotasse forte quondam juvabit.

Nunc itaque ad præcedentium confirmationem, si tamen res perspicuæ confirmatione opus habent, subjunxi, ex Judiciis etiam in hoc mundo factis facile quemque colligere posse veritatem moralem, & scire, quomodo esset vivendum, eamque vivendi formam capessere, in qua vel numquam, vel raro erret; & sit forte tunc, si erraverit, ignorantia invincibilis.

Porrò ut casus omnes, & judicia complecteret, adductisque Autoribus discuterentur, quantum in unoquoque casu peccatum sit, quæstione integra, eaque satis prolixa opus esset, & forte longiùs à scopo diggrederemur. Satis ergo erit, si ex libro sup. quæst.13. aliquos, alios ex scriptura, uti extant, memoremus, ut demum deprehendamus, quam stricta, exactaque regula metiatur Deus mores nostros, & qualis resolutor sit casuum conscientiæ; ut ei similes audiamus, dissimiles falsos agnoscamus. Illud vero ob oculos est habendum, nihil dictu esse, eos, quos memorabimus, judicatos fuisse, nos non esse; nam Deus acceptor Personarum non est, & in omni simili idem erit Judicium, si non ad speciem, ad quantitatem saltem pænarum. Oporteret etiam, casus hos omnes primum quasi seorsim à facto judicio contemplari, requirereque è nobismet, quid in eis visum nobis fuisset: deindè vero advertere judicium Dei, & quam aliud illud fuerit, perpendere indeque ad alia etiam erudiri. Profectò si sic procedamus, velimus, nolimus, stricti resolutores evademus.

Quibus annotatis, & si risutos aliquos nôrim, incipio à casu primorum Parentum. Res sanè, ut videbatur, levissima jussa fuit: inde arbitrari potuerunt, non quod propterea quasi in pænam violationis morituri essent, sed quod arbor ipsa mortifera esset. Cum porrò vidisset mulier lignum, & pulchrum ad videndum esse, & bonum ad vescendum, dubitatio aliqua irrepsit; ac legem interpretari cæpit: accessit serpens, quem divinitus loquendi facultatem accepisse existimavit, & eo metus causam omnem tollente comedit, nec mortua fuit: ex quo in errore magis confirmari potuit. Suasit inde viro; qui sanè cernebat, eam non propterea mortuam esse: causa etiam fortis accedebat, ne scilicet uxorem contristaret. Quæ omnia Augustino notata dedimus ea quæst.13. atque hanc substantiam, torque circunstantias casus conscientiæ cum aliis contulimus. De fide est, inquis, eos peccavisse. Scimus planè, sed casus non ut judicatus, sed seorsim, & secundum se considerandus est, ac videndum, quid in te, ut videbatur, tam exigua, ac sub tot etiam circunstantiis videndum nobis fuisset. Primi Parentes, ais, neque opinari, neque errare potuerunt. distinguendum est. Ante ellationem, peccatumque omne verum est; aliter contra Apostolum, nam mulier decepta fuit partim suo judicio, partim è serpente.

Jam vero cui hominum venire in mentem potuisset, propter eam comestionem omnes eorum posteros in peccato accipiendos esse, ac tantam stragem inferendam malorum? Nemini; Adde, propositum fuisse casum alicui quæsitumque num fieri etiam, contingereque id posset? dixissemus profectò omnes fieri non posse, & quæ nescio crudelitas visa fuisset; nam etiam modo, postquam factum est, & credimus, non bene intelligimus. Ego, ais, prædixissem omnia, quæ etiam rite intelligo, atque mente comprehendo. Solùm jam superest, ut mente etiam tua, atque ratione assequaris altero die, comprehendasque mysterium Trinitatis, & quidquid in Dei Judiciis in accessum est. Fateamur itaque, nobis prorsùs aliter rerum seriem totam videndam, & solutio est: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* ac rursùs; *o homo, tu quis es!* &c.

Artulimus etiam casus duos Saulis ex 1. Reg. 13. & 15. in Primo jussus fuit Saul à Samuele expectare ipsum diebus septem: interea Philistini congregati sunt ad præliandum cum curribus triginta millia, & reliquum vulgus, sicut arena, quæ est in littore maris. Conterriti Israelitæ dilabebantur: Expectat nihilominus Saul septem dies *juxta placitum Samuelis*; qui cum non veniret, *dilapsus est populus*: atque hac, ut ait necessitate compulsus Saul jubet afferri, offerrique Holocaustum, ne, nondum placato Domino, irruerent in ipsum Philistæi. Et tamen stulte egit, nec necessitas suffecit; ideoque Dominus regnum etiam ab eo aufert. Jusserat, scio, Samuel expectare dies septem. At expectavit saltem inceptos. Jusserat, sed non dixerat, expectaret, etiam si Hostes congregarentur; & quamquam metu perculsus populus dilaberetur, & periculum esset, ne aggrederentur. Jusserat, an autem septem dies prorsus integros, completosque expectare deberet, non distinxerat. Passim dicunt Autores, præceptorum etiam Decalogi absolute non dari ignorantiam invincibilem saltem diuturnam; et dari sub adjunctis circumstantiis. Ecce quot novæ circunstantiæ accesserant præcepto Samuelis. An non interpretaremur? Rei duritiem, difficultatem, imminens periculum non allegaremus? At Deo nostro casuum conscientiæ resolutori scientissimo stulta actio visa est, & digna Regni etiam amissione.

Alter casus e cap. 15. Ubi Saul jubetur demoliri Amalech, & universa ejus, & non parcere, nec concupiscere aliquid ex rebus ejus. Interfecit Saul omne vulgus, & apprehendit vivum Agag Regem: & optima quæque reservavit. Accusatur violatæ legis; negat violationem ipse, *unde*

audivi, ait, Vocem Domini, & ambulavi in via per quam miſit me Dominus. Addit porro excuſationem, & interpretationem, qua de cauſa optima quæque allata ſint, *ut ſcilicet immolet Domino Deo ſuo in Galgalis.* Juſſus quippe erat non concupiſcere: quę autem ad immolandum allata fuerant, haud videbantur concupita. Nec Samuel negat, hunc in finem ea ſervata; ſed *numquid ait, vult Dominus holocauſta, & non potius, ut obediatur Voci Domini? Melior enim obedientia, quam victimæ.* Addidit & illud Saul, ex quo excuſari videretur: *peccavi, &c.* inquit, *timens populum, & obediens voci eorum.* Ecce quot novæ circunſtantiæ quantæ formalitates acceſſerunt, quæ in præcepto expreſſæ non fuerant: nihil concupivit, ſed ad immolandum Domino optima quæque ſervavit: Pepercit Regi, ſed Rex haud videbatur in communi lege comprehenſus, ſed ſpeciali mentione opus habere; & quidquid demum totum illud fuit, metu commoti populi factum eſt: & Saul quidem, ut ait, ſe vocem Domini ſervaſſe exiſtimavit, nec de mendacio ſcienter dicto à Samuele accuſatur:.& tamen judicio Domini peccavit.

Quem etiam Ozæ caſus non terreat 2. Reg. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit, quoniam calcitrabant boves, & declinaverant eam. Iratusq; eſt indignatione Dominus contra Ozam; & percuſſit eum ſuper temeritate; qui mortuus eſt ibi.* Diſputant an mortale, an ſolum veniale commiſerit; & quidam leniunt, quantum poſſunt. Sed vero ira Dei, & indignatio venialibus, haud congruunt. At hæc ipſi Judici relinquamus: quis noſtrum, oro te, non contentione, ſed pacate quis, inquam, noſtrum Ozam, ea de cauſa morte dignum, & potius religioſum, remunerandumque cenſuiſſet. Res erat nova, inſolita, ac extraordinaria: Arca Domini periclitatur, nec in ſimilibus tempus ſuppetit diu deliberandi: Oza arcam tenet, & morte mulctatur. Quid amplius agendum ſupereſſet, ſi uti arcam tenuit, etiam præcipitaret?

Alter caſus eſt Bethſamitarum 1. Reg. 6. quando Philiſtæi arcam Domini reduxerunt. Porro Bethſamitæ metebant triticum, &c. & gaviſi ſunt, cum vidiſſent: atque alia religionis officia executi ſunt, quæ eo capite commemorantur. Percuſſit autem Dominus de viris Bethſamitibus eo, quod vidiſſent arcam, ſeptuaginta viros, & 50000. plebis. In quo illi deliquiſſent, quærunt interpretes, ſuntque opiniones plurimæ. Ea vera, textuique congruens videtur, quam Cajetanus, Mendoza, aliiſq; communiter tradunt; quin vel cum nuda, & neutiquam cooperta arca rediret in ea oculos defixerunt; vel cum cooperta veniret, denudarunt, & inſpexerunt, utique ut gauderent magis, atq; lætarentur, redderenturque certiores: populo autem non licebat arcam nudam videre ex 4. numer. Atque hæc ut viſio, aut inſpectio conſtitit Bethſamitibus morte ſeptuaginta virorum, id eſt, quaſi Primotum, & quinquaginta millium plebis. Quis noſtrum iterum, rogo te, hanc in eos ſententiam tuliſſet; tantam ſtragem intuliſſet, atque in lætiſſimo arcæ adventu exceſſum aliquem non excuſaſſet, tantoque gaudio tantum luctum comiſcere congruum exiſtimaviſſet? ubi omitto cauſam filiorum Heli Sacerdotis.

Huc etiam ex 2. Reg. 24. infelix illa numeratio pertinet, qua David populum numeratum voluit: & à Dan usque ad Berſabee uno pœne momento ſeptuaginta millia virorum peſte abſumpti ſunt, Conſuluiſſet nos de peccato David, & tacuiſſet Dominus: quandò, vel unde pœnam metuiſſemus, qui poſtquam factum etiam eſt, & credimus, & hinc inde rationem conquirimus, & demum credimus magis, quam ſatis intelligamus.

Eſt etiam valde doctrinalis caſus ille Prophetæ viri Dei 3. Reg. 24. cui ne in via comederet, Dominus imperavit. Invitavit eum Rex ad prandium. Negat intrepidus: *reſpondítq; vir Dei ad Regem; ſi dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam, &c. Sic enim mandatum eſt mihi, &c.* At alius eum Propheta poſtea aggreſſus eſt, cumque ille recuſaret, ait ei: *Et ego Propheta ſum ſimilis tui: & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini dicens, reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, & bibat aquam, & fefellit eum.* Et quem ſanè non fefelliſſet maximè virum ſincerum, ac innocentem? Ubi vero ſunt, qui aiunt, niſi actu advertendo, non peccari, & bonam tunc intentionem ſufficere etiam ad merendum?

Cum vero ſederet uterque ad menſam, *factus eſt ſermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum; & exclamavit ad virum Dei, &c. Dicens hæc dicit Dominus, quia non obediens fuiſti ori Dei, & non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reverſus es, & comediſti, &c. non inferetur cadaver tuum in ſepulchrum patrum tuorum.* Cum autem reverteretur Judam, Leo occidit eum. Hic eſt caſus.

Diſſerunt, num mortale, an veniale peccatum iſtud fuerit? In primis conſtat, eum deceptum fuiſſe inſigni ſanè, ac valdè involuto mendacio, ait enim textus, fefellit eum, & ſiquidem ne peccaret, tantopere Regis prandium detrectavit, nec hoc profectò alterum acceptaſſet, ſi ſe peccaturum credidiſſet. Facile quisque noſtrum èxiſtimaſſet, vel præceptum ad irregularem adeo caſum non trahendum; vel ſiquidem hanc conſequentiam ratam habent: *Doctor dixit: ergo ignorantia eſt invincibilis*, excuſansque à toto; à fortiori iſtam admittere debent: *Propheta dixit, quam privatam, novamq; etiam de eo revelationem interpoſuit. Ergo ignorantia fuit invincibilis.* Certe eum propterea morte dignum quisnam cenſuiſſet: cenſuit tamen Deus: multo ergo aliter, quam nobis videretur, caſus conſcientiæ reſulvit, quem imitari oportet, ſi errandum ultro non eſt.

Ajunt quidam hoc peccatum mortale nō fuiſſe, & forte nec veniale dicerent, ſi Deus conticuiſſet, atque in futurum ſententiam ſervaſſet. Conciliant autem pœnam mortis cum veniali; quia veniale unum etiam meretur Purgatorium: at pœna Purgatorii major eſt, quam mortis: inferri ergo poteſt pœna mortis propter veniale. Sed hęc illatio nulla eſt; nam nulla eſt argumentatio à pœnis alterius vitæ, ad pœnas iſtius; ſed divinæ ſapientiæ, juſtitiæque congruit, has eſſe minores, illas autem majores. Quare juxta divinam ſapientiam, juſtitiamque non foret, ſi nunc injuſtos omnes propter mortalia, ac juſtos propter venialia morte abſumeret, & tamen ſi omnes morerentur, nondum condigna ſatisfactione juſtumeſſet, alios pœnis inferni, alios Purgatorii addicere: atque hanc Theologiam edocere mihi viſus eſt Job, ubi ait *Utinam appenderentur peccata mea &c.* Majores ſcilicet exiſtimat pœnas, relative ad hanc vitam, & quibus in hac vita punire peccata ſolet Deus.

Sed non contendamus: cadat etiam rectè in peccatum veniale pœna mortis. Ego quidem ignoro inprimis, utrum inveniatur hujus rei exem-

exemplum certum, ex quo ad præsens, & in certum argumentatis ducatur; nec enim placet per possibilitates ratiocinio nostro discussas, & statutas Theologicas conclusiones colligere. Ajunt; salvatus est vir ille Dei: non ergo mortaliter peccavit. At sciunt ipsi, consecutionem esse inanem; nam per ignorantiam, deceptusque peccavit; eo autem facilius & Deus peccatoris miseretur, & peccator etiam ipse dolet, quod magis per ignorantiam peccatur, vir autem hic Dei, cum adhuc in mensa sederet, peccati sui certior factus fuit à Propheta illo altero: Unde non dubium, quin tunc statim, & deinceps etiam eum facti pænituisset. Salvatus ergo fuisset, etiam si mortale commisisset. Sed ut dixi nihil de hoc contendamus, & in veniale etiam rectè cadat pœna mortis. Ajunt, ab aliquibus illud peccatum parvum, dictum, ut ab Abulensi. Quid vero inde? Nam est & suum parvum etiam in mortalibus, ut Augustinus etiam loquitur, §. seq. de quodam peccato mortali.

Ajunt itaque, eum solùm veniale commisisse. Sin vero causam, rationemque requiramus, alterutram duarum reddant, necesse est, vel eum deceptum fuisse, vel materiam leviorem. Hinc porrò cernitur, quando jure superius dixerimus, quæstiones, & opiniones futuras, nisi Dominus expressissime rem declarasset, de peccato tum Evæ, tum etiam Adæ; sicut sunt de peccato viri istius Dei; nam sicut iste a sene illo, ista Eva quoque revera fuit seducta teste Apostolo; ac vir etiam in quodam sensu, ut tractatum est lib. præc. q. 13. Ergo si error & seductio de mortali facit veniale, saltem Eva mortaliter non peccavit. Sin vero materiam præcepti respiciamus, est una, eademque species utrobique; levior autem in primis Parentibus. Minus ergo illi graviter deliquissent. At in quis, Levius credidit Eva, & pro viro Dei, & contra Primos Parentes alias formalitates, congruentiasque conquires: & nos contra pro eis alias & contra virom Dei, tum ex ea quæst. 13. tum de novo excogitabimus; & quandoquidem majores has, minoresque gravitates palmo mensurare haud possumus, omnia demum in quæstione, o pinionibusque remanerent.

Non ergo afferamus stateras dolosas, ut toties ex Augustino cavemus, in quibus appendamus pro arbitrio nostro, quod volumus dicentes, hoc grave, hoc leve est, sed afferamus stateram Dominicam de scripturis Sanctis, &c. Et in illa quid sit gravius, appendamus; imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. In scripturis autem sic appensum est hoc, de quo loquimur, peccatum: *quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, &c.* Quod sanè peccato veniali non quadrat. Scitur deinde ex scriptura etiam ipsa, atque Theologia, ignorantiam, & errorem diminuere quidem peccatum, quando solùm indirectè est voluntarium, diminuere, inquam, & parvius reddere in ipsa ratione peccati mortalis, non autem facere de mortali veniale. At ista comestio hominis Dei, fuisset haud dubie mortale, si scienter mandatum violasset. Ergo fuit mortale etiam commissum per ignorantiam, & deceptionem. Et sic Sancti Patres supponunt transgressum fuisse præceptum, licet non ita existimando, quod sanè non veniale est, sed mortale, sicut in Eva, & aliis. Sapienter autem Abulensis prosequitur causas, & rationes, propter quas vir iste Dei credere seni illi non debuisset. Eum nihilominus salvum factum fuisse longe verisimilius est jam propter miracula, quæ circa cadaver ejus acciderunt, jam maximè ob ea, quæ paulo ante diximus de peccantibus per ignorantiam, quæ magis urgent in homine isto, qui quantum nollet violare Dei mandatum, factis ipsis non multo ante ostendit, demonstravitque. Ex his autem in specie collige, quam rationem in materia comestionis redditur i sint, qui tam facilè quadragesimam non servant, & carne etiam vescuntur contra præceptum. Non putant, ais, se peccare. At nec hic vir Dei putavit. Magistro, ais, credunt. At hic vir Dei Prophetæ, Deoque se credere censuit.

Atque hæc ex veteri testamento suffectura in scopum nostrum videntur, ut videat quisq; quali regula Deus, qui non fallit, quam stricta, quamq; judiciis quibusdam nostris contraria regulet mores nostros, & actus, actionesque singulas. Ne tamen aliquis novus adversarius legis prodeat, qui nimiæ severitatis, quin etiam cujusdam crudelitatis eam in considerate incuset, quo quasi ex loco aliqui aliquando concionatores minus advertenter, ut dicemus, populo assentari videntur, ex novo nunc Testamento alia adjicere e re nostra.

§. VII.

Alia in idem ex novo Testamento.

NOn eo imus, neque de eo disputamus, utrum Deus in lege gratiæ tam frequenter temporalibus pœnis utatur, atque olim? Scitur scilicet, terrenum illum olim populum terrenis maxime pœnis, præmiisque ductum, rectumque fuisse. Neque item disputamus num uberior sit gratia Evangelii, quam legis. Cum constet, spiritum populi sub lege fuisse servitutis; nos autem accepisse spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus *Abba Pater*, ut olim clamabant Domine Deus noster, & Dominus exercituum. Nec denique disputamus, utrum peccatoribus modo sit facilior conversio, & promptior ad hos misericordia Dei. Hoc enim, ut dicam ingenue, ego bene nescio: illud est certissimum, tunc, & nunc rite conversis veniam esse promptissimã. Atque his notatis sensibus rectè concionatores ingerunt, Deum olim magis ad pœnas pronum extitisse, quam modo pluresque, & graviores pœnas temporales intulisse; minus etiam gratiæ contulisse. At si indistinctè Deum totum agnum, & Justitiæ quasi expertem inculcarent, nocerent planè populo, timoremque excuterent: ibi autem Deus non timetur, ubi non est, dicebat Tertullianus.

Eo ergo dirigitur totus noster sermo, ut satis innotuisse potuit, num laxiorem aliquam conscientiæ, morumque regulam indulserit nobis Deus in Evangelio? & an ea in eis circunstantiis, eisque interpretationibus, & existimationibus adversus legem re ipsa nostram operando peccemus, non minus, quam peccarent olim in simili? An major illa Dei misericordia ad hoc quoq; extensa fuerit, laxaveritque aliquid de ea regula, quæ quam fuerit stricta §. superiori visum est.

Quibus animadversis Manichæi primum, & Marcionistæ, & alii, ac postremo Anonimus quidam, quem adversarium legis, & Prophetarum Augustinus appellavit, totam veterem legem detestati sunt: atque hic maxime adversarius legis alium legis, ac Prophetarum; alium Apostolorum, & Christianorum Deum commentus est, austerum illum totum, & crudelem propter tot eas, quas commemoravimus, aliasque pœnas & mortes, Deum contra Apostolorum, & Christianorum benignum iræ, justitiæque expertem, & qualem carnales quique, & inimici crucis Christi optarent.

Augu-

Augustinus duobus hunc legis adversarium confinxit, & utrunique Deum, seu potius unum in severitate pœnisque contulit: & lib. 1. cap. 16. *quas mortes (inquit) iste exaggerans, & scholastica Vanitate describens ad blasphemandum Deum, qui talibus mortibus eos flagellabat Horrorem incutit mortalibus sensibus etc. His mortibus confert mox gehennam, quam minatur, & infert Deus christianorum.* Concludit: *nonne possent Judæi dicere adversus hujus impietatem, longe incomparabiliter Deo nostro Deum se habere mitiorem? longe scilicet mitius punientem transitorijs mortibus corporum, quam flammis perpetuis gehennarum?*

At enim propterea Videtur huic Deus legis, & Prophetarum, qui unus & verus est Deus, crimine crudelitatis arguendus; quia propter levissimas causas, vel etiam erubescendas pœnam mortis, vel corporalis inflixit; quod David populum numerasset; quod infantes, sicut iste dicit filij Heli sacerdotis de ollis, vel cacabis Deo præparatis aliquid degustassent Qua in re non disputo quantum, & quam perniciosum elationis vitium tam sancto viro, ut vellet Dei populum numerare subrepserit, eorumque mortibus non æternis sed jam jamque humana conditione venturis, & celeriter transituris fuerit flagellatus, quorum fuerat multitudine inflatus. Nec dico: filios Heli fuisse infantes, ut iste loquitur nesciens, quid loquatur &c.

Sed hoc quantum existimet iste, fuisse peccatum, quod in convivio nuptiali inventus est homo vestem non habens nuptialem. Puto. si humana consideratione ista metiamur huic aliquantulum sufficere debuit erubescere, ut plurimum invitandis, indignatio protenderetur, Vestem mutare compelli; & tamen dictum est: Ligate illi manus, & pedes & projicite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium. Humana certe consideratione, & ratione non hoc dixissemus, sed illud Augustinus dicit, & verum dicit, & totum paucis dicit, & sufficit. Quando ergo humana consideratione velut regula metiemur, nec stateram Dominicam assumemus? refellit vero Augustinus quædam responsa.

Ecce quod est manifestius subdit, proferamus Evangelium legi veteri comparans, Dominus, & non illud malum, quod ante didicerant, sed quod ipse docebat perfectius esse contestans; audistis inquit, quia dictum est antiquis, non occides; qui autem occiderit reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quicumque iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit racha, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Quid tam parum in peccatis, quam fratri dicere fatue? quid tam magnum in supplicijs, quam gehenna ignis? Si in lege, vel Prophetis iste invenisset aliquem, qui dixisset fratri suo, fatue lapidari jussum fuisse divinitus. quanta Deum crudelitatis argueret! quis autem &c.

Subinde Christi eos, qui ad sinistram sunt, damnaturi verba Usurpat: *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Hujus tanti suplicii, sub jungit, quære causam. Esurivi inquit, & non dedistis mihi manducare Ecce pro Esca temporali non ablata sed non data æternum, & horrendum supplicium comminatur.*

Advertit subinde quo pacto quis eodem artificio Deum legis mitem; contra vero Deum Evangelij crudelem causari posset afferendo benigniora quæque ex lege; duriora vero ex Evangelio. Deus legis is erat: *nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. Non ille, qui propter Lucrorum avaritiam, etiam eum servum, qui non perdidit talentum quod acceperat, sed tantum quia, non amplius acquisivit, ligatis manibus, & pedibus projici jussit in tenebras, exteriores. &c. Et qui venientibus ad se & pulsantibus, & dicentibus Domine, aperi nobis respondit non vos novi, tantum quia oleum secum, quod infunderent suis Lampadibus, non tulerunt, &c.*

Hæc atque hujusmodi, si quis Vesana mente sacrilegus, inde lenia, hinc aspera colligat, & sic homines, utrarumque litterarum imperitos à Christo, tanquam à sævo, & crudeli conetur avertere, & ad Deum misericordem Prophetarum convertere, nonne & huic ipsi &c. impius, atque impurus apparebit? Hunc eundem morem, ut part. 1. lib. 1. dictum est, servasse quidam erga opiniones morales, & circa Veterum, novorum que collationem, plane videntur inde lenia, hinc aspera colligendo, quam ipsis libet partem aut duriorem, aut mitiorem imperitis repræsentant.

His porro, quæ Augustinus in Adversarium illum legis contorsit, satis confectum est, nihil in lege gratiæ laxatum esse de regula morum, atq; in nullo quo ad hoc misericordiosiorem Deum esse; quin ex actu, atque ad altiorem perfectionem ea deduxisse, quæ moralia in lege fuerant, qui non sane venit solvere, sed adimplere, quæ defuerant. Omitto alia, ut Petrum in defensione salvatoris peccantem, tantus illas Scribarum, Pharisæorumque reprehensiones, quia quærebant primas cathedras in synagogis, primos accubitus in cœnis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, spoliabantque Domus viduarum, sub obtentu prolixæ orationis, ut sæpius dictum est; & memoro sæpe, istos scribas, ac Pharisæos, quorum sane cœcitas mihi videtur valdè apertiva oculorum.

Unum supererat, quod in hac tota tantus Magister Augustinus non præteriret apponere enim nobis possent ignoscendi facilitatem in Evangelio intimatam, Hoc porro abs re esse advertit Augustinus; *Ignoscendi autem misericors mansuetudo. inquit propter quam dictum est, non solum septies, Verum etiam septuagies septies fratri remittenda esse peccata, non ad hoc valet, ut sit iniquitas impunita, aut torpe, & dormiens disciplina, quod potius obsit, quam diligens, vigilansque Vindicta.*

Concludat itaque idem Augustinus lib. de Pastoribus cap. 3. *Absit ergo ut dicamus vobis, vivite, ut vultis securi estote, Deus neminem perdit &c. Etsi spectaculis volueritis oblectare animos vestros iste, quid mali est? & festa ista, quæ celebrantur per universas Civitates in lætitia conviventium & publicis mensis, & se ipsos, ut putant, jucundantium revera magis perdentium, ite celebrate: magna est Dei misericordia quæ totum ignoscat. Hæc si dixerimus forte congregabimus turbas ampliores, & si sint quidam, qui nos sentiant Hæc dicentes non recte sapere, paucos offendimus, sed multitudinem conciliamus. Quod si fecerimus, non verba Dei, non verba Christi dicentes, sed nostra erimus pastores nosmet ipsos pascentes, non oves.* Nota hic obiter singula, sanctos Dei omnes esse austeros; item multitudinem, eum plerumque secundum carnem, non secundum spiritum Vivat, non veritate, sed falsa adulatione conciliari; item paucos tunc ibi esse, qui inter verba Dei, & hominum, distinguerent: quæ tota differentia in doctrina, ut uno verbo dicamus, sola veritate, & falsitate constat: non plane constat, nec fieri unquam poterit, ut constet probabilitate: & quot quot falsa etiam probabilia dicunt, non verba Dei, non verba Christi dicunt, sed sua: pascene ergo semetipsos, non oves? vel audeat eo usque Probabilista aliquis, ut dicat, Verba falsa probabilia esse verba Dei. Quandiu ergo sanum, salvumque esse volent, quod Dei esse non potest.

§. VIII.

§. VIII.

Quid ergo ex his concludat cordatus quisque Christianus?

Dicet, opinor, sibi, strictam fore regulam, strictas doctrinas quibus judicandi sumus, ego etiam ipse credo, fixumque in animo habent Catholici omnes; hoc conscientia uniuscujusque, hoc confessio omnium testatur, & clamat. Atqui fieri non potest, ut stricta regula, doctrinisque judicari debeamus, & non eadem regula, doctrinisque vivere teneamur, cum mensura totius futuri judicii quoad substantiam, vel quasi substantiam, id est, quoad gloriam vel condemnationem ipsa illa mensura, & regula futura sit, quæ nos in vita nonc nostra obligat. Si laxius vivendum esset, vel vivere liceret laxius etiam judicandi essemus, & implicatio est vitæ regulam laxam esse; strictam vero regulam judicis. Concludit, credo, ergo stricta regula, doctrinisque vivere teneor. At hoc, inquit, me terret. Sed terruit, inquit, ipsos etiam sanctos Dei; & suo nos timore, ait Augustinus, terret Apostolus: Item cum timore, & tremore salutem nostram operari jussi sumus. Satius ergo est, verû nunc scire, quando prodesse potest scire, quam post, ubi sera erit pœnitentia; & consultius est modo dura, sed vera nosse, quam falli, & damnari.

Quin tesumet, iis ipsis doctrinis discutiendos nos haud dubiè, quas bonus Magister noster nos edocuit; quas ejus Apostoli, discipuliq; nobis posteris scriptas etiam consignarunt, quæ corda nostra à terra, à mundo, ac pompis ejus, à divitiis, à voluptate, & luxu avertant, ac sursum erigant. Hę ergo ipsæ, inquit, regula qooque vitę meæ esse debent: si hæ me damnēt, liberare alię nequibunt.

Imò subdit, & inquit, Deus judicans aliud vix est; quam Deus, resolvens post factum casus conscientiæ. Sic autem ante factum est resolvendi illi sunt, sicut post factum recte resolvuntur, id est, à Deo judicantur, cujus rectum est judicium. Si ergo hæc post factum Dei resolutio stricta est; si ut carnales vellent, si ut avari vellent, si ut ambitiosi vellent, si ut mundus, ac ejus sectatores vellent, non est; sicut & quando in mundo erat, & mundus eum non cognovit, non sic sed longe aliter, & contrarie locutus; profecto dubitari considerate nequit, resolutiones etiam casuum conscientiæ ante factum ejusmodi esse oportere.

Videmus subdit, in utroque testamento Deum casus conscientiæ judicasse; ac semper valde severum extitisse, ea quæ nobis vix peccata videbantur, peccata habuisse; quæ nihil esse videbantur, graviter me mulctasse; quis enim etiam modo pensi habuisset eam Davidis numerationem, & ex tanta populi multitudine securam elationem? Hic ipse Deus ait, casus meos judicaturus est. Frustra ergo erit, quod me fallam modo, si judicium demum ejus evadere non potero. Post facta quidem, scitaque Dei judicia, quæ justa esse supponimus, hinc inde rationes, causasq; justitiæ quærimus: at si nobis tacente prorsus Deo judicium commissum fuisset, siquidem etiam nunc magis credimus, ac stupescimus, longe profecto aliter nobis visum fuisset, & peremptoria est ea Augustini animadversio: *puto si humana consideratione ista metiremur, huic aliquantulum sufficere debuit erubescere*, qui tres judicio missus est in tenebras exteriores. De significato vestis Augustin. agit, sed ex veste ipsa significatum inducit. Vere enim dicit Dominus Isaj. 55. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neq; viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltata sunt viæ meæ, à viis vestris, & cogitationes meæ, à cogitationibus vestris.* Ergo resolutiones casuum humanis cogitationibus, viisque peractæ longè diversæ erunt, ab eis, quas viæ, cogitationesque Dei sacturæ demum sunt. Ubi longam resolutionem humana quadam consideratione, & æquitate factarum seriem conferre quis potest cum cogitationibus, viisque Dei, atque judiciis ab eo factis, datisque quasi responsis: & universim non est onde tutas eas vias existimet, quæ cogitationibus purè humanis constant. Etenim si scirem ego, discrepare plurimum, & sicut cælum à terra Theologias duorum ex judicio unius nihil tuto inferre possem de judicio, sententiaque alterius. At scit quisque multo plus discrepare judicia, sententiasque pure humanas hominum, & Dei. Nil ergo ex sententia unius inferre tuto potest de sententia alterius. Cavendum est ergo, ne resolutiones casuum, quibus vivimus, humanis puris ratiociniis constent.

Dicit sibi præterea hic Christianus noster: ecce sunt in mundo multi libri, qui contineant, tradantque sententias suorum Autorum. Liber sane ille qui Dei est & ejus sententias continet, & refert, non profecto per laxum, sed per strictum differt à sententiis librorum aliorum, ut ex adductis conspicitur. Ergo licet per strictum etiam errari possit, tamen per laxum cōcordari cum eo libro nō possumus; atque inter errandi utrumq; periculum eo declinandum est, quo liber ille ducit. Hoc scilicet compertum, exploratumq; est, conscientiam errare posse, & quod peccatum non est, peccatum esse existimando: itemq; existimando, peccatumq; non esse, quod peccatum est. At omittendo quosdam paucos, quos scrupulosos appellamus, & apprehensionibus magis, quam judicio rationis perturbantur, ac paucos alios, de quibus dicitur; beatus vir qui semper est pavidus, & loquendo de multitudine, hi raro, & rari in illud extremum declinant, ut peccata esse arbitrentur, quæ non sunt, sed magis in contrarium, neque per excessum, sed per defectum peccare, periclitarique solemus.

Atque hæc moralis assumptio patet ex dictis; nam vix forsitan in judiciis à Deo factis, quæ in libro suo referuntur, unus casus dabitur, in quo aliquid, quod alioquin nobis visum fuisset peccatum esse, pronunciatum à Deo sit, peccatum non esse: contra vero casus multos retulimus, & alios omisimus, in quibus sententia Dei fuit, aliquid peccatum esse, & peccatum mortale esse, qood nos alioqui, vel nullum esse peccatum, vel solum esse veniale, vel omnes, vel multi, vel aliqui existimavissemus; ut clare quisque videbit, qui non contentiose, sed Christianè, quæ allata sunt, considerabit. Patet ergo nos non in illud errandi periculum declinare, ut peccata esse censeamus, quæ non sunt. Sed potius in contrarium ut censeamus non esse, quæ sunt. Id quod præterea multipliciter ostendi potest, tum ex eo quod oculis cernimus, homines plerumq; non in timorem Dei nimium, sed in vanam magis confidentiam declinare; tum ex eo, quod etiam ex naturæ corruptione appetant naturaliter vivere secundum carnem, non secundum Deum; & etiam, quia ut ostensum fuit lib. 2. humana ratio non per excessum, sed per defectum est insufficiens ad excogitandam, vel fundādam rectam doctrinam morum; atq; consuetudo ipsa cum mundo, cui immersi sumus, sensim nos fallit, inducitque ad confidentiam ipsi.

Hæc

Hæc & alia principia moralie velde practica sunt, quæ persuadeant nos ad extremum illud plerumque deflectere minus justo timendi; & ut de paucioribus toto corde Deo inservientibus proverbium est, eoe culpem etiam ibi timere; ubi non est, ut Machabæi Sabbaro præliari noluerunt; ita de multitudine proverbium contrarium stetni potest à contrario ob dictas causæ. Regula ergo erit plerumque vere, extremum illud vitere, in quod frequenter impingimus, & essumere contrariam viam, per quem rero periclitamur.

Neque vero, de quo dictum est, & etiam dicetur, opponi debet hoc pacto terrendos niminm homines. Nam potiue & hæc elie nota veri, & falsi erit: quod via vere salutis talis necessario esse debeat, quæ eis salrem omnibus, qui vel in eam ingressi non sunt, vel ingredi nunc nituntur, timorem incuriat, difficillimaque, & aspera videatur; sin minus hoc ipso falsa esse dignoscitur; quod ex infinitis regulis Evangelii constat, & in ipsis terminis de via, & janua epertissime liquet, arctam alterem angustam esse, & peucorum, ac proinde asperum, nisi virtute, & cheritate dulcescat.

Sed ne eb ergumento hujus quæstionie proprio disgrediemur, peret, consideratione fururi judicis timorem incutere omnibus jam prorsus non stupidis, cœcisque. At via vera saluris, & regule vivendi deber elle illi conformis. Ergo timorem incutere debet, & rerrere; sin minus falsa, vanaq; esse evidentissime deprehenditur. Dictum est itaq; sæpe legem Dei, ac salutis viam, non de se, & ab iis, quæ præcipir blendam, suavem, mitemque esse; quod est verum notorium, quin eam esse viribus naturæ impossibilem: sed reddi & possibilem, & etiem suavem ex grerie Dei; Nem Deus, inquit Concilium Trid. nt. sess. 6. cap. tt. ex Augustino, *impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & fatere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis: cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, & onus leve; qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt, qui autem diligunt eum, ut ipse testatur, servant fermones ejus &c.* Ecce ergo unde mandata sint possibilia; ecce unde, & quibus etiam suavia. Quid ergo in rebus clarissimis nos morantur? Atque hanc totam hujus quæstionis doctrinam brevissime, & velut quodam pro ignorantibus proverbio treditur Prov. 28 *Viri mali non cogitant judicium: qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia*, ex quo, & aliis ibi concludit, non qnidem, beerus vir, qui non timet, aut simile, quod nullibi scriptum est, *sed beatus vir, qui semper est pavidus*, cheritas enim foree mittit timorem, servilem scilicet, non sane filialem.

QUÆSTIO XI.

Utrum etiam veritas moralis à quolibet, ut Augustinus dicit, inveniri per charitatem possit; & hec sit altera nota?

Origo illa, olim quidem Academismi; nunc vero usus probabilium omnium, quem totã in invenibilitate veritatis reponunt, quatienda est modis omnibus. Nunc eutem post alies tradiree veritatis, ex quibus ab Idiotis etiam facile deprehendatur, notae, & signa, denuo modue hic alius olim eb Augustino maxime declaretus, retractendus est ut dicere definãt, nõ modo falsas doctrinas regulam esse, quod rite intelligendo vix dici potest, sed vel sas saltem frequenter excusare fideles posse.

§. I.

Sensus, & intentio quæstionis.

Primum quidem de omnibue etiem ignotantibus, ac illiteratis, & non solum de sepientibus, aut professione talibus pertractamus: scitur enim scopum hujus libri esse, ut prolocuti sumus, leges Dei, atque præcepta ed unumquemque pertinentie, vel semper, vel salrem ut in plurimum per notas quasdem, & signe sua inveniti ab eo posse, etiemsi Idiote sit, ec barbarie ipsis, ut Chrysostomus loquebatur, berbarior: quemadmodum ab eiedem, qua instautia omnia edversantium argumenta semper effringimus, inveniri potest vera fides, & religio: etque has notas, signaque prosequimur.

Sensue porro quæstionis non est, num per charitarem ita inveniri veritas moralis possit, ut eam habenti nihil jam obstent, quæcumque ignoraverit; compertum quippe est, cum charitate non stare ullum peccarum mortale: quare si quæ ignorantiæ rerum, vel obligarionum gravium subessent habeti charitatem, illæ haud dubiè involuntariæ, & invincibiles, ac ex integro excusantes forent; nondum enim, ut quæst. super. dictum est, didicimus, peccata alioquin future mortelie, ex ignorentia reddi venialie, sed vel prorsus peccata esse definunt, vel mortelia remenent. Cum ergo in habente chariterem nullum mortale esse possit simul, plane sir, omnes ejus rerum vel obligetionum gravium ignorent es fore omnino in voluntarias, excusantesque ex toto.

Sed sensus, ac intentio Augustini, & nostra non iste est; sed medium potius, modumq; quærimus, quo ignorantiæ tollantur, & veritas inveniatur: Augustinus autem tredir, per charitatem eam inveniri. Ergo charites facit, ut veritatem ipsam, hoc est, legem Dei, & præcepta scire, nosseque possimus Non ergo intentio est chariterem habenti nõ obesse suas ignorentias (intelligo semper rerum gravium,) sed has ignorantias tolli, repellique per charitatem.

Hic vero de sensu Augustini una occurrit difficultas, ntrum differat de cheritate ipsa actu habita, an etiam de charitate non habita, sed mente intellecte, ec bene percepre, & apprehensa, etiem si actu non habeatur? Nem si Augustino solum est sermode habentibue charitatem, modus, & regula erit velde diminuta qua scilicet soli justi uti possint: non reliqui. Videremut deinde hoc pacto docere solum eos, qui jem sciunt; præterire autem ignoranres; hoc est, omittere indigentes, curere autem, qui non egent: nem si charitas ipse hebita docet, ac instituit, eam jam habentibus nihil opus est, ut dicamus, à charitare sue se docendos, & dirigendos; dirigentur enim nobie etiam tacentibue. Quapropter necesse est, Augustino sermonem esse de omnibus hebentibus, & non habentibus, & præcisivum ab utrisque, & universelem.

Dicimus itaque, charitarem dupliciter docere veritetem posse; Primo sumptam, objective, id est, intellectam, ac menre bene perceptam, & epprehensam; Secundo subjective recte noe efficiendo, & movendo, ac sic etiam suggerendo. Utroque modo docetur qui actu cheritatem hebet; qui non habet, solum primo. Secunda institutio elt quesi continua; Prime sine secunda plerumque, & ut in plurimum valde interrupta, & rara ex defectu bonæ affectionis subjecti.

Quibus

Quibus notatis, & nihil distinguendo, atq; universim loquendo dicimus, omnes prorsùs fideles vel semper vel saltem fere semper invenire posse veritatem moralem per charitatem: vel quia qui etiam ea carent, possent, si fortiter vellent eam bene apprehensam, & præsentem, quasi contione, seu quoties opus esset mente gestare, & sic Regi; vel possunt saltem ad ipsam charitatem, qua subjectivè, & objectivè dirigantur, pervenire, si volunt, notamus, tamen, à nobis haud excludi Magisterium exterius, quin ad hoc ipsum, quando, & quoties opus est, ducit ipsa bona magistra charitas, quæ quippe non inflat. Modo sic in genere statuenda, probandaque est primum conclusio; ac deinde magis practice declarabitur.

§. II.

Probat Doctrinam Augustinus.

AUgustinus sæpe doctrinâ istam statuit, quam plenius lib. de disciplina christiana prosecutus est, *locutus est*, inquit, *Dei sermo, accipite disciplinam &c. quid ergo hic discitur, & quare discitur? qui discunt, vel à quo discunt? Discitur bene vivere. Propter hoc discitur bene vivere, ut perveniatur ad semper vivere. Discunt christiani. Docet Christus.* Ecce omnia quatuor genera causarum explicate proposita, ac ipsam in terminis quæstionem nostram de doctrina morum: a qua sane disciplina christiana extrahere in primis possunt omnes opiniones falsas etiam probabiles, vel etiam certas solùm quoad nos sed falsas; nam disciplinam christianam discunt christiani, ac docet Christus; nihil falsum, nec ex quo falsum sequatur, docet Christus; nec proinde christiani qua christiani discunt: ergo nihil falsum in disciplina christiana continetur alia ergo ea doctrina est, in in qua falsa tradontur, nec Christus est, qui docet, quod reluctantur?

Primò ergo, subdit Augustinus, *quid sit bene vivere; deinde quæ sit merces bonæ vitæ tertio qui sint boni christiani; quarto quis sit verus Magister, pauca loquentibus nobis, sicut Dominus donat, audire dignemini, sed multi nolunt habere disciplinam*, &c. Sed aliquando irascetur Dominus, & peribunt à via justa, ac extra eam totam fient, atque deserentur.

Jam continenter Augustinus eam sibi objicit difficultatem, quam obloquuntur, ac olim protritam, quasi nihil umquam de ea scriptum fuisset, amplificant, veritatem scilicet inveniri non posse; ac proinde non ea sed ex probabili esse vivendum.

Quid est ergo, inquit, bene vivere? quid hic dicitur? audite, quid plane dicatur. Præcepta multa sunt, & innumerabilia. Præceptorum ipsorum paginas, vix quisquam enumerat, quanto magis ipsa, quæ voluit, tamen Deus propter eos, qui se possent excusare (excusationes videte vestras) vel quia eis non vacat legere; vel quia non norunt legere: vel quia non possunt facile intelligere, ut excusationem nemo habeat in die judicii, voluit. sicut scriptum est, consumare, & breviare verbum super terram sicut Propheta de illo prædixerat, verbum enim consumans, & brevians faciet Dominus super terram. Hoc ipsum verbum consumatum, & breviatum, nec obscurum esse voluit, ideo breve, ne non vacaret legere: ideo apertum, ne dicat, non mihi licuit intelligere.

Quid hic dicitis, Jansenistæ, qui Augustiniani prorsùs videri vultis? An ne in sensu innocentiæ abbreviavit Deus, consumavitque verbum, quod tanto postea se facturum promisit? & tunc quidem in hoc abbreviato verbo, totiusque legis compendio nosse cuncta poterant, qui non possent, aut non scirent legem, non vero non possunt? & Augustinus eo incumbit totus, ut doceat, non quomodo forsitam, Adamus, & Eva, qui soli statu innocentiæ potiti sunt, invenire legem possent? mihi credite: desipitis.

Jansenistæ itaque, & alii eis ex toto contrarii in eo conveniunt, & dicunt, multa, vel aliqua Dei præcepta sciri non possunt. Jansenistæ addunt; & tamen peccamus: contrarii dicunt, non peccamus. At neutrum Augustinus dicit, sed ut omnibus excusatio ad diem judicii tolleretur totam legem, totque præcepta, quæ numerari vix queant, docet, redacta esse à Deo ad brevem summam, & compendium, ideo breve, ne non vacaret legere, ideo apertum ne dicat, non mihi licuit intelligere.

Siquidem igitur utriq; ab Augustino discedunt, modo videamus, qualiter, & qualem summam paginas omnes libri legis redegerit Deus *Thesaurus ergo magnus est, inquit, divinarum scripturarum habes in se mirabilia præcepta multa &c. Sed quis poterit scrutari thesaurum istum; & uti eo, & pervenire ad omnia, quæ ibi sunt? Ne quis se non suis idoneum diceret ad perscrutandum thesaurum, continuo dedit aliam similitudinem: simile est, inquit, regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas qui invenit unam pretiosam margaritam; & vendidit omnia, quæ habuit, & emit illam; ut si piger es ad perscrutandum thesaurum, non sis piger unam margaritam sub lingua ferre, & quovis securum ambulare.*

Quid est ergo verbum consumans, & brevians? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. & diliges proximum tuum, sicut te ipsum, in his duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. Ecce quod discitur in domo disciplinæ &c. Non invenis parem Deo, ut possit tibi dici, Dilige Deum tamquam illum. De proximo inventa est tibi regula: quia inventus proximo par tu ipse. Quæris, quomodo diligas proximum? Attende te ipsum; non est, ubi erres, volo ergo, & jam tibi committere proximum tuum, ut diligas eum, tamquam te ipsum &c. Proximus est homini omnis homo. Ac rursùs: *nihil tam proximum, quam homo, & homo, & iterum: & quidem fratres secundum quod homines sumus; quanto magis secundum quod Christiani sumus.*

Quoniam vero proximum unicuique committere, ut diligat tamquam se ipsum, & sæpe etiam sacer textus ad unam dilectionem proximi universam, legem revocat, inquirit, quinam se ipsos diligant? non scilicet qui turpitudines exercent, non qui se inebriare volunt; *nam qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Concludit ergo, eum se diligere, qui habet sursum cor. *Quid est*, quærit, *sursum habere cor? nisi quod dictum est prius, diliges Dominum Deum ex toto corde tuo &c. quia ergo duo præcepta sunt, si unum diceret, non sufficeret.*

Sufficit & unum, si intelligatur. Nam aliquando sic loquitur scriptura, sicut Paulus Apostolus; non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis est charitas. Quid est charitas? Dilectio. Nihil videtur dixisse de dilectione Dei &c.

Videte quomodo plus breviatum est: & adhùc pigri sumus, ecce quæ duo erant, unum factum est. Prorsùs proximum dilige, & sufficit. sed dilige, quomodo te ipsum diligis: non quomodo te ipsum odisti. Dilige proximũ tamquam te ipsum, sed prius est, ut diligas te ipsum. Hæc sanè, hæc sunt, & similia, quæ S. Patres de disciplina morũ tradiderunt, Deum esse amandũ toto corde, ac proximum tamquam nos, nõ raro, aut vix umquam eum diligendum; quin summam, & compendiũ totius rei moralis traditurus aliud non occurrit, quod dicerent, nisi in his duobus mandatis universa lex pendet

 Q

& Prophetæ. At hanc brevem lectionem, ac summam sciunt catholici omnes. Ergo si exequi nolunt,atque hoc sibi compendium babere præsentissimum non habent sua culpa est, quod ignorent plurima: nam omnis duobus clarissimis verbis, vel etiam uno complexus est Dominus.

§. III.

Eodem prorsùs modo philosophatur etiam Chrysostomus.

Plena sublimis sapientiæ est Homilia *s.* Chrysostomi in Matt. In sequitur ibi philosophism moralem Philosophorum,Platonis, Zenonis, & alia. Quidam qui ad pauca sanè respiciendo pronunciare videntur,ac vix aliud considerare quam quæ apud nos vident,eam sibi distinctionem præfigere solent,ut alia præcepta ea esse dicant, quæ sunt in Decalogo sumpta sine novis circumstantiis,& horum nolunt esse ignorantiam invincibilem saltem diuturnam,etiam apud Barbaros: alia dicunt esse non ea expressa in Decalogo, sed latentiora, vel ipsa etiam expressa in Decalogo sub novis quibusdam circumstantiis,atq; horum ubique admittunt ignorantias invincibiles.Ea origo ita philosophandi fuisse videntur,quod apud nos videant, ea prima vix à quoquam ignorari; at ignorari posteriora; quasi vero non sint ignorantiæ etiam vincibiles, & eadem sit ubique, & omnium possibilitas naturalis.

Quidquid sit,satis lib.1.& 3. de hujus divisionis insufficientia dictum fuit, ostensumque factis notoriis, multa contra expressissima Decalogi non modo bona existimata fuisse non solùm à Barbaris,sed acutissimis etiam Gentium, quin etiam in ipsam suam religionem conversa. Nunc vero in hac ipsa homilia Chrysostomi videre possunt,de quo etiam latissime in libris Politicorum ab Aristotele disputatum nosse potuissent, ipsos Philosophorum quasi apices,Platonem,Zenonem,ac alios,qui de Republica scripserunt, eam optimam, felicissimam, beatissimam censuisse, in qua patrimonia,& ipsa etiam conjugia essent communia,& omnes omnium uterentur uxoribus,nudasque,ut ait Chrysost. *Virgines ad palæstram ducebant.* An ergo hæc,quæ suæ Philosophiæ velut cardines erant, ignorare diu non poterant mala esse,facilius multo, quam ignorent christiani multorum contractuum usuras,& malitiam?Non enim opinor, difficultas rerum ex rebus solùm ipsis pensatur,sed vires præterea unicuique concessæ æstimandæ sunt. Non erga unam pro christianis,& cæcis gentibus divisio regulaq; assignanda fuerat, & si ab ignorantia etiam diuturna ad ignorantiam vincibilem apta est consecutio, ita gentibus imò magis expressa ipsa Decalogi ignorari invincibiliter potuerunt,quàm à christianis,maxime vero à catholicis alia latentiora.Ex Platone vero,Zenone,ac similib.obvia est consecutio à fortiori ad populum.

Hoc ergo ex loco in sequitur Chrysost.Philosophiam Gentium,quo nonnihil disgressus sum, ut totius doctrinę nostrę secum,ac cùm doctrina sanctorū concordia ubiq; constaret,nec nunc de moribus philosopharemur, quasi nunc primò mundus esse cœpisset,nihil hominum priorum mores, & facta, ignorantiasq; contemplando, aut sanctorum doctrinam prætermittendo decerneremus.

Insequitur præterea Philosophorum de moribus doctrinam propter ejus sciendæ, intelligendæque difficultatem:quod instituti præsentis est: & inquit: *Propter quod ibi præter lasciviam morum, multa etiam dictorum obscuritas,& caligo est,& ad intelligendum grandis afflictio. Quid enim irrisione magis dignum, quam illa disciplina* (videant adversarii, num hanc ipsam labem Theologiæ morali affingant) *in qua,ut cætera omittam,cum innumeris versibus Philosophus disputaverit multa,& obscura oratione suam cumulat prolixitatem dicendi,ut quid sit justum possit ostendere. Ita etiam, ut utile si quid haberent, tanta tamen obscuritatis titulo valde ad vitam hominum esset incommodum. Si enim agricola, vel ærarius, si faber aliquis, vel nauta,aut quispiam cæterorum, qui manuum suarum opere passantur, velit quidem ab arte propria discedere, ut consumptis tot annis studeat, quid sit justum: & forte antequam discat, interimatur fame, peregrinatur profecto propter hoc justum.*

At non etiam nostra sunt talia. sed justum honestum,utile, omnemque omnino virtutem in paucis syllabis in brevibus verbis, atque manifestis nos Christus edocuit, tum dicendo, quoniam in duobus mandatis tota lex pendet,& Prophetæ, id est,in Dei proximique charitate;tum jubendo, quæcumq; vultis,ut faciant vobis homines,hæc & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ. Quæ certè & servo, & rustico,& & viduæ, & puero, & ei qui valde videatur imprudens esse, facilia ad intelligendum sunt,& prorsùs exposita. Tales quippe sunt sententiæ veritatis, idq; exitus ipse rerum testatur. Siquidem omnes fere, quæ sunt agenda didicerunt &c. Ubi alia etiam prosequitur.

Hæc est doctrina sanctorum hausta ex Evangelio veritatis. Tu dicis,justum ipsum scire non possumus;veritas ipsa dignosci nequit in tam longa de justo,& injusto quæstionum catena: ideoq;ubi ex rebus ipsis non possumus, opinione vivendum est Doctorum. Hoc,inquam,tu dicis: sed contrarium dicunt, & ex Evangelio probant,ac manifestissimū etiam esse censent summi viri, Doctoresq; Ecclesiæ. At forsitam id Gentes latuit,ut siquidem justum ipsum scire nequiret,suppleretur, per probabile,& id quoad mores justum esset,quod quælibet florentiū tunc scholarum, sectarumq; statueret:sed enim exurgit Academia, & jā olim. & hoc à se excogitatum inclamat,nec ita quidem large, ut quælibet cujuslibet scholæ placita inter ea probabilia reponeret,ex quib.consilia capienda essent agendi,& nō agendi,sed tantummodo ea,quę illustrē veritatis visum haberēt, ut latè explicatū fuit.

Eandem Chrysost. doctrinam sæpe ingeminat hom.23. in c.3.ad Rom. *dilectio proximi malum non operatur: consummatio itaque legis est dilectio? Neutrum ex uno latere abstinentiam à malo: malum enim operatur: ex alio bonorum efficacem operationem, consummatio enim, inquit, legis est dilectio: non solùm faciendorum nobis doctrinam breviter inducens, fed & ipsorum exhibitionem facilem faciens.*

Item hom.20. in ep.1. ad Cor. c. 8. *scientia autem inflat, charitas vero ædificat,itaque qui cum charitate non nititur, venit in stultitiam. sed neque charitas, inquit, sine scientia aliquid lucri habet. Non tamen ita locutus est, sed tamquam consentaneum omittens, majorem in modum hoc illius indigere ostendet. Qui enim diligit, ut pote maximum adimplens præceptum,& si quid ei deficiat, quam primùm propter charitatem scientiam consequitur.*

Postremò in cat.S.Thomæ ad c 7.Matt. *cum autem Dei verbum Dominus Jesus Christus omnibus veneris, præceptorum suorum fecit grande compendium, cùm dixit quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Ecce quod genus moralis compendii pro omnibus, qui pro omnibus venit Dominus Jesus composuerit, atque ex ipso acceptum sancti ejus consignaverint: quod pro-

profecto si sciatur,& teneatur,vel cuncta scientur, vel facile,quæ desunt,addiscentur: quod si præteteatur,erimus velut æs sonans,aut cymbalum tinniens.

§. IV.

Contestantur cæteri quoque Doctores.

DAbo in omnium specimen præcipuos quosq; & primum à Breviario incipiamus, in quo plus me de recta morum doctrina didicisse,quam in libris illis,in quibus vix ullus scripturæ,& sanctorum usus est,libenter non semel confessus sum; in hunc enim etiam finem sancta Matee,ac Magistra Ecclesia annuale officium tanto sapientiæ ordine disposuit,& ut ex illo & orate instituéremur, & de fide,& mòtibus quidquid ferme nosse oporteret,obvium,promptumque haberemus, sed una sola opinióne hoc toto bono defraudamur.

Beatum Joan. Evangelista(inquit in breviario Hieronymus; *cum Ephesi moraretur usq; ad ultimam senectutem,& vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur,nec posset in plura vocem verba contexere nihil aliud per singulos solebat proferre collectas nisi hoc: filioli, diligite alterutrum.Tandem discipuli & fratres,qui aderant,Tædio affecti,quod eadem semper audirent, dixerunt, Magister, quare semper hoc loqueris? qui respondit dignum Joanne sententiam;quia præceptū Domini & si solum fiat, sufficit.*

Hærendum plane hic esset, ac profunde considerandum, scivisse utique Joan. Apost Theologiam moralem;& totum in hoc uno fuisse,quo scil. prætermisso nec bonus Christianus esse quis potest,& si solùm fiat, sufficit,non sanè quasi eo facto nihil esfeeat, si cætera omittantue, ac perturbentur,sed quia plenitudo legis est dilectio,ac ea habita in ecliquis,vel numquam vel raro offendi possint,& quando raro offenderetur, ignorantia neq; diuturna erit,neque voluntaria,ut magis exponemus. Quidam tamen hoc peimum, unde eeliqua scienda sunt,tollere videntur, & diliges ita interpretantur,hoc est,mutant, & corrigunt, non odio habebis.Quæ certè negatio odii, vel aversionis in primis solùm docere. poteris malum non facere, non autem bonum facere, neque legem implebit, sed semi legem. Deinde difficile ad malum non ibitur, si dilectio non firmet in bono.

Rursùs Hictonymus epist.1. ad Demetriad. de virg. *impossibile est enim ei quemquam placere, cui quid placeat,ignorat* (ecce vestras ignorantias, quam tam nihili interesse,& obesse diciis) *fieriq; potest, ut etiam obsequendi voto offendat,cui quomodo obsequi debeat, ante non didicit,& ut majus est voluntatem Dei facere, quam nosse,ita prius est nosse,quam facere.illud enim merito præcedit hoc ordine.Unde Propheta dicit,& tu Israel,noli ignorare,& Beatus Paulus:qui antē ignorat,ignorabitur,itemque alibi: propterea nolite fieri imprudentes,sed intelligentes,quæ sit Dei voluntas.* Ignoeat autem,ac vere nescit, qui probabiliter fallitur,ac proinde errat, & plusquam ignorat.

Scito itaque,subdit,nec Theologum,sed virginem Demetriadem alloquitur.*scito*,inquam,ait, *in scripturis divinis,per quos solis potes plenam Dei intelligere voluntatē. prohiberi quædam,præcipi quædam,concedi aliqua, nonnulla suaderi.Prohibentur mala,præcipiuntur bona conceduntur media perfecta suadentur,in duobus illis,quæ prioris loco sunt,peccatum omne concluditur:in utroq; enim Dei continetur imperium.Generaliter namq;omnibus mandatur justitia,quam salvator in evangelio breviter quidem, sed plenissime comprehendens ait:quæcumque vultis,ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Modo inquis,virgines,& fæminæ scripturam,ex qua Dei voluntatem intelligant,nō habent in suo vulgari sermone. Sed excusationea sunt istæ: satis multa audiunt in ecclesiis,& sæpe hoc unū. ex quo lex tota pendet, & Prophetæ;quasi adornarum vanum,vel nobilitatem suæ familiæ pertinerent, satis firma in animo,ac practice retinerent, & quæ deesse possent, perquirerent.

Eandem doctrinam tradit l.3.comment. in c.5. ad Gal.latius vero exemplo etiam rem declarat in præfat.ad cantic. quo forte nos exemplo inferius utemur; & alia ex eodem;item ex Aug.alia confert Magistee sentent.in 3.dist.36.Ambros.de obitu Theodosii inter multa alia ait: *ergo decedens è terris pia anima,& sancto repleta spiritu,qui si interrogantibus, quæ sibi occurrerent cum se ad sublimia,& superna subrigeret, dicebat dilexi. Interrogabant Angeli vel Archangeli, quid egisti in terris?* (occultorum enim solus cognitor Deus) *dicebat,dilexi,hoc est dicere legem implevi,evangelium non præterivi?*

Denuo August.in Ps.79 *quomodo*,inquit,*ero plenitudo scientiæ?&c. Noli per multa ire,atq; distendi.Terret te ramorum diffusio? Radicem tene,& de Magnitudine arboris noli cogitare si ante charitas:& necesse est plenitudo scientiæ consequatur.Quid enim nescit,qui charitatem scit?* Brevissimè alibi: *ama,& fac quod vis*.Non certè nihil interest, quæcumque alia facias,vel omittas. Absit sed quod superius dixeeat: ama, & non est ubi erres:seu ut dicebat nupee:*quid enim nescit,qui Charitatem scit?* Ama itaque, & fac quodvis.

Clemens Papa epist.1.ad Jacobum fratrem Domini:*& ne omnia nunc singulatim, ut dicam,omne bonum ipsa per se si in vobis fuerit, charitas facere vos docebit: sicut è contrario eos, qui à saluta alieni sunt omne malum facere odium docet.*

Hilaeius Pictavi in enarrat in Ps. 120. *nam & tolerantia persecutionum, & formido verborum, & latria eloqui.& laudatio justitiæ,& omne omnino, si quod aliud mandatum in lege est,in hujus tantum præcepti observatione concluditur: diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Iterum Hieron.ad c.30. Isaiæ : *qui pro laciniosis legis observationibus, & mandatis in uno verbo recapitulavit omnia. Diliges proximum &c.*

Basilius lib.eegul. fusius disputatat. ad 1. interrogationem:*verum enim illud scire nos convenit,cum re ipsa hæc una tantummodo virtus sit ejusmodi tamen inesse ejus vim,ut cætera mandata omnia conficiat,atque comprehendat Qui enim diligit me mandata mea servabit*: & itē *in his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ*,& in c.10.Isaiæ.*Diliges Dominū* &c.*Qui igitur ex usu perficit verbum ipse complens opere,ipsumq.abbreviat, ac veluti in summam colligit ejus latitudinem,quam paucissimis mandatis comprehensam,hic adscribitur*,&c. *Ait Dominus, omnia quæcumq, volueritis ut faciant vobis homines &c.* & applicat sicut Augustinus,*quia verbum abbreviatum faciet Dominator Dominus* Frustra est , quod de Bernardo quidquam adjungam,qui ut intee alios memorat Pater Stephanus Binetti amoris divi discipulus habitus est, ac citra aliud pæne Magisteeium in eam sapientiæ plenitudinem devenit·unde illud ejus axioma: *vis scire , quæ nescis ? Ama.* Hæc sunt sanctorum Moralia principia, non quæ mundo,aut carni,& sanguini indulgent, sed quæ animam virtutibus ædificent, & à terra ad cœlos, & nos, & mores nostros exigant.

S. Thomas lect.2. ad c.13 ad Rom *manifestat*, inquit,*propositionem medio syllogismo Qui diligit proximum , malum non operatur , sed ad hoc tendit omne legis præceptum ut abstineatur à malo. Qui ergo diligit proximum,legem implevit. Quod autem dilectio proximi malum*

non operetur, *habetur* 1. ad Cor. c. 13, *charitas non agit perperam,&c. quocumque autem modo hic accipiatur malum, vel pro malo transgressionis, vel etiam omissionis, poterit hoc referri, non solùm ad præcepta negativa. sed etiam ad affirmativa*. Eadem tradit ad Rom.9. lect.3. ubi illi qui verba arripiendo vanissime Philosophari solent, habent unde discant eam Apostoli clausulam, *dilectio malum non operatur*, non solùm in abstracto, quod omnibus virtutibus commune est, sed etiam in concreto veram esse, ut S. Thomas accepit, *qui diligit, malum non operatur*; nec nisi hoc pacto Apostolus intentum concluderet, scilicet plenitudinem legis esse dilectionem.

Gregorius hom.24.in Evangelio, *quia enim ut præfati sumus Cherubim plenitudo scientiæ dicitur, & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est charitas, omnes, qui Dei, & proximi charitate cæteris amplius pleni sunt meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt.*

Lib.3. Dialog.c.37.postquam retulit illustre facinus sanctuli parati animam suam pro fratre ponere, ac miraculo à morte erepti, subdit: *fratres certè. quia idem venerabilis sanctulus ipsa quoque elementa litterarum non bene noverat, legis præcepta nesciebat; sed quia plenitudo legis est charitas, legem totam in Dei, proximiq; dilectione servavit & quod foris in cognitione non noverat, intus in amore bibebat, & qui numquam fortasse legerat, quod de Redemptore Joan. Apost. dixit, quoniam sicut ille pro nobis animã posuit. sic & nos debemus pro fratribus animas ponere, tam sublimè Apostolicum præceptum faciendo magis, quam sciendo noverat. Comparemus si placet, cum hac nostra indocta scientia illius doctam ignorantiam.*

Athanasius in c.13.ad Rom totam legem, ait, implet, qui proximum amore prosequitur &c. Enim vero, & mandatorum summam brevibus explicat: virtutis namq; ut principium, ita & finis est charitas. Atq; in hunc modum uno ore cordeque sancti Dei morum doctrinam ad hanc brevem summam convertunt: quam tantam charitatis vim ac magisteriũ divini amoris igne succensus totus Ignatius aut ignorare, aut præterire non potuit, cujus proinde præceptis, directioneq; potissimum suos regendos, gubernandosq; filios, sapienter in proœmio constitutionum supposuit: sed si semel solum in vita, vel semel solum in triennio in amore isto exerceri teneamur, profectò hac vi potissima sublata regiminis, & directionis, reliqua non sufficiant, necesse est. Sed consilium est, inquis, ut frequentissime exerceamur, hoc est, consilium est, & non obligatio, & in suo quisque instituto rectè regatur, guberneturque, sed de his inferius.

§. V.

Quam mire cum doctrina ista congruant scriptura.

EXcitanda est sane ubiq; fides tum ut rectè vivamus, nam justus ex fide vivit, tum ut rectè doceamus; nam credidi, inquit Paulus, propter quod & locutus sum. Hic itaq; firmissime credendũ est, scripturas divinas esse verissimas, nec quasi casu scriptas, sed ad nostram directionem, & salutem missas, ut tractavimus, à cœlo litteras, ex quibus, velimus, nolimus, oscitemur, judicandi prorsùs immisimus.

Primum ergo Dominus Matt.7. ut S. Patres præc. §. ponderarunt, absolutissime pronunciat: *omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ*. Hoc est, quæcumq; vetus testamentum continet, ac Prophetæ de lege etiam gratiæ prædixerunt, ut mox idem Dominus, ejusq; Apostoli clarius intimant. Neque ut quidam immerito commisisse videtur, hoc Domini præceptum cum communiori illo coincidit, *quod tibi non vis alteri ne feceris*, sed sublimius multo est: nam hoc de malis non inferendis est; illud de bonis etiam conferendis, & faciendis. Deinde hoc negativum fundamento suo caret, scil. dilectione; nam ubi ista non est, facile ex naturæ corruptæ inclinatione ad malum, vel ultro inferendum, vel malum saltem pro malo reddendum abripimur. Quare quemadmodum dicunt logici, ex puris negativis nihil sequi, ita fermè per præcepta solùm negativa, quale est illud. *quod tibi non vis* &c. Nisi ab affirmativis vim, roburque accipiant, nec mala ipsa diu & constanter caventur, ut etiam part.1.q 2. tractatum est, & exitus certè rem probat: nam aliqui præcepta solum negativa in concionib. inculcant: affirmativa orationis & alia, maximè dilectionis aut prætereunt, aut necessaria esse vix docent: & ideo ad pristinam vitam satis cito pleriq; redeunt.

Bonus itaque Magister affirmativum præceptum posuit: *omnia ergo quæcumque vultis*. &c. ubi sane ex dilectione facienda subintellexit, idcirco Matt.22.explicatissime dixit: *in his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ*, scilicet in dilectione Dei, & proximi, velle autem ablata, vel prætermissa dilectione habere rectitudinem reliquorum morum, perinde nobis est, atq; velle conclusiones, scientiamq; constare, aut demptis, aut prætermissis principiis. Aliunde vero plus docet charitas rectores mores, quam principia conclusiones, ut dicam qu. seq. nisi memoria defecero. Implet ergo legem, & Prophetas, ut veritas ait, qui Deum, & proximum, qualiter jubetur, diligit.

Apostolus clarissime doctrinam totam exhibuit: ad Rom.13. *nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam, non adulterabis: non occides: non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone instauratur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

Largius plane ista interpretari quidam videtur, nec totam, quantam sublimem doctrinam haurire, non enim aliud per hæc omnia tradi putant, quam vel cæteras virtutes sine charitate non prodesse, nec sufficere; vel etiam eas à charitate, dilectioneque robur accipere; vel cum charitas sit finis legis, eam quasi ultimo advenientem implere omnia, & habito fine nihil deesse.

Sed quamquam hæc dicta omnia vera sint, non ea, sed prorsùs aliud Dominus, Apostolusque loquuntur, & S. Patres hac qu. intellexerunt, scilicet, habentẽ charitatem, ac proximum, sicut se ipsum diligentem, vel directione solùm subjectiva, ut de sanctulo referebat Gregorius, vel subjectiva simul, & objectiva scire, exequique omnia bona præcepta, & vitare mala prohibita, & hanc dilectionem esse summam, compendium, epilogum præceptorũ omnium, ut S. Patres contestabantur, & qu. seq. latius exponemus. Quæ sanè regula vel semper, & de præceptis sine exceptione omnibus est vera, vel saltem vera est plerumque, & in plurimum ac fere semper. Explicuimus scilicet superius omnem assertionem universalem significare, vel objectum ait semper esse sine exceptione: vel saltem ita esse fere semper: atque in re morali propter materiæ defectibilitatem legitima esse quædam asserta universalia, & si raro aliquando deficiant, nam ex subjecta materia subintelligitur hæc rara defectibilitas. Quare quod dicit Dominus

nus

nus, quod ingeminat Apostolus, quod loquuntur S.Patres assertis universalibus, ita sit, necesse est, vel semper prorsùs, vel saltem fere semper.

§ Apostolus itaq; post eam præceptorũ factam enumerationem, & eo etiam addito, *& si quod est aliud mandatum, in hoc sermone, inquit, instauratur: diliges*, &c. h.e. *recapitulatur*, ut sæpe vertit Augustinus; & Ambros. legit. *consummatur.* Sciebat porrò August. quod esset recapitulare; ac sæpe ipse in operib. suis fuisse dicta recapitulare solet, i.e. ad brevem summã epilogumq; cogere: atque hoc sensu S.Patres superius documẽta ita intellexerunt, ac inter alia dedimus nobile, & scholasticum commentarium S. Thomę.

Idcircò idem Beatiss. Apost, ad Gal.5. repetit: *omnis lex in uno sermone impletur, diliges proximum tuum, sicut te ipsum:* & in Græco significatur, *in summam hujus verbi rediguntur:* & ep.6. *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et 1. ad Cor 13. hoc idẽ plenius prosecutus est, ut dicemus. Quo autem modo duo præcepta charitatis ad unum toties redacta sint, alte, & subtiliter Aug explicuit §.2. & certè de eo, qui Deum non diligit, cum eo ipso se quoq; non diligat, nã prave diligit, ac sic odit est de subjecto non supponente, quod Apost. denunciat, *diliges proximum tuum. sicut te ipsum:* Hoc ergo supponit, quod te diligas: supponit ergo, quod Deum diligas, *si enim male amaveris, tunc odisti*, &c. ut ait Augustinus.

Magni ego facio, & plurimis quam Metaphysicas, ut vocant, quasdam institura quæq; Ecclesiæ vel universalis, vel etiam particularis, ubi contra universalem non sunt, ut ex August. alias dicemus. Porrò per universam saltem Hispaniam hoc moria in instituendis pueris servatur: memorantur primum decem præcepta Decalogi; & mox subdimus: *estos dies mandamientos se encierran en dos, en amar à Dios sobre todas las cosas, y al proximo como à ti mismo.* Hic sanè est sensus naturalis. ac promptus dictorũ Domini, atque Apostoli: *se encierran*, significat, epiloguntur, & quasi ad hanc summam, compendiumq; rediguntur. Apostolus autem addidit post suam numerationem, *& si quod est, aliud mandatum*, omnia ergo in eo uno sermone quasi in brevissimo cõpendio clauduntur, summantur, continenturq;.

At dicis, ego non assequor, quo pacto unus hic sermo omnia tradat, doceat, ac impleat. Verum parum refert, quod tu non intelligas, neq; ego; quasi vero ea solum locutus sit, loquiq; debuerit. quæ tu intelligere, & ego; & alioqui pro non dicta habenda sint, quæ dixerit. Absit stultitia, ac impius fastus, nostrum ergo sanctè credere; & sic aliqua, vel etiam multa, ut Dominus donavit, intelligemus, explicabo autem quæ seq. quot modis, & quanta doceat charitas: & si mihi homuncioni ea innotuerunt, quæ traderem, firmissime credendum est, viros Dei, ac Eccles. Doctores, plurima alia, si de eo interrogarentur, habituros, quæ conferrent.

Joan. Apost. prædicator mutuæ dilectionis multus est in hac re. Primò ut visum est, per singulas collectas hoc unũ intimabat, *filioli diligite alterutrũ*, fere usq; ad nauseã discipulorum: at si in hac summa non continerentur reliqua, valdè diminute, insufficienterq, instituisset, & certè quicumq; mores hominũ introspiciet, hanc mutuam dilectioné inprimis optet, ac desideret, modisq; omnib. promoveat, necesse est; parũ enim, & rara signa hujus dilectionis cernimus ut in plurimũ, sive in factis, sive in verbis, ut corda prętereamus, quæ dominus videt.

Deinde in Evangelio c. 13. *mandatum novum do vobis ut diligatis invicem; in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, omnis ergo, qui sic diligit, discipulus Christi est; sin minùs non est: discipuli autem Christi non sane ignorant, sed optimè instituti sunt. Patet ergo, quod cùm charitas ad voluntatem pertineat, & hinc solùm laudanda videretur, non tamen sic, sed de scientia etiam per eam communicata commendatur, quæ scil. discipulus Christi facit: ergo scientes doctrinam Christi c.15. *hoc mando vobis, ut diligatis invicem.* Multa mandat, & unum mandat, quia omnia in hoc sermone instaurantur, summantur, recapitulantur, c. 16. *cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, venit autem ad nos per charitatem, seu in charitate, per hanc ergo docet nos omnem veritatem.

Et c.14. *si quis diligit me, sermonem meum servabit.* At qui nescit, non servat: unde enim serves, quę ignoras? scit ergo ac noscit, qui diligit. Iterum: *Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Hæc sanè omnia necesse est, ut sint vel prorsùs sine exceptione omnia, vel saltem fere omnia. Nam ut fuit ostensum particula, *omnia omnem*, aut alia universalis locum non habet, nisi vel omnia prorsùs, vel saltem ferè omnia ita se habeant: & in utroq; sensu sunt in scriptura asserta universalia, ut de secundo probat S. Prosper de vocat. Gent multis exemplis. At vero ad universales locutiones non satis est, multa inferiora ita se habere, si multa etiam licet aliquanto pauciora aliter se habeant. Quare si ex centũ matribus sexaginta filios suos diligerent, aut ex centum hominib. dormirent, aut currerent sexaginta, non rectè diceremus omnes diligere, aut dormire, aut currere, sed Joannes Apostolus particulis utitur universalibus, *omnem veritatem, omnia.* Ergo charitas, vel omnem prorsùs sine exceptione, vel fere omnem saltem veritatem docet, quin ad faciendam exceptionem magno fundamento opus erit: de quo tamen nolim tractare, nec alterutrum determinare, sed scientioribus determinandum relinquere.

Hinc consequenter ep.1.cap.2. de eodem novo mandato scribens, *quia tenebræ transierunt*, inquit, *& verum lumen jam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usq; ad huc, qui diligit fratrem in lumine manet. & scandalum non est in eo.* Hoc Joan. discriminis ponit inter odio habentẽ, & diligentem fratrem, quod est in naturalib. inter tenebras & noctem, ac inter lumen, & diem; ergo sicut qui ambulat in tenebris, & nocte, nescit, quo eat; scit autem qui in die, lumineq; ambulat & si ignorat, saltem quęrit, & invenit, ita qui fratrem odit, cum adhuc maneat in tenebris, nesciet quo eat, ut ipse Joan. ait, h.e. nescit, non videt, quæ se agere, aut vitare, aut quærere oporteat: cõtra vero qui fratrẽ diligit, in media luce, & sicut in die ambulat: videt ergo. quæ prosequi, quæ declinare, quæ quęrere debeat, scandalum rursùs in eo non est; sive de activo, sive de passivo sermo sit; nam si de passivo, quidquid alii faciant, scit ipse, firmusq; est, quia agere debeat. Si de activo, nemini dat offensionem, aut scandalum. Si porrò mala operaretur, & si non male, sed citra culpam propter ignorantiam invincibilem, profectò scandalum poneret: non enim scandalo alteri est, quod latet, scilicet ipsa voluntarietas, vel vincibilitas ignorantiæ, sed opus ipsum pravum, quod videt. Ergo si diligens fratrem, mala opera per ignorantiam invincibilem perpetraret, citra culpam quidem, sed tamen scandalum esset meo. At hoc negat Joannes, ergo qui

diligit fratrem, malum non operatur, nec per ignorantiam invincibilem, ut ex Apostolo iterum urgebimus.

Idem Joannes eodem cap. 2. *vos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia. Non scribo vobis quasi ignorantibus veritatem*, & infrà: *& vos unctionem, quam accepistis, maneat in vobis; & non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est non est mendacium*, cap. 3. & 4. eadem ingeminat, *filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate, in hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus.*

Cap. 4. jubet non omni spiritui credere, sed probare spiritus, urrum ex Deo sint: *quoniam multi Pseudo Prophetæ exierunt in mundum.* Ad hos veritatis, & erroris discernendos spiritus duas tradit regulas, alteram plenæ fidei in Christum; alteram charitatem. *Qui novit Deum*, inquit, *audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus spiritum veritatis, & erroris. Charissimi diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est; & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum*, in hoc ergo cognoscet spiritum veritatis & erroris.

§. VI.

Cavendus est tamen instinctus internus hæreticus, seu sensu hæretico.

HIc sunt duo extrema, in quæ impingere quis queat tam in doctrina fidei, quam morum Alterum est hujus temporis sectariorum, per instinctum internum uniuscujusq; omnia judicantium, & decernentium, Alterum esset, si ut sectarios declinares, verbo, aut facto totam istam Joannis Apostoli doctrinam aut negares, aut eluderes, aut velut phantasticum quidpiam exciperes, ac prætetires, vera itaque sunt, & realia, & practica, quæ Joannes tradit: falsa autem, quæ sectarii; atque unum tollendum non est, ut alterum statuatur.

Haud tracto ego nunc, de quo alias egi de interno isto instinctu hæreticorum, seu eorum sensu refellendo, sed ab eo breviter & Joannem, & doctrinam nostram vindico, nequis hinc nos capiat. Sectarii igitur hæc maxime documenta Joannis, & alia Apostoli arripiunt, indeque quemdam novum superbum, totiusque Ecclesiæ destructivum instinctum internum cudunt, & unicuiq; tribuunt, quod sit velut supremum rribunal, ut judicium totiua doctrinæ fidei, & morum, & omnium ad conscientiam pertinentium rerum: nolunt quippe cuiquam subjicere, aut esse subjectum hunc uniuscujusque instinctum. Unde monstra multa secuta sunt, primùm inaudita antea multiplicatio sectarum, & hæresum: deinde quod nec uni Romano Pontifici hanc de doctrina judicandi authoritatem concederent, omnibus demum viris, & fæminis eam concesserint: ac series longa absurdissimarum rerum consequitur ordinis totius, ac structuræ ecclesiæ destructiva contra expressas scripturas, & prima elementa christianæ religionis, de quo ut dixi, alias plenius tractatum est.

Nos itaq; istam spiritus sancti unctionem, charitatisq; directionem, & magisterium adstruimus more orthodoxorum Doctorum. Primum namque eam solis habentibus charitatem donamus, de quibus scilicet sacer textus eloquitur: quam enim, ut §. 1. annotavimus, charitas sumpta etiam objectiva, ac mente bene apprehensa, atq; percepta plurimum instituat. Hæc tamen institutio propter multa est insufficiens, præsertim cum iis, qui dilectione caret, alium aliquem affectum præcipuum, quo alio ducatur habeat in corde. Nihilominus doctrina est ad omnes, quia qui non diligunt, diligere possunt, ac tenentur, & in die ambulare quare quę ex hoc defectu ignoraverint, sibi imputantur.

Deinde cum nullus habens charitatem sit de eo certus, ut qu. 1. hoc libro præmisimus, & si per charitatem inveniret omnem veritatem moralem re ipsa haud tamen de eo certus esset, sed per signa & conjecturas, quemadmodum ex D. Thoma ibi significavimus, sicut de charitate, ita etiam de veritate re ipsa inventa formidaret formidine illa non prorsùs certo res scientium, quam part. 1. in appendice exposuimus.

Hinc omnis per charitatem edoctus inprimis subjectus est cuilibet judicio infallibili, & sic Ecclesiæ vel in se sumptæ, vel in capitibus vel in supremo capite; nam Ecclesiæ judicium est indefectibile in doctrina fidei, & morum; qoam qui non audit, habendus sit pro ethnico, & publicano, & similiter sua proportione, & gradu subjectus est etiam cæteris omnibus judiciis ab Ecclesia sancta institutis, atque probatis; quæ cum indefectibilia non sint, relinquunt, recursum ad Ecclesiam, cujus solius est supremum in terris judicium· sed modus, ac circumstantiæ ab ipsa Ecclesia præscriptæ servandæ sunt etiam in hoc.

Præterea hæc charitatis institutio non excludit, quin maximè statuit necessitatem magisterii exterioris ab ipso Dno instituti, ut patet ex 1. ad Cor. 12. & sæpe alias, & Joan. ipse eos etiā docebat, vel in accepta doctrina firmabat, ad quos ea tanta de institutione interioria unctionis scripsit, ut ex Aug. tr. 3. in Ep. 1. Joan. alibi declaravimus. Charitas ergo, quæ à Deo est, non contra Deum, atq; ab eo ordinata, & constituta ducit, sed eodem tendit Dei, & charitatis directio. Cum ergo Deus alios in Ecclesia constituerit Apostol. 2. alios Prophetas, 3. Doctores, &c. nec omnia in Ecclesia voluerit esse oculos, sed oculis, auditu, pedibus, manibus, & sic instar corporis naturalis eam composuerit, ut declarat eo loco Apostolua contra dementiam sectariorum, institutio, & directio dilectionis hunc ordinem non evertit sed firmat, unde charitas aliquando multa per se ipsam immediate suggerit, seu spirit. sanctus per charitatem: sæpe autem non removebit, qui impellet ipsa, ut quæ oporter, & à quibus oporter, multa alia quærentur; & sic quærentes jubet Deus, & dirigit ad bonos Doctores, & sæpe per malos etiam ipsos, seu ignorantes respondebit ea, quæ recta sunt; sicut male quærentibus etiam per bonos doctorea respondetur aliquando juxta immunditias cordis eorum, ut l. 2. tractatum est, charitas itaque non immediate docet, sed alia immediate alia mediate per Doctores, quin etiam in hac ipsa necessitate magisterii exterioris plurimum juvat; quia & cor humile, & docile reddit; levitatem, ac pertinaciam removet; gradus Ecclesiæ non confundit, nec omnes Apostolos habet, nec omnes Propbetas, & Doctores, nec omnes putat Patres, & Doctores Ecclesiæ, nec summa, media, infima, & cuncta commiscet, de quo qu. seq. plura alia dici poterant sed hæc modo sufficere videntur.

§. VII.

Instauratur denuo tota doctrina ex Apostolo, atque ex forma extremi judicii.

REsumendus est iterum Paulus ad Rom. 13. ubi ad rem istam concludendam D. Thoma commen-

mentatore ſyllogiſmo etiam uſus eſt, aſſumpſitque unam propoſitionem ex 1. ad Cor.13.ut idem S.Doctor notat,cum igitur neceſſe ſit, ſyllogiſmum Pauli eſſe peremptorium uterque locus hic conferendus eſt , ut tota vis appareat Apoſtolici ſyllogiſmi Neque vitio dandum eſt.ſi in his prolixius etiam hærerere videamur;nam damus brevem ſummam,& compendium doctrinæ morum; quod ut præſtent, libros etiam integros per multas quæſtiones rendere alii ſolent : ubi ſi charitatem,ac fraternam dilectionem prætenirent. plus multo putamus nos collaturos in morum directionem,rectitudinemque his duabus de charitate quæſtionibus,ſi quis doceri volet, quam ſi integram ſummam moralem citra hanc mutuam dilectionem ederemus.

Intendit itaq; Apoſtolus eo c.13 ad Rom.eum, qui fratrem diligit,legem mandatumq; omne implere,& ut vere exponit S.Thomas,hunc fecit ſyllogiſmum,qui diligit proximum, malum non operatur ſeu nullus diligens proximum , malum non operatur.ſeu nullus diligens proximum,malum operatur:ſed omnis non implens, & ſervans aliquam legem,ſeu mandatum,ac præceptum ſive negativum ſive affirmativum, malum operatur. Ergo nullus,qui diligit proximum non implet, & ſervat,ſed præterit aliquam legem ſeu mandatum, ac præceptum ſive negativum ſive affirmativum.

Videtur autem.Quod de ſyllogiſmis Pauli dici nequeat,aut præmiſſas veras non eſſe aut conſecutionem non eſſe legitimam.Hoc ut plurimum dici poteſt, primum Apoſtolum non agere de lege humana,cujus, & divinæ cujuſlibet, quam diſparſit quoad huc cauſa,& ratio, explicatum eſt lib præc. Deinde quod ſæpe,& in re quidem morali utiliter annoto. dici ſatis moraliter forſitam poterit,aſſertum univerſale Apoſtoli,quod diligens proximum malum non operatur,intelligendum ſit,non quod ſemper, ac ſine ulla prorſus exceptione, ſed plerumque,& in plurimum,ac fere ſemper ita ſit: de quo nunc nihil litigo,ſed præſcindo,aliiq;judicabunt,num ſufficiens , forteque fundamentum authoritativum habeant faciendæ exceptionis , inquam.authoritativum, vel etiam aliquid proprie ſcientificum;nam ratiunculas alias,quæ quibuſtibet ſuppetunt,ego planè nihili facio,cum etiam ſimiles multæ mihi occurrant, quaſq; forte facilius ſit excogitare,quam carmen unum componere.

Redeo ad ſyllogiſmum ; cujus minor §. ſeq. communienda eſt,& oſtendendum,aliud eſſe peccare aliud malum non operari,& aliud legem implere.Non ergo valet, ſi dixeris, eum, qui diligit proximum,malum non operari, quia non peccat (intelligo graviter) ut ſupponitur, oſtendetur enim, eum malum operaturum,nec legem impleturum , & ſi non peccaret , ſi tamen legem per invincibilem ignorantiam violaret.

Major vero ſyllogiſmi,nullum, qui diligit, aut diligentem proximum,malum operari , patet ex eodem Apoſt. 1. ad Cor.13. ubi mala omnia excogitabilia numerat,ac percurrit;& ſi quod ſupereſt, vel ad illa revocatur,vel ejus eadem eſt ratio, affirmat autem, charitatem nullum eorum operari: intelligitur autem non de charitate in abſtracto, ſed in concreto.id eſt,de habente charitatem,& de diligente,ut ſuperius oſtendi; & alia omitto in re compertiſſima.

13 Si itaque Apoſtolo eſt credendum. ipſe ſic majorem ſuam ſtatuit: *charitas patiens eſt,benigna eſt,charitas non æmulatur,non agit perperam,non inflatur , non eſt ambitioſa non quærit quæ ſua ſunt;non irritatur, non cogitat malum;non gaudet ſuper iniquitate : congaudet autem veritati,omnia ſuffert, omnia credit,omnia ſperat omnia ſuſtinet.* Ecce quanta bona & negativa,& poſitiva. Quod precor,aliud bonum ſupereſt,quod hic non claudatur,vel cujus nō ipſiſſima ſit ratio,ergo mala hic tacta vitat,& bona hæc omnia ponit charitas,ergo vera eſt major, quod dilectio, & diligens proximum malum non operatur , nec poſitivum, nec negativum:& bona conſecutio Apoſtoli: *ergo plenitudo legis eſt dilectio.* Nullum item eorum malorum, & operum carnis, quæ ad Gal.5. recenſet, charitas operatur, ut patet etiam inde, ergo rurſùs plenitudo legis eſt dilectio.

Dicis ego me charitatem habere arbitror,& interea nihil eorum habeo , quæ Apoſtolus proſequitur,ſed reſpondet ad te Joan. Apoſt *filioli mei non diligamus verbo neq; lingua, ſed opere & veritate.* Ego, inquis.etiam opere,& veritate diligo fratres;nam opere & veritate eis ſuccurro,hoc bonum eſt, reſpondet Paulus Apoſt ſed aliunde,quam ex charitate fieri poteſt: nam inquit ibidem: *& ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt* Sed quam charitatem loquitur s ô Apoſtolus? immediatiſſimè ſubdit, *charitas patiens eſt* & reliqua illa omnia, quorum te fateris expertem. De hac ergo charitate ibi agit, quæ hæc omnia operatur, & quam non habenti cætera nihil proſint, ſunt autem ut jam alias notavi,tres illi in ea gradus incipientium, proficientium,& perfectorum.Magnas autem eleemoſynas facientibus rectè Binett libello de divite ſalvato ex tantis Dei promiſſionibus, & authoritate maxime Auguſtini promittit , eos ſi charitatem non habuerint,& nondum juſti ſint, tamen Deum ad gratiam eos demum adducturum.

Ais adhuc , alios non hæc tanta de charitate præſcribere , ſeu hanc charitatem non poſtulare. Reſpondeo, præterea nobis Joan. Apoſtolum, & Paulum Apoſt. conſectari, & eam charitatem inculcare, quam inculcant & ipſi ſed hoc pacto, in quis,pauci videntur charitate vigere.Opponis vero hoc,quaſi in Evangelio ſcriptum fuiſſet,ſpatioſa eſt via,quæ ducit ad vitam, & multi ambulant per eam,& non prorſùs contrarium;aut quaſi ſanctorum omnium non fuerit contraria perſuaſio. Quid ergo hoc ex loco concluſiones morales adſtruunt?cum ſanè ægre integram omni authoritate,& veritate conſertam quæſtionem prætetea n, qua tamquam nota alia, & ſigno veritatem moralem ex paucitate ipſam conſectantium oſtendam.

Dicis poſtremò,charitatis, & dilectionis dulcia quidem eſſe nomina:at ſi adeo operatrix, activaq; eſſe debet,durum planè eſſe ſignificatum,durumq; ſermonem,qui terreat homines. Conterruit ſanè Calvinum,auditoq; præcepto diligendi Deum ex omnibus viribus noſtris, dicere non erubuit , ac mentiri impoſſibilia à Deo præcipi,ut infra dicemus.Tu videris modo,utrum præſtet,terreri,diligere,& ſalvari;an falli, lætari,& damnari?Nam ſi charitatem non habuero nihil mihi prodeſt. *Charitas patiens eſt,benigna eſt,* & reliqua illa, hanc ergo charitatem loquitur, quam ſi non habuero, nec montes transferre. nec omnes facultates meas in cibos pauperum convertere proderit.

Sublimis ſanè, totaq; ſibi conſtans eſt ſapientia chriſtiana,quę ſola eſt ſapientia.Conſtituimus qu. ſup. eandem eſſe formam,regulamq;vitæ nunc,&

judicii post. Sic planè in uno Magistro nostro; quia omnia agenda, & vitanda nunc ad unam dilectionem revocavit, & eodem modo totam formam judicii non casu, sed infinita sapientia ad idem ipsum reduxit unamque regulam edocuit, & vitæ nunc, & judicii post; & quemadmodum dixit: *in his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ, & Apostolus* dixit: omne mandatum in hoc sermone instauratur, diliges proximum tuum, sicut te ipsum: item, omnis lex in uno sermone impletur; ita dicere possumus universum judicium in eis duobus pendere, & utrumque ad unum postea resolvendo, totum judicium in uno sermone instaurari, & impleri.

Videmus itaque, quasi nihil aliud jussum fuisset, quasi in omnium summa compendioq; tradi nobis extremum judicium ad unam proximi dilectionem redactum, *esurivi enim ait, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus & visitastis; in carcere eram, & venistis ad me:* & à contrario reprobis contraria opponuntur Num alia non erant, de quibus etiam discutetemur? An vero forma judicii insufficiens, diminutaq; erit? aut quasi casu hoc in Evangelio positum est, & eodem modo aliud quidpiam poni potuerat? Profecto non ita irreverentes erga filium Dei existimus: Quod si nos de omni etiam verbo otioso rationem reddituros esse testatur procul absumus, ut arbitremur, ab ipso otiosum aliquid, aut casoale, aut insufficiens dictum esse, vel in ejus Evangelio positum. Multa ergo præcepit; sed omnia jam ad dun, jam etiam ad unum reduxit; & ita multa jussa sunt, & unum jussum est: *ecce quæ duo erant, unum factum est*, aiebat Augustinus: ac verbum Domini abbreviatum, consummatumque est.

Dicis hic duo. Primum, non de dilectione ipsa proximi, sed de operib. solùm misericordię institui judicium, nuper autem ex Apost. dictum est, hęc opera aliunde etiam, quam à charitate fieri posse, non ergo forma, ac regula vitæ, & formæ, ac regula judicii concordant. Alterum est, plurimos esse, qui propter paupertatem, vel propter institutum vitæ in his operib. memoratis exerceri nequeant, ad hoc secundum breviter ex doctrina sanctorum maximè Aug. breviter respondeo, Primò, ut inquit Bernardus voluntatem pro facto reputari, ubi factum impedit necessitas omnis auté diligens proximum, ea cuncta, quę Evangelium commemorat, voluntate saltem præstat. Deindè orationibus, & satisfactionibus etiam supplent; & sic visitant, vestiunt, &c. & sæpe propter orationes pauperum movet divites ad ea opera Deus, non ergo est diminuta forma judicii.

Ad primùm sanè fatemur, ea opera, vel eorum multa sine charitate, & dilectione proximi peragi posse. At juxta dicta qu. 8. diu constanter, & consequenter, ac quemadmodum oportet vix sine dilectione charitatis fieri possunt. Dixi, *quemadmodum oportet*, non quorundam sensu, quasi quemadmodum oporteat, reipsa fiant quidem, sed quoniam chatitas non est in subjecto, ex hoc puro subjectivo defectu de condigno meritoria non evadant, non enim hoc sensu loquimur.

Dicimus ergo juxta dicta de bonis arboribus agnoscendis ex fructibus, eum, qui vere ex charitate, & in Domino non diligit, illa opera diu constanter, consequenter, & ut oportet non pet agere: ad commisceri facile aliquid de carne, & sanguine, vel de mundo, & gloria ejus, quod diu, constanter, & consequenter non operabitur, constat ex dictis ea qu 8. quod facilè aliquid etiam infectionis, & carnis, vel mundi commisceatur, constat, quia, ut dicemus, semper est in corde nostro affectus aliquis dominans, tenensque principatum; nec regimen cordis inter Aristocratisi, aut Democratici esse potest, sed instar monarchici. Unde si charitas desit, aliquis alius affectus, qui bonus esse nequit, principatum tenet, dominaturq; & si non semper, & ad omnes actus, tamen facile, & sæpe se commiscet, & inficit, ex quo etiam conseqoitur, ut ea opera non fiant sicut oportet, i.e. quibus, quando, ubi oportet; sed vel erit sæpe acceptatio personarum, vel locus, vel tempos, vel circumstantiæ corrumpentur. Dominus porrò in judicio nihil personas distinguit, aut dicit, nobilis pauper, aut vir, aut fæmina, aut juvenis, aut senior eram, & dedistis mihi manducare, sed nude, pureq; loquitur; esurivi sitivi, nudus eram, &c. Nam dilectio, & charitatis sie nude, pureq; operatur, nec quidquam de carne, & sanguine, vel de mundo commiscet: quin minimorum, quos facilius præterimus, specialius meminit, & oportet ipsum in omnibus illis esse causam, non enim dicit, esurivit hic, vel ille, sed *esurivi*: quare propter ipsum facienda ea sunt; sin minus mercedem non suam, sed Prophetæ, vel pauperis accipient: ergo non regnum, ubi reprobi quidem comparent obliti hujus documenti Dominici, & quærunt, quando te vidimus, &c. At excusatio, ac oblivio eos sua non excusabit. Patet autem ex his cunctis concordia regulæ vitæ cum regula judicii ex quo pacto utraq; quasi ad summam brevem, compendiumque ad dilectionem proximi revocetur.

§. VIII.

Quædam evasiones refelluntur, & ostenditur, nec per ignorantias invincibiles, nec per viam probabilium hæc Dei constituta, doctrinamque salvari.

Dicent ergo ut superius etiam significavimus, diligentem proximum tamquam se ipsum non peccare graviter in sensu composito dilectionis, ac simul diligendo, ut est in confesso apud omnes. Ergo licet dilectio & charitas reliqua mandata non doceat, sed simul cum illa aliquod, vel aliqua ignorentur, erunt ignorantiæ involuntariæ. Ergo licet æmuletur re ipsa, vel infletur, vel usurarios contractus ineat, aut etiam se se polluat ignorando rei turpitudinem, & malitiam proprie tamen malum non operabitur, ergo ex Apostolo nihil pro doctrina nostra concluditur, quam totam doctrinam ad syllogismum quoque redoces sic. Qui non peccat, malum propriè non operatur: sed qui diligit proximum, & si aliqua, vel multa ignoret, in eis non peccat; esset enim ignorantia involuntaria. Ergo malum propriè non operabitur. Unde habemus salvum Apostolum, & si diligens proximum ignoret quam plura.

Vel quidam omnia distinguentes, nihilq; unquam cathegoricè, ac absolute, & impliciter concedentes, aut negantes, sed omnia sine fine distinguendo, ac semel distincta iterum, ac tertio sub distinguendo disputationem infinitam, & sic fatuam reddentes, distinguant forsitam Apostolum dicentem *dilectio malum non operatur*, imputabiliter, ais, concedo, inimputabiliter, inquis, nego quo dicto peractum negotium credas.

Quoniam vero Apostolus non solum statuerat, dilectio-

dilectionem malum non operari, sed hoc assumpto medio conclusit, *plenitudo ergo legis est dilectio*; qui autem per ignorantiam etiam invincibilem legem violat, & cassat, eam planè non implet, nec servat; Aliam, & ad hoc solutionē excogitabis vulgatam satis illam, ac tritam. Dices ergo charitatem esse supremam virtutem: nam *major horum charitas*: & sic moraliter, virtualiter, eminenter esse virtutes omnes: his scilicet vocibus universam Theologiam percurrunt, & cuncta sine labore promptè expediunt hoc compendio, & si negaturi sint, charitatem esse compendium. Sic ergo verum est plenitudinem legis esse dilectionem, non quidem formaliter, sed moraliter, virtualiter, eminenter.

Atque hæc mihi modo occurrunt, quæ reponere possint: nam admirationes, & exclamationes removebimus qu. seq. tradendo multos modos quos charitas edocet, cæterum hæ solutiones quas Evasiones, & ut opinor inanes nuncupavi, sunt in primis contra explicationem, ac expressam intentionem sanctorum Patrum Augustini maximè & Chrysostomi, qui satis clarè loquuntur.

Quid deinde reponunt, si de ipsa quasi substantia charitatis illius, quæ juxta Dominum totam legem claudit, & juxta Apostolum malum non operatur, sed legem implet occurrerent ignorantiæ? certè hoc per aliam charitatē impleri nequiret. At sunt de hac etiam ipsa quasi substantia charitatis ignorantiæ; nam sunt opiniones utrimq; & ut existimatur probabiles aliorū ajentium, solùm semel in triennio, aliorum dicentium semel solùm in vita nos obligari ad exercitiū formale charitatis. Tunc, oro te, hæ vacuitates ipsius charitatis, aliorumq; similiter præceptorum, quę per ignorantiam contingerent, per quam charitatem implebuntur? si sæpe, si frequenter Deus diligendus forte esset, & hoc ab alterutris opinantium ignoraretur, ut necesse est ignorari, quod supplementum superesset? Quam rectè prærerea charitas illa, quæ semel in triennio, vel in vita in actum, affectumque prodiret, operaretur, ut ipsam habens, patiens esset; benignus, non ambiret, &c. ista, credo, vix dici coram possunt.

Sed nunc propius ad evasiones, & syllogismos struamus. Quicumque per ignorantiam invincibilem mentitur, furatur, se polluit, contractum injustum, ac re vera usurarium v.g. init, malum proprie, & propriissime operatur, sed juxta Paulum Apostolum, & ipsam confessionem tuam, qui diligit proximum tamquam se ipsum, malum propriè, & propriissimè non operatur. Ergo qui diligit proximum tamquam se ipsum nec mentitur, nec furatur, nec se polluit, nec contractum re ipsa injustum, vel usurarium init: nec per ignorantiam invincibilem: eadem autem est ratio de cæteris, ergo.

Vel rursùs juxta distinctionem ipsam tuam sic: omnis contra legem per ignorantiam invincibilem operans, propriè malum operatur, & si non imputabiliter. At ex Apostolo nullus diligens proximum contra legem etiam per ignorantiam invincibilem operatur.

Hujus utriusque syllogismi major sola probatione indiget. Quæ patet primùm ex eodem Apostolo, qui satis sanè exposuit, quo pacto charitas malum non operetur. Apostolus itaque inquit: *charitas patiens est benigna est*: tu inquis: charitas nec patiens, nec benigna est, sed per ignorantiam invincibilem non est. Apostolus inquit: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non quærit, quæ sua sunt: tu contraria omnia enuntias, æmulatur, agit perperam, inflatur, quærit quæ sua sunt per ignorantiam invincibilem, quod sane est Apostolum evertere.

Unde sic arguimus: qui etiam per ignorantiam invincibilem, vel centum quoq; probabilitates inflatur, revera, ac propriissime inflatur; & sic etiam agit perperam, ambit, irritatur, quærit quæ sua sunt, &c. vel dicito, eum, qui per ignorantiam invincibilem sese inebriat, aut occidit, nō se inebriare, neq; occidere. At Apostolus inquit, & contestatur, eum, qui proximū diligit, hæc mala non operari, h.e. non ęmulari, non inflari, non agere perperam, nō quærere, quæ sunt. Ergo ista mala nec per ignorantiā quidem invincibilem perpetrat. Sicut si ego vere dico, Petrus jejunat, nec per ignorantiā invincibilem, nec per probabilitates nō jejunat: & undecumq; non jejunet, verè, ac propriè nō jejunat.

Quorum rationem à priori contulimus, explicuimusque par. 1. & totum reducitur ad hunc syllogismum intelligentibus indubitatum. Ex ignorantia solùm, vel errore talia non sunt simpliciter talia, ut ex ignorantia homo existimatur quidem, non tamen est homo: sed hæc mala, de quib. differimus, solùm ex ignorantia, & errore non sunt mala, seu sunt non mala. Ergo simpliciter non sunt nō mala. Qui igitur illa peragit, simpliciter ac propriissime mala operatur: & aliud est, quod propter in voluntarietatem operanti non imputentur: aliud, quod mala non sint: & quod per ignorantiam invincibilem homicidium committens non pecces, aliud, quod malum operatus non sis.

Hinc in Theologia trita, notaq; est ea distinctio hausta ex Ethicis, qua distinguimus inter operari mala, & male; & sic etiam in bonis: & qui ex malo fine eleemosinam erogat, aut missam audit, bonum quidem sed male operatur. Ita etiam est in malis; qui per ignorantiam invincibilem sese pollueret, aut usuras exerceret, mala profecto, sed non male operaretur, inquam non *male*; non autem *bene*, ut eum D. Thoma latè constitutū est, & de ignorantia apud veteres omnes una fuit quæstio, an excuset: in mentem autem non venit quærere, an sit regula? at ad bene operandum opus est regula. Ergo qui per ignorantiam etiam invincibilem sese pollueret, aut revera injustum revera contractum iniret, mala utique operaretur, & neutiquam bene, sed pure, & solum non male.

Ex quib. denuo easdem illas propositiones majores ita statuimus. Ea omnia proprie mala sunt, quorum Deus nequit esse Amator, ut mendaciorum, usurarum, injustitiarum, spurcitiarum, nec in ignorante quidem invincibiliter; qua propter nec ad ea perpetranda necessitare nos potest, ut boni quique Theologi concedent, & lib. 1. constitutum est. Ergo saltem per se, & intrinsece mala proprie mala sunt, etiam si per ignorantiam invincibilem fiant. Ergo si diligens proximum tamquam se hæc mala esse invincibiliter ignoraret, & ageret, malum, malaque multa propriissime operaretur: quod negat Apost. Quod porrò ea quorum Deus Author, ac amator esse potest, id est, quæ à Deo non sunt, neq; esse possunt propriè mala esse, is solùm ambigat, qui quid malum, & bonum sit, & à quo sint, prorsùs ignorat. Quinimò Theologia ipsa supponit, hæc mala esse in se seorsim ab actuali prohibitione, dicitque, illa esse prohibita quia mala; ubi non de æterna ea lege, quæ in Dei mente consi-

consistit, sermo est, sed de temporali manifestativa illius, de quo alias; nam prohibitio illa æterna lex est, quæ ab hominum e. iam existentia, quibus sit prohibitio, præscindit. Si ergo etiam non prohibita mala sunt, profecto per ignorantias, opinionesque nostras mala esse non desinunt.

Idem etiam, ut S. Thomas decernebat ex Apostolo, habendū est de iis, quæ mala sunt, quia prohibita, ea scil. mala esse, manereq; etiam in ignorante invincibiliter. Nam alioqui non rectè, nec satis Apost. conclusisset: *plenitudo ergo legis est dilectio*, diligens ea saltem præteriret per ignorantiam, nec impleret, quæ mala sunt, quia prohibita. Deinde sic: quæ sont mala; quia prohibita, non desinont esse prohibita, & si invincibiliter ignorentur esse prohibita; quia ignorantiæ, & opiniones non mutant res in se; & dicitur quidem, consuetudine abrogati leges humanas; at vel consuetudine, vel opinione, vel ignorantia abrogari, tolliq; divinaa nemo desipuit. Manent ergo prohibita: ergo mala; cum ideo sint mala, quia prohibita, non quia scita, vel ignorata, vel opinata. Quicumque ergo legem Dei violat, etiam pet ignorantiam invincibilem, malum proprie, & si non male, ac imputabiliter operatur. Sed Apost. dicit, malum non operatur. Ergo vel ludit Apostolus, vel noster diligens nullam Dei legem violat, sive sit hoc dictum universale sine exceptione. Sive dictum probabile cum rata exceptione.

Hæc satia quoad eam partem, quod dilectio malum non operatur, jam clausulæ impletionis, & convertibiles, ut sunt illæ Domini, *in his duobus universa lex pendet, & Prophetæ*, item illæ Apostoli, *in hoc sermone instauratur: in uno sermone impletur*, omnem evadendi viam obstruoot.

Sic arguimus: nullus præceptum, vel præcepta charitatis implens; alia tamen v. g. justitiæ non servans, sed materialiter saltem prætetiens, ac violans implet universam legem, nec tunc plenitudo legis est dilectio. Sed omnis diligens implet ac plenitudo legis est dilectio, ut definiunt Dominus, & Apostolus. Ergo nullus servans præcepta charitatis, & diligens præterit aut etiam materialiter violat præcepta, & leges alias v.g. justitiæ. Patet major; nam ubi pars legis superest implenda tota lex non impletur, seu lex simpliciter non impletur: at lege charitatis impleta, & lege justitiæ per ignorantiam invincibilem frustrata para justitiæ, quæ utique pars legis est, superest implenda: ergo tota lex, seu simpliciter lex non impletur. Num ergo nugatur, vel mentitur Apostolus?

Expono: implere legem, est servare legem, quæ propriè impletur opere per eam præcepto: & sic etiam in verbis Domini pendere legem est eam per ea duo mandata servare, & non cadere; cadit autem si pars legis. V. g. justitiæ violatur: in voluntario quidem, sed tamen cadit. Ergo & si præcepta charitatis servarentur, justitia tamen violasetur, non impleretur lex.

Unde nugæ sunt, quas supra dabant, ac dicebant moraliter, virtualiter, eminenter. Quando para, seu quasi non est minor toto, valent illa: ut in aggregato Dei, & mundi, quia Deus solus tantus est, quantus Deus simul, & mundus, ablato mundo manet totum eminenter: atq; ita in aliis infinitis, quæ additione fiunt majora, & ablatione minora, & ideo plus est charitas simul, & justitia, quam sola charitas, quemadmodum qui aureum una & julium deberet, puerile dictu esset, eum solutione aurei totum debitum moraliter, eminenterque extinxisse, ac implevisse. Ergo charitas sola non implet pro se simul, atque justitia nec quoad vitationem mali, nec quoad positionem boni. At plenitudo legis est dilectio. Ergo dilectio secum affert non modo observationem legis charitatis, sed & justitiæ, & omnis.

§. IX.

Probabilium facit summam & compendium contrarium Domino.

Ex his conspicies, quam contraria sit via consuetorum Probabilium viæ Domini, & suorum Apostolorum. Nam Dominus atque ex ipso sui Apostoli doctrinam quidem morum primum quidem latè prosequuntur, & de singulis tùm virtutibus, tum vitiis disserunt. Mox quoniam non omnes legere sciunt, nec alii intelligere possunt; rari autem omnia & singula mente complecti, memoriterque præsentia habere, consultum judicarunt, ut Augustinus philosophabatur, totam doctrinam, & præcepta ad compendium, summamq; redigere, eamque brevissimam, atque expeditissimam, quam omnes scirent, ac intelligerent, hancque unam secum margaritam quolibet portarent.

Neque vero, quod ineptissimorum Magistrorum fuisset, eam totius legis, doctrinæq; summam tradiderunt, quæ inde brevis esset, quia partem claudebat, partem vero præteribat; hocenim ineptus quisque faceret, nec summa esset, nec universa lex doctrinaq; penderet, aut instauraretur, aut impleretur: sed semi quædam lex, & doctrina foret: nec hæc compendia sunt: & qui ita librum epilogaret, & re capitularet, & totum ibi esse assereret, egregie plane mentiretur. Dominus ergo, & sui Apostoli brevissimam summam legis, & doctrinam consignant, qua servata, universa lex impleatur, ac servetur.

Probabilistæ tradunt etiam summam suam, & compendiom, quod quilibet brevi addiscat, & sine magna morum, & cordis mutatione, præsertim si à venereis abstinet, facile consequatur; quin quidam etiam in eo non parum indulgent.

Hæc porrò via & summa non est legis impletiva instar charitatis, & sicut summa Dominica, & Apostolica. Nam in primis ponit non tot, quin plures ignorantias invincibiles, & violationes materiales, ut volunt; & sic etiam non impletiones, & vacua sine numero: quæ plus forte absurda sint, & noxia, quam vacuum in natura, quod tantopere ipsa refugit. In ipsa deinde charitate cùm de hoc etiam ipsa sint innumeræ quæstiones, & opinionea probabiles, supersunt plurima vacua non impleta.

Nooc aliis omissis, non nisi non nihil supputemus. Opiniones utcumque probabiles haud sanè decem sunt, aot viginti, sed millia millium, quibus vel unus Diana implevit tot volumina. Ex his in primis, ut sæpe dixi media pars suot falsæ, cum sint contrariæ, vel contradictoriæ At omnes falsæ sunt contrariæ legi Dei, ut sæpe est demonstratum. Ergo media pars vel addit legi, quæ non sunt, vel tollit, quæ sunt. Atque hoc negari nequit.

Ostensum est ex bonis principiis moralibus, atque in singulis his quæstionibus, cernitur, nos declinare ad falsum, atqoe errare plerumque tollendo

lendo, & laxando; non addendo, nec stringendo. Sed hoc omittamus, omnemque liberalitatem exerceamus.

Constitutum est, mediam prorsùs partem omnium opinionum probabilium esse falsam, quibus exempli gratia impleamus sex tomos Dianæ. Sit 8. hæc media pars falsa; partim quia tollit, partim quia addit, & dividamus de medio infantem: nam amplius prætendere jure non possunt. Ergo ex toto probabilium quarta pars superest vacua; quia hæc quarta pars erat falsa per ablationem, ut ponimus. Ergo lex Dei proportionate ad tres tomos, seu quæ tribus tomis continetur, non impletur per hoc probabilium compendium. Contra dicit ergo hinc in quarta sua parte via probabilium viæ Domini, & sicut plenitudo legis est dilectio, vacuitas quartæ partis probabilium legis est probabilitas.

Nec minùs contradicit in altera sua quarta parte, quæ ponitur esse additiva, &c. ô Deus, non ne prohibiti addere, vel tollere, non secus nec minùs, quam mœchari; & occidere? hæc etiam pars non implet legem, nam supponitur esse additionem eorum, quæ in lege non erant. Ergo media pars omnium probabilium hinc vacua non implendo, hinc nullum vacuum legis, seu ubi lex implenda nulla erat, ponendo prorsùs extra legem Domini, sicut si quis hunc meum librum ita in brevem summam cogeret, ut quartam partem eorum, quæ sunt in libro tolleret; aliam quartam ponere aliorum, quæ non sunt, & totus pars media prorsùs libro contradiceret. Dic, oro te, velles ne, libros tuos in similes summas converti? Num ergo volet Deus legem suam ita inverti? quantum ergo dilectio, & probabilitas discrepant, tantùm planè diffident hæ duæ viæ & summæ.

Dominus noster, qui ut testatur, legem non venit solvere, sed adimplere tum eam servando, tum ea, quæ ad absolutam quandam justitiam deerant, de novo jubendo, & sic, ut in te sua poterat, addendo, ad impletionem his verbis exposuit? *jota unum, aut unum apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Hoc sanè, est implere dicta factis, quidni ergo via Probabilium legem impleat, quæ ex omnibus probabilibus circa legem, mediam omnino partem invertit, & tollendo, & addendo mutat, vel verius tollendo, & tollendo peccata etiam mundi tollere loco dicitur, sed loci aliquando vertentur in luctum: apud intelligentes scilicet sic nos peccata tollere possumus, quemadmodum occidere: quin minùs; nam peccando saltem occidere possumus; peccata autem nec peccando tollimus, sed fallimus, & fallimur. Patet autem, nobis sermonem non esse de ablatione per absolutionem sacramentalem.

QUÆST. XII.

Quam multipliciter ergo charitas ipsam habenti manifestet veritatem moralem?

NOn is ego sum, qui existimem, assecutum me esse, novisseque modos omnes, vel etiam præcipuos, quibus ipsam habentes docet charitas veritatem moralem, sed aliquos, qui mihi homuncioni occurrerunt, eà̀m, ut inde conjectare quisque queat, quanta Paulus vel Augustinus habiturus esset, quæ hoc circa proderet, si hic adessent, & loco mei quæstionem istam tractarent. Certè ego, & si nullum modum invenissem, crederem nihilominus, quæ quæstione præcedenti constitura sunt; vanum siquidem dictu est, ac prophanum valde: ego non assequor, quonam modo vera ea sint, quæ Apostoli, quæ Sancti Dei docent: ergo non ita sunt, & ad opiniunculam meam detorqueo.

§. I.

Firmum in primis habendum est, nos Deum ex toto corde diligere posse, ac debere, nec fluctuandum, aut detorquendum est, & si pauci videantur servare.

HOc jam quæstione præcedenti constitutum, ac inter Christianos notissimum, præmittendum hic fuit, ac in memoriam revocandum, antequam ad modos ipsos tradendos, quibus nos charitas instituit, accederemus; ita enim charitatem, ac dilectionem vel Dei vel proximi quidam intelligere videntur, ut hæc sua vel charitas, vel dilectio vix quidquam docere nos possit: cujus aut opinionis, aut practicæ persuasionis falsitatem, & incommoda non hic prosequar, quæ alio pertinent, sed quid credere videantur, brevi significabo.

Duo ergo observare potui, quæ, ut opinor, quidquid de charitate, & dilectione injunctum nobis est, re ipsa evertere videantur. Alterum est, quod dilectionem in non odium convertant, ac perinde intelligant diligere, atque non odio habere: & sic præcepta affirmativa charitatis in negativa invertunt, impletaque illa censent observando negativa non occidendi, non odio habendi: atque de hoc uno pœnitentes etiam in confessione examinant. Unde contra quàm Dominus, & Paulus, & Joannes, ac Sancti Patres reliqua omnia mandata ad duo vel etiam unum dilectionis mandatum velut ad summam, atque compendium revocant: ita hi prorsùs à contrario mandata dilectionis ad reliqua mandata resolvunt, horumque observationem illorum etiam summam arbitrantur; quin etiam, quod jure merito prohibitum nuper fuit, dixerunt nullum esse speciale præceptum diligendi Deum: quo nibil planè est omnibus scripturis Dei magis contrarium.

Hæc opinor, illa ipsa existimatio est, quam in Breviario expungit Hieronymus feria 6. post cineris. *Multa præcepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus æstimantes, putant, esse impossibilia, quæ præcepta sunt; & dicunt, sufficere virtutibus non odisse inimicos: cæterum diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur* quod mox exemplo Domini, Davidis, Stephanique evertit, à factis possibilia demonsttando, atque ab actu ad potentiam insolubili illatione arguendo.

Calvinus nihilominus apud Maldonatum in in capite 22. Matth. num. 37. arripuit hunc errorem, præceptoque illo conterritus, *diliges Dominum Deum ex omnibus viribus tuis* egregius Evangelii eversor, *ex hoc*, inquit, *compendio apparet* Deum

Deum in leges præceptu non reſpicere. quid poſſint homines, ſed quid debeant, mentituſque eſt Deum impoſſibilia præcepiſſe, quem ſectarii qooque alii, atque Janſeniſtæ nuper ſecuti ſunt.

Jus portò Maldonatus, ſe neſcire, inquit, utrum hoc majori impietate, quam ignorantia dictum ſit, Nam impietatis quidem ſummæ eſt dicere, impoſſibilia nobis Deum præcepiſſe: quod tamen fortaſſe eſſet, ſi tantùm præcepiſſet, ac non ab eia, qui impoſſibilia non fecerunt, & graviſſimas, & ſempiternas exigeret pœnas: quis enim &c.

Ignorantiæ vero fuit cæcæ, ſubdit, non videre quomodo ipſe ſibi repognaret, cum diceret, neminem hoc præceptum ſervate poſſe. Quis enim ſenſus eſt, *diliges Dominum* &c. deinde concludens, nos præcepta Dei ſervare, non poſſe, qoomodo intelligit? ſine gratia Dei, an eum gratia? ſi ſine gratia, quid nobiſcum diſputat, qui idem prorsùs dicimus? ſi cum gratia, non jam nobis, ſed Deo facit injuriam, cujus gratiæ, atque virtuti limites ponit. Paulus omnia ſe poſſe ait, in eo qui ſe confortat: & David *in Deo*, inquit, *tranſgrediar murum*. Hæc ex Maldonato ad reſticandam memoriam opportuna exiſtimavi, ut practici, ac in confeſſionariis etiam præſentia babeantur; fruſtra enim erit præcceptorum reliquorum etiam omnium obſervatio, ſi hoc primum, & maximum mandatum ptætereatur.

Cùm Calvino itaque, & ſectatiis quæſtio non eſt, utrum hoc præceptum fuerit, vel non fuerit? ſupponitut ſanè utrimque, id præceptum, ac inprimis quidem præceptum fuiſſe; neque à corde chriſtianorum, ſiſnate ſaltem, ac ſub his terminis deleti id poteſt: itaqoe, an ac onde poſſibile ſit, ſervarique valeat, quæſtio intereſt. Calvinus inquit, præceptum eſt, ſed impoſſibile eſt. Tu dieas præceptum non eſt: eccur vero; quia impoſſibile eſſet, & vitæ communis homines ſervare non poſſunt, ſufficietque non odiſſe, uterque profectò evertitis obſervationem præcepti, ac totius legis etiam finem, & animam.

Quinimo hoc pacto, quod tamen proſequi inſtituti nunc noſtri haud eſt, lex in litteram occidentem, ſeu quæ occidat vertitur, ſcitur enim ex Paulo Apoſtolo frequenter id iterante; atque ex Patribua, maxime ex Auguſtino, qui hoc toties pleniſſime proſecutus eſt, gratiam Evangelii à vetuſtate litteræ hoc ipſo ſpiritu charitatis, ac dilectionis differte, ut inquit Apoſtolus 2. ad Corioth. 3. *Sed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit Miniſtros Novi Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu; littera enim occidit; ſpiritus autem vivificat.* Atque iterum ad Rom. 8. inter alia quamplura: *ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis: quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei in quo clamamus Abba Pater.* Hic charitatis ſpiritua, quo aguntur, qui ſunt filii Dei, eſt gratia illa, qua Pater trahit ad filium, ut ſacra Concilia, ſanctoſque omittendo, Auguſtinua exponit in Breviario.

Quid porrò eſt, littera ſine ſpiritu occidit, ſeu littera ſola occidit? hic enim eſt ſenſus ſpiritui contra poſitus. Non planè aliud, niſi quod Dominus per Joannem capite decimoquarto, enunciat: *ſi quis diligit me ſermonem meum ſervabit*: ſin minùa, non ſervabit nam hoc primum mandatum inprimis non ſervabit, ut aut Auguſtinos, aut Fulgentius annotat lib. de fide & operibus: deinde neque reliqua diu ſaltem, & conſtanter, ut part. 1. quæſt. 2. ſtatuimus, & Auguſtinus tùm à priori, tum exemplo avis, cui pennæ tollerentur; ſublimiter expoſuit. Idcirco etiam Dominua, ac Joann. epiſt. 1. & ex obſervatione mandatorum dilectionem infert; & uterque eos repellunt, qui verbo, & lingoa ſe Deum, vel fratrem diligere frequentiſſime quidem dicunt; factis autem negant; quia quoad Deum mandata ejus non ſervant, qui autem diligit ſervat; & qooad proximum etiam, quia eum lingua diligant, malis interea fratris lætantur, nec malis triſtantur; laudes oderunt, detractione autem gaudent.

Cùm ergo bic ſpiritus dilectionis vita, viſque maxima ſit legem cuſtodiendi, littera legis ſine hoc ſpiritu occidit; & ſcientia legis ſine charitate inflat; charitas autem ædificat, hoc eſt virtutes in anima, & animam ipſam ad Deum extollit uſque ad contemptum mundi, quæ eſt ædificatio, civitatia Dei. Qui ergo poſitivum præceptum diligendi ſignate, vel exercite, ac praxi in negativum convertunt, ſeu hoc omiſſo, aut quaſi prætermiſſo ſpiritu dilectionis, legem docent, timeo, ne litteram occidentem. jugum importabile, præceptaque impoſſibilia inducant, ut fuſius ea qu. 2. part. 1. lib 1. tractavi.

Atque hoc primum erat, quod obſervaſſe medeſi, quo quidquid nobis de charitate, dilectioneque injunctum eſt, everti revera videretor. Alterum eſt, quod tamen rectum etiam intellectum habere poteſt, quo paſſim dicitur, præceptum dilectionis Dei intelligi de amore appretiativo, quem rursùs exponunt dicendo eſſe diſpoſitionem, propoſitumque animi, quo mori quis malit, quam ullum peccatum mortale admittere.

Hæc rectè intellecta vera ſunt; tamen timeo, ne ab aliquibus ægrè uſurpentur, in primis enim per *to appretiativum*, vere excludi poſſunt quædam ſenſibiles delectationes, ac teneritudines, quas matres erga filios minùs Deo amatos habeant. At ſcitur appretiationem rem eſſe non propriè voluntatis, ſed intellectus; unde cavendum diligenter eſt, ne ea differentia adjuncta dilectioni Dei, dilectionem ipſam & quaſi ſuum genua tollat, ac in pura appretiatione intellectuali remaneat.

Quod de propoſito dicebatur, diſtinguendum eſt; nam poteſt eſſe, concipique propoſitum hoc prorsùs aliunde, verbi gratia ex metu gehennæ, quin quidquam Deum diligas, ſed alia præter hoc præcepta velis omnino ſervare, ne damneris: vel poteſt illud eſſe, concipique, atque cauſari ex ipſa dilectione aut in actu ſecundo, aut ſaltem in primo? Inquam *in actu ſecundo*, hoc eſt, ut re ipſa ſive eliciatur, ſive imperetur à dilectione. Inquam rursùs ſaltem *in actu primo*, hoc eſt, ut re ipſa ita Deum diligas, ut hæc dilectio ſuffectura eſſet ad inducendam, cauſandamque obſervantiam legis.

Si dilectio, appretiativuſque amor, ac propoſitum non peccandi hujus generis ſit, bene ſe res habet. At ſi nulla ſane eſſe dilectio, nec in actu ſecundo cauſans, nec in actu

primo

primo sufficiens, atque ex metu gehennæ, vel aliunde citra dilectionem, tamen præcepta reliqua omnia servares, & linguis Angelorum loquaris, prophetiam habueris, ac noveris mysteria omnia, atque omnem scientiam; si fide montes etiam transferas, si facultates omnes tuas in cibos pauperum distribuas, corpusque tuum in ignem tradas, si charitatem non haboeris, si non dilexeris, nihil tibi prodest; quia scilicet præteris primum & maximum mandatum, & secundum simile huic: atque hoc in primum dictum, quod jam ablegavimus, recidit: spiritus enim omnis adoptionis tollitur, relinquitutque spiritus, fulus servitutis iterum intimore, atque ad litteram occidentem revertitur.

Hinc ego haud sufficientem quidam arbitror ad valorem sacramenti pœnitentiæ attritionem ex solo metu gehennæ conceptam citra aliquam inceptam saltem dilectionem, neque attritio, & contritio, quæ ex D. Thomæ sententia, motivo differunt, sed perfectione, & alia solum atterit cor, alia etiam conterit, ut doctor exemplo declarat. Attritum porro in sacramento, vi, & gratia, adjutorioque sacramenti reddi contritum est, cum actum non tam perfectum auxiliis gratiæ, quæ digne suscipientibus largius conceduntur, robustiorem, perfectiotemque reddi, ac transire in conditionem. Vanum porro videtur, quod alii ista per gratiam habitualem exponant; nam attritus & contritus, & attritio & contritio nomina sunt actuum non habituum; & chimæra est, quod attritio idem actus manens, ac in se eodem modo in contritionem convertatur ex eo existentia habitus gratiæ in subjecto; & chimæra rursus est, quod homo ex attrito in contritum transeat, si actus suus & attritione in contritionem non transierit. Sed de his alio die. Nune quod observare multum interest, fatentur omnes, ad valorem sacramenti pœnitentiæ requiri propositum servandi omnia præcepta ar sunt duo, eaque prima & maxima præcepta diligendi Deum quidem super omnia, ac proximum sicut seipsum. Ergo ad valorem sacramenti pœnitentiæ prorsus necessarium est propositum hoc etiam duo servandi. Ostensum autem est, hæc duo non servari sola cæterorum observatione. Ergo qui validè suscipit sacramentum pænitentiæ proponit, statuitque, se dilecturum Deum super omnia ac proximum instar sui: quæ sane præcepta non habitibus servantur, sed actibus, elicitis utique aliquando, ac deinde virtualiter vel habitualiter saltem permanentibus, nec de habitibus sunt ulla præcepta. Dicemus autem inferius, utrum permanentia pure habitualis sufficiat.

His tantis de necessitate dilectionis auditis in multitudinis scopulum semper impingimus, & quasi Dominus eo signo, & non contrario viam vitæ ostendisset, & dixisset, *& multi ambulant per eam* sunt, qui in re morali eo principio philosophentur; *hoc si ita esset, aut hæc ita essent, pauci salvarentur: non ergo ita est, aut ita sunt:* cujus probationis resolutio est ad istam domino contrariam propositionem; via vitæ non est, per quam pauci, sed per quam multi ambulant. Et si ipsa prima principia invertantur, qualis inde scientia retexetur? scimus cavendos donatistas, qui ex paucitate se commendabant: quæ in præsentia absre sunt. Nam pauciores illi, qui viam vitæ ambulant, non extra sed intra ecclesiam sunt; in area ipsa, in agro uno in reti eâdem, ut sancti plene ex Evangelio prosequontur.

Nihilominus vana ista libido viam salutis ampliandi, ac facile salutem quibusvis promittendi adeo multorum animos occupavit, ut auditis iis, quæ de necessitate dilectionis præsentissima, firmaque habenda cursim ingessimus dicturi sint, ea haud esse necessaria; quia multis ea non servant; quos interea bonos esse christianos ultra dicunt, supponunt & amplificant.

Dictum sæpe est de hoc ac demum quæst. præc: & nunquam satia dicemus. Modo consultum visum est, si vice mea Chrysostomus in homil. ex variis. Matth. locis homil. 11. nonnihil dissereret. *Nolite mutari, inquit, Pharisæorum superbiam. Stabant ad orationem, sed non stabant. Si starent, humiles essent corde, non superbi. Multi stare se putant; quia cadere se nesciunt; nec ideo dolent casus suos, quod non videant, quia cadunt.*

Multi putant, *in malis operibus se justitiam tenere, & simplex cor habere. Hodieque sunt christiani, qui nomen habent tantum opus non habent, qui propè talia agunt, qualia Pharisæi. Appetunt laudes humanas, timent detractiones, gaudent lucris, contristantur damnis, mendatio nummum acquirunt, impie agunt, calumniosè multa rapiunt, non judicant neque vidua neque pupillis, sed magis opprimunt, peregrinos contemnunt, nudos despiciunt, pauperes non intendunt.*

Isti quid expectant in futuro, nisi illam sententiam: esurivi, & non dedictis, mihi manducare? &c. Nam vide, scriptura sancta quid dicat, *in mensura, qua mensi fueritis, in eadem remetietur vobis* æque alio loco dicit: *quæ vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite eis. In tantis sagittis testimoniorum quale est cor durum, quod non doleat? Non tacent Prophetæ, non tacent Apostoli, &c. Quid dicturi sunt tales in futuro; Num quid excusabunt se de ignorantia?*

Sive ergo multi sive pauci secus agant, firmum, pressensque tenendum est, neque fluctuandum, nos & posse, & teneri Deum diligere super omnia, ac proximum, sicut nos: hoc esse compendium hanc summam, in qua universa lex pendet, & Prophetæ: in qua omnis lex instauratur, impletur, ac servatur: quæ nisi retineantur, vix intelligitur, ac prorsus paradoxum apparet, nos charitate tantopere edoceri: at iis retentis, firmisque habitis, innotescunt plurimi modi, quos jam proferamus.

§. II.

Charitas est primum principium in practicis, sicut suas principia in speculativis; sed non sicut illa, & solum ex quo, sed quo simul, & ex quo.

VEl est tractare de præceptis charitatis, quæ etiam sunt prima principia in agendis, ut ponit S. Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 4. & 2. 2. quæst. 44. art. 1. & observat cum aliis, Sanchez in proœm. libro 2. in Decalog. & hæc principia sic sumpta docent solum objective, ut initio quæst. preced. annotatum est, nec tam pars sunt Decalogi, quam præsupponuntur, ut sua principia scientiæ unicuique. Vel est tractare de ipsa charitate habita, quam habere omnes ene-

mur. Atque hæc est, quæ potissimum docet nos, dirigit, ac instituit: quare de ea in terminis disputabimus, indeque proportione constabit, qualiter etiam præcepta ipsa doceant, seu ex eis, tanquam ex suis propriis principiis scientia moralis Christianorum hauriatur, colligaturque. Ex quo principiorum velut cœli à terra distantia conspicies, quantum Theologia moralis à Philosophia Gentium discrepet, ac supra eam erigatur. Ubi enim apud eos, ut Augustinus quærit, charitas illa ædificans? &c.

Omnis charitatis, ac dilectionis institutio ad tres universim modos revocatur; suntque deinde modi multi in unoquoque genere. Tres hi modi velut generales consistunt in eo, quod spiritus hic charitatis hominem primo in se, & erga se; Deinde erga Deum; tertio erga proximum recte disponit, amando Deum super omnia, ac deinde se ipsque, ut par est, amando, seu vere amando, & demum diligendo proximum sicut se.

Hæc tria facit tanquam principium agendorum, vitandorumque omnium. Comparatur itaque primis principiis, seu verius intellectui primorum principiorum in speculativis. Nam ut perpetuo assumit ex Philosophis Sanctus Thomas, finis: charitas autem, ut idem Doctor tradit, est virtus disponens nos recte erga finem; quare & architectonica appellatur, quia cæteras omnes imperat, ac movet, ut Dux in exercitu. Unde Deus principiis, charitas intellectui principiorum confertur; cumque, uti idem Doctor docet, causare finis sit appeti, charitate qua Deum, ac finem appetimus, & amamus, movet nos Deus, ut supra etiam dicebamus de tractione, &c. Neque hic nobis & d. Thomæ opponant, Deum in se, & secundum se, non ut finem nostrum per charitatem amari; nam in scholis salvam, intemeratamque servavimus eam S. Doctoris formalem, signatamque doctrinam plane verissimam, Deum esse objectum charitatis, *in quantum est objectum Beatitudinis*: alioquin virtus motrix omnium, implens legem, agensque nos, ut loco suo disserui, vertitur in aliam quasi speculativam inertem, nimisque plane otiosam: Deus enim in se nullo indiget, nec virtutes sunt media ad Deum secundum se, sed ad Deum finem. Removimus autem ibi removendam concupiscentiam; nam concupiscere Deum purus spiritus est, proprius amantium, juxta illud: *concupiscit, & deficit* (amoris utique deliquio) *anima mea in atria Domini*, ac multa alia, & ardentes amantes cupiunt dissolvi cum Paulo, & esse cum Christo, non mercenario, sed filiali; non ut remunerentur, sed ut Deo adhæreant, & cum eo sint, non ut melius sint. Qualiter verò Moyses deleri tamen de libro postularet, Paulus anathema esse pro fratribus, ac ignem jaciens Ignatius, quasi renunciaret certitudini gloriæ pro spe aliquem lucrandi, exposuimus eò loci, & in scholis.

Nunc itaque, quod propositi nostri est resumamus, charitatem esse vel ipsum principium agendorum, ac vitandorum, seu Deum super omnia amatum esse hoc principium quasi *quod*, charitatem vero *quo*: appellabimus autem brevitatis, expeditionisque causa charitatem principium; nam innotuit, quo sensu loquamur.

Dixi igitur charitatem esse primum principium in practicis, sicut sua prima principia in speculativis, atque hoc satis declaratum est. Addidi, non instar eorum in eo esse, quod illa comparentur ad conclusiones, & ad scientiam solum tanquam *ex quo*, nam hoc passivum habet significatum ut ex l. Physicor. tò autem *quo*, activum.

Par scilicet erat, ut principia scientiarum indolem ipsarum scientiarum saperent; & cum scientiæ speculativæ non moveant, sed in contemplando hæreant, & velut inertes, passivæque sint; sic earum principia, & semina quasi passiva solum essent, ex quibus intellectus, ingeniique negotiatione conclusiones, scientiamque ipsam velut extraheremus, educeremusque. At contra activæ scientiæ, scilicet Moralis Theologiæ oportuit ipsa etiam principia esse activa. Est autem maximum, & potissimum principium ejus charitas. Hæc ergo est, & ex qua eam habens scientiam moralem elicit discursu, ac ratiocinio; & est etiam, qua homo subjectiva motione, ductuque ad rectas conclusiones, & dictamina agendorum, ac vitandorum dirigitur.

Hinc nunc breviter, in genere ingens quædam prærogativa charitatis conspicitur: nam cum principia speculabilium passive se habeant, totum ferme negotium educendi, colligendique conclusiones, & scientiam rationis pœne unius est ingenii: ex quo ad eas comparandas tanti sunt vigor rationis, ingenii robur, judiciique integritas. Contra in scientia morali potissima negotiatio, & actio est ipsius principii, & charitatis; exigua hominis; ut quippe Paulus dicebat, *qui spiritu Dei aguntur ii sunt filii Dei*, *qui autem agitur*, glossat Augustinus, *vix quidquam agere intelligitur*.

Vidit hoc Augustinus, cum dixit: *Surgunt indocti, & cœlum rapiunt: & ecce nos cum doctrinis nostris, volutamur in carne & sanguine*. Videmus sane & nos omnes novimus, homines alioqui ad scientias ineptissimos, ingenio tardos, discursu hebetes sic tamen instructos, ac firmos in conclusionibus agendnrum & vitandorum, ut erubescere quidem possimus; obloqui vero, omnino nequeamus. Supplevit scilicet ductus ille subjectivus, & institutio inde nata, quin etiam superavit magnarum aliarum mentium eminentiam.

§. III.

Docet ergo primò charitas reddendo nos mundos corde.

Sexta inter Beatitudines ea est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Augustinus in Breviario: Intellectus congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit, quod corporeus oculus non vidit: atque plurima sunt hoc circa in scriptura, & sanctis, quæ supponimus; & solùm breviter unumquemque horum modorum docendi percurrimus.

Nunc quantum hæc sola pars in rectam doctrinam morum, veritatemque habendam conferat, patet ex lib. 1. ubi docuimus, nullum peccatum ignorantiæ, & erroris esse primum, sed præcedere necessario aliud scienter commissum, ac nondum deletum, ut in Paulo ad Rom. 1. manifeste cernitur. At charitas reddit nos mundos corde mundando animam ab omni peccato, maculaque gravi.

gravi. Liberat ergo ab omni peccato gravi ignorantiæ, & erroris.

Dices, eam hoc pacto redditurum ignorantias, involuntarias, ac culpæ expertes, non autem ablaturam illas: non ergo hinc docebit Veritatem. Sed vero satis hoc remotum videtur lib. 3. ubi saltem confessum videtur, ignorantias in vincibiles, ac in voluntarias legis naturalis, & divinæ, non posse esse plurimas, sed raras, & rursus quæst. præc. hoc repulsum est. At vincibiles, ac voluntarias omnes tollit charitas. Paucas ergo, & raras ignorantias relinquit, ut transmittatur relinquere aliquas.

Deinde eodem lib. 1. quæst. 2. causæ particulares ignorantiarum assignatæ sunt, cæcitas, ac hebetudo mentis, quæ ex peccatis contrahuntur. At charitas mundat cor nostrum ab his peccatis omnibus. Tollit ergo ex consequenti cæcitatem, ac hebetudinem: quo ipso visus restituitur, vigorque ad recte judicandum redditur. Charitas igitur reddendo nos mundos corde id ferme præstat, quod ad videndum ille qui, cœco visum restituit.

Iterum ea ipsa quæst. 2. tractatum est de necessitate emundandi, purgandique animam, ut ignorantiæ Voluntariæ esse, quin etiam prorsus esse desinat, Per charitatem autem anima, & conscientia purgatur, mundaturque. Confert ergo illa plurimum, ut ignorantiæ prorsus esse desinant, & sic veritas invenitur. Quæ profecto multiplici denuo authoritate communiri, ac desingulis particulis quæstionis quæstiones subtexere, absre plane foret. Hoc solum dicis, hæc, quæ charitati attribuimus, non tam charitatem, quam ipsam Justificantem gratiam efficere. Cæterum ex secundo modo nunc assignando apparebit charitati magis ista congruere quoad agnoscendam Veritatem, repellendasque ignorantias.

§. IV.

Docet ergo secundo quia qualis unusquisque est, talis ei videtur finis, & quæ sunt ad finem.

Hic modus alius est, quo copiose nos instituit charitas nos reddendo bene, recteque effectos erga finem, & media: erga Deum, & creaturas. Est enim in ethicis principium morale omnis ætatis, & hominum experientia comprobatum, qualis unusquisque est, hoc est, qualiter affectus est, unusquisque, talem ei videre finem, & qualiter deinde videtur finis, videntur etiam media. Quo facit S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 6. ad. 3. sed Deum, ut ipse jubet, diligens recte prorsus affectus est erga Deum, qui est finis: ac consequenter etiam de mediis.

Major propositio, & si adeo nota sit, uniuscujusque experientia, breviter exprimenda magis est, seu attigenda potius mens. Quemadmodum itaque affecti sumus, quod viridium, aliorumque colorum inspicilium exemplo Rodriguez, aliique declarant, ita plane res nobis videntur, atque de eis practice saltem demum judicamus ac pars maxima Judiciorum nostrorum. Voluntas est. Videas quotidie, fœdos alioqui pueros per pulchros videri suis matribus: nationi unicuique nostræ, quam amamus, mores, Linguam, Vestem placere, displicere eorum omnia, quos aversamur. Notius plane non est, ignem ligno arido applicatum comburere, quam hoc ita esse. Alias sane notavimus, moralem scientiam haud constare quibusdam abstractis discursibus, quos metaphysicos non apte vocant, sed esse scientiam considerantem mores hominum, & eorum experientiam, sicut Physica scrutatur experientias entis naturalis: & abstrahendo ab experientiis neutra Philosophia constat. Ergo sicut in Naturali verum est, aut non dari vacuum, aut motum violentum esse in fine rardiorem; ita in Morali verum est, nos qualiter affecti sumus, ita plerumque, vel semper etiam saltem practice, judicare de rebus.

Hic locus erat ad dicendum, explicandumque amplissimus, sed in quo hærendum non sit. Dissentientium scholarum contraria judicia rem satis declarant; atque eorundem fere omnium hominum sententiæ pæne momento forte mutarentur, si momento affectiones, ac instituta etiam commutarentur. Intellectuum illud non volitum, de quo utrum sit possibile, scholæ disputant, esset sane maxime, & rectissime intellectuum, ab omnibus scilicet affectuum impedimentis solutum, expeditumque. At major multo vis intellectiva, ejusque rectitudo efficitur, si deletis omnibus pravis, obstantibusque affectionibus nova virtus recti affectus addatur, quæ quasi duplicet vim ipsam, intellectus, & ingenii. Liceat plane utriusque disciplulo brevis diggressio: eminuere utraque virtute Augustinus, & Thomas; hic tamen ut purus quidam intellectus docet; ille ut intellectus quidam versus in amorem veritatis: Thomas clausit ignem, & emisit lucem. Augustinus etiam in verbis ardet, ut sic in utroque Magistro, quæ eligeremus, ac imitaremur, suppeterent nobis duo summa exemplaria docendi.

Nunc ad rem. Satis, opinior, constirit, claruitque veritas assumpta majoris. Minor autem est certissima. Dilectio itaque debet affectus pravos omnes; & licet, ut §. præce opponebatur, non dilectio, sed ipsa justificans gratia sit, quæ expellit peccata, at remanent pravi habitus, & involuntariæ quædam affectiones, quæ vigens negotium facessant. Ab his mundat animam dilectio, & affectus contrarius charitatis, atque hujus continuatione, & augmento raduntur prorsus a corde illæ pravæ reliquiæ peccatorum, ac pravarum affectionum & voluntatum. Unde non modo intellectum reddit aptum ad bene judicandum, quasi purum quoddam, ac solutum, expeditumque Intellectivum, sed vim etiam ipsam Intellectus magis firmat, augetque. Certe pravi etiam quique judicant Deum infinitum esse ipsam beatitudinem, saporem, dulcedinem esse, eique omnino inservire oportere. At ista experimur magis, quam recte explicare sciamus quam certe sciam ego; quasi semi dormientium aut semisopitorum nescio qualia judicia ista sunt; urgent profecto, & aliud practice faciunt apparere, ac prævalent affectiones pravæ: dicimus quidem Deum dulcem, ac tepide, & nescio quomodo etiam credimus, sed id interea non solum non intelligimus, sed nihil nobis male affectis videatur aridius, insulsius, tristitiusque.

Contra charitas facit, ut quæ sursum sunt, sapiamus, id est, reddit nobis ea sapida, jucunda, delectabilia, & sic etiam læta. Hoc tantum, uno præstito, tu vide, quanta nos deceat? Sordet

terra, diligenti, dum cœlum aſpicit, ut ſordoit amanti Ignacio: contra amanti terram vix non ſordet cœlum; nam qui Deum non diligit, plane diligit terram; nec enim poſſibilis eſt in corde noſtro illa vacuitas ſtoica, ſed qoa neceſſitate ignis comburit, nos actu, vel habitu amamus aliquid tanquam primum: ergo ſi non Deum, terram ſane. His autem revera ſordere, cœlum, & ſi verbis aliud loquantur, conſtat; quia ſi optio daretur, facile cœlo ſuo renunciarent, modo concederetur, frui mundo, uxore, filiis, divitiis, potentia, ſalute in ſempiteroum: quin neſcimus, an ſic prave affecti etiam in triremibus ſemper remigare electuri magis eſſent. Ecce, qoalia ſunt prave affectorum Judicia, & qualis eis Deus, qualis finis, quale Deo frui demum practice videatur. Hanc univerſam affectuum fæcem, hæc phantaſmata, illuſiones, & qua veneficia delet, radit, extinguir charitas, & facit videri contraria omnia. Dici ergo vix poteſt, quantum vel hoc uno doceat. Hi ſane amantes intelligunt, percipiuntque illud *quam bonus Deus Iſraël iis qui recto ſunt corde*, atque alia, quibus pſalmi maxime conferti ſunt: illi enim rectum cor & quo debent, directum habent.

At dicis, ego certe Deum ſuper omnia diligo, legemque ejus ſervate mihi videor, interea tamen nihil horũ experior, nec ſapida mihi cœleſtia ſunt, ſed magis terrena. Reſpondeo, non verbo ſolum, & lingua diligendum, ſed opere, & veritate: me vero prorſus non intelligere, quomodo res amata, quin etiam ſuper omnes alias amata amanti ſapida non ſit, ſed inſipida. Certe nos terret Paulos ad Philip. c. 3. ſcribens, eſſe quoſdam non ambulãtes, ſicut formam habebant, ſed (quod & flens dicit) *inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter ſit*, & gloria in confuſiooe, *qui terrena ſapiunt*, parum ſcilicet refert, quod Deus ribi venter ſit, vel nummus ſit, vel gloria mundi: quidquid illud erit, hoc potiſſimum amatum eſt, & ſapis.

§. V.

Hinc tertiò charitas plurimum docet in omnibus quæſtionibus de facili, & difficili, de duro & blando rectè judicando.

INquam, rectè judicando, ſeu faciendo rectè judicare. Haud verò exiſtimes minimam eſſe iſtam moralis doctrinæ partem; plena eſt ſcilicet illa his quæſtionibus, & per facile & difficile, atque per durum, & blandum, ſeu mite infinita reſolvuntur.

Aſſumitur namque illud principium, quod ſæpe deſtruximus, hoc, aut illo injuncto, terrendos homines, arcendos à virtute, damnandos plurimos; quod ne ſequatur, quaſi legiſlatores eſſemus, legem modo noſtro credimus. Hoc dixi ſæpe, & ſcelus eſſe, & contra notoria principia religionis Chriſtianæ eſſe. Hoc enim tractamus, utrum Confeſſores immites eſſe debeant, dureque tractare pœnitentes; ſcitur ſcilicet, eos mites, patienteſque eſſe oportere, & ubi ſuavis modus non ſufficit in omni patientia, & doctrina, tunc demum eſſe increpandum. De hoc, inquam, dubitat nemo. At aliud eſt de lege, deque obligatione, atque doctrina velle diſponere, ac arbitrari; & eam eligere, quæ à quolibet ſervari facile queat; eam reſpuere, quæ nequeat. Hoc plane noſtrum non eſt, nec ſalvat homines, ſed fallit, ut ſæpe eſt commonſtratum.

Ar honeſtant hanc viam per eam mox vocem *impoſſibile*, quæ mihi vox plurimos etiam Reipublicæ adminiſtros videtur perdere, ipſique etiam Reipublicæ inſignia inferre detrimenta: ubicumque enim ſui amantes, delicatiſſimique homines difficile aliquid inveniunt, mox pronunciant impoſſibile: continuo porro pro conſcientia in auxilium vocatur Janſeniſmus dicendo, *ſed obligare ad impoſſibilia eſt Janſeniſmus, aut Calviniſmus*, & concluditur nullam eſſe obligationem, ac late vivitur, confundendo difficile cum impoſſibili, quibuslibet, & rurſus difficile quibuslibet cum impoſſibili: quo demum ea via & cœli & Reipublicæ recte adminiſtranda ſit, in qua nihil ſit cuiquam difficile: quo ſane nihil falſius, nihil utrique bono & ſtatus, & ſalutis magis contrarium excogitatum eſt. Sapienter ſane quidam prudentiſſimus Gubernator ſubdito per impoſſibilitatem ſe ſe excuſanti reſpondit: *queſto e unſento non poſſo* ed un vero non voglio.

Sumus itaque in rebus manifeſtiſſimis; eædem ſcilicet res ſunt faciles his, difficiles aliis, & aliis difficiliores, vel etiam ex ſuppoſitione impoſſibiles eos, quorum venter Deus ſit, jube jejunare eos, quibus pecunia Deus eſt, (eſt enim avaritia Idolorum ſervitus, & Idolum numinus eſt) jubet reſtituere, aut non theſaurizare ſuper terram, aut mille modos malos, contractum prohibe; terribilia ſane injungis. Delicatiſſimos, ſuique amantiſſimos Proceres, ac nihil ferme pati aſſuetos, quibus gloria mundi fere Deus ſit, obliga ad ea quibus plurimi Procerum quoque offendendi ſint, ac odium ſecuturum, ac forte etiam gradu cadendi periculum immineat, vel Princeps ipſe commovendus eſſet. Jam prudentia ſæculi, & carnis & ſanguinis ex cathedra peſtilentiæ definivit, iſta impoſſibilia eſſe, quin etiam imprudentiſſima, & per abſurda. Sed vero, da hominem Deum revera ſuper omnia amantem, qui, quæ ſurſum ſunt, ſapiat, qui terram non quærat, nec quæ ſua ſunt. Profecto huic terribilia iſta, vel etiam impoſſibilia vix ludus non ſunt, quorum ſcilicet voces ſunt, *in Deo meo transgrediar murum: Deus, qui præcinxit me virtute: qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, qui docet manus ad prælium, & poſuiſti ut arcum & reum brachia mea*, atque hoc genus innumera eorum, qui non in ſuis viribus connituntur, ſed habitant in adjutorio altiſſimi. Hæ certe nugæ non ſunt: veriſſimæ veritates ſunt. Illa ergo aliis dura, terribilia, impoſſibilia, his, quos loquor, hominibus non impoſſibilia, non terribilia, non dura, quin etiam ſæpe optata ſunt; & ſciunt ipſa ſua experientia, cuncta hæc, non qualia alii exiſtimant eſſe, imò ſe prompte ac delectabiliter Dei gratia, aut agere, aut pati.

Unde irrefragabiliter ſyllogizemos: habemus hic judicia contrarie judicantia de duro, & blando, de facili, & difficili, de poſſibili & impoſſibili; ſed ex Judiciis contrariis, utraque recta, ac vera non ſunt, ſed alia vera, & alia falſa. Ergo ita eſt

ihim

in his iudiciis. Sed recta, veraque sunt Judicia Deum diligentium. Ergo contraria neque recta, neque vera sunc: sunt ergo distorta, in flexa, falsaque. Num ergo his judiciis statuenda erit regula morum.

At inquis promptissime, nihil hic subesse syllogismi: nam Judicia ista sunt de diversis; & omnia vera: & non amantibus vere sunt res illæ difficiles, terribiles, ac ferme impossibiles, & hoc dicunt non amantium judicia: amantes vero dicunt, sibi esse faciles, ac expeditas res illas: & vere dicunt. Sunt ergo omnia vera, & non nisi fucus est syllogismus factus.

Egregie sanè. Sed ex hoc ipso denuo syllogizemus: difficultas, vel terribilitas, vel impossibilitas consequens, & voluntaria, ac voluntaria durans non excusat non observantiam legis ullius. Sed istæ a te explicatæ difficultates, terribilitates, ac impossibilitates non amantium Deum sunt consequentes, & voluntariæ, ac voluntariæ durantes. Quod patet; quia proveniunt ex duplici causa, utraque consequenti, voluntaria, ac voluntario durante; & ex eo quod contra debitum gulosus es, vel avarus, vel superbus, tuique nimius amator; & ex eo quod pariter contra debitum Deum non diligis super omnia. Ergo in nullius legis violatione excusant. Ergo sicut prius, judicia illa recta non sunt, ut statim magis declaro.

Etenim rectum judicium non judicat ex suppositione, eaque voluntaria, & prava, sed vel absolure, vel respectivè solùm ad rectè habentes, sanos, ac non inflexos, & corruptos. Cœlum aspicere jubes duos, quorum alter rectus stat, qui etiam obtemperat facile, ac cœlum, ut jubetur, aspicit; alter volontarie bestiarum ad instar humi manibus reptat, totos curvus, & inflexus: ex qua suppositione, ac in sensu composito, ut ajunt, cœlum aspicere nequit, neque obedire. Num ergo verum judicium erit, quo statuas, huic esse difficile, esse impossibile præceptum? Desiperes sanè. Sic autem sunt illi homines rui, quibus ex suppositione turpissima reptandi corde super terram, cibo, nummo, vanæ gloriæ inhiando, nec se, ot tenentur, in cœlum recta exigendo amore Dei sunt justa illa, ut ais, vel res difficiles, terribiles, impossibiles. Ergo judicia hæc, si admorum doctrinam deservire debent, non sic, & ex suppositione hujus cœlestæ inflexionis, sed absolute, vel relative, ad bene habentes, recteque dispositos sumenda, considerandaque sunt. Sic autem sumpta sunt aperte falsa, atque rectè sapientibus, & judicantibus contraria, ac vix non semisopitorum omnia, aut delyria.

Nemini itaque vel cæcorum Philosophorum male habentium, corruptorumque Judicia ad scientiam idonea visa sunt aut quæ ad temperantiam, vel fortitudinem, vel prudentiam, vel justitiam pertinent, per ea decreverunt, quæ in temperantibus, quo statuas, aut non fortibus, aut imprudentibus, injustisvè viderentur; quorum, scilicet, judicia supposuerunt non esse recta, sed falsa, & aberrantia: ideoque ad judicandum rectè de justo ad justos, adjudicandum universim de bono, de medio moralibus virtutibus necessario ad viros probos naturæ ipsius lumine confugerunt. Quid ergo in rem Christianam, doctrinamque obtruduntur male habentium, terræ inhærentium, Deum non amantium de facili, difficilique, de possibili, ac impossibili judicia? Num fæces istas Philosophia gentilium in suis virtutibus non suffert; sufferet vero Theologia Christianorum? & de prælio committendo consulendi erunt timidi, quibus minora quæque sunt terribilia? aut pro cœlo demerendo, qood violenti solùm rapiunt, auscultandi sint, qui nunqoam sibi, concupiscentiisque suis vim inferre assueverunt?

Sunt certe inter ipsos etiam rectè dispositos gradus illi incipientium, quibus lacte opus sit, proficientium, perfectorum; atque ita sua facilia, & difficilia respective. At his omnibus commune est declinare a malo saltem gravi, & omnem legem servare, nec per difficile se eximere, solumque circa bonum, & magis bonum distant, ac etiam per remotionem, & fugam levium quoque malorum.

Ex his in primis patet, quantum charitas conferat, doceatque in omnibus quæstionibus moralibus de facili, & difficili; de duro, & blando, de possibili, & impossibili; ac ipsa sui experientia unusquisque Deum diligens ridet, vel si ridere diligentium non est, miserebitur eas excusationes, quibus a lege implenda, per difficile, ac impossibile sese excusant peccatores: videt enim, esse judicia quædam prorsùs miserenda, atque indigna, quibus nunc quidem sopiatur quoquo modo conscientia; at demum valitura non sint in recto judicio coram eo, quem per contumelias, & crucem oportuit intrare in gloriam suam. Pessimum profectò est peccare; at miserandum magis videtur Deum nostrum discursibus nostris velle involvere, eludereve.

Facile deindè esset etiam in specie, atque in dividuo ostendere, quo pacto, & in quibus nos hoc ex loco rectè & copiose instituat charitas: sed hoc operis quilibet sanè compleat percurrendo quæstiones. Ut vero aliquid in specie significem, innumeri sunt, qui sanctam quadragesimam non servant; qui etiam carne vescantur. Si causam requiras, duas assignant, aliam, ut vocant, ab intrinseco, & respondent, quia non possunt; aliam, ut vocant, ab extrinseco, & respondent, quia Medicus dixit. Quam utramqoe responsionem disjeci lib. 2.

Sin vero quoad dilectionem rem examinemus, & rogemus, cur aut quadragesimam servare, aut a carne abstinere non possint, respondent, quod vel caput nescio quid dolet, aut stomachus non ita bene habet, vel quid simile; confundunt enim malum magnum, & medium & parvum; & parva quæque sese amantibus, delicatisqoe, & qoibus propositum est nihil pati, maxima sunt. Hæc in primis judicia sunt, ut vidimus, in torta, & ab errantia. Deindè supponunt pœne ridiculum illud, quadragesimam, & pœnitentiam institutam esse, ut bene habeamus, nihilque patiamur, & non potius ut per eam maceremur etiam in corpore. Cibos rursùs quadragesimalis sæpè numero non a qualitate, sed quantitate nocet, quia ea nos opplemus sine modo contra institutum etiam ipsum jejuniorum, ac priscam Ecclesiæ consuetudinem. Viri præterea quidam Principes nescio ex qua schola haustum illud supponont, quidquid est pœnitentiæ non secum loqui, sed cum Monachis. Omnes itaque diligentes Deum super omnia opere, & veritate supponunt contra, & vident, hæc, quæ

obtenduntur, non impossibilitatem, non etiam difficultatem probare, sed ipsorum ita obloquentium pravam dispositionem, & habitum; quare illi procul absunt ab his prætexendis excusationibus, quin ubi etiam realis, ac vera impossibilitas adsit, scrupulosius allegant contra se, ac cedunt demum obedientiæ, non gulam, ejusque desideria non promovent: quæ sanè, si ipsa loqui posset, ea allegaret, quæ quidam ad se excusandos magnificant, & ad omnia putant Leonem esse in via.

§. VI.

Docet quartò charitas, quia facit nos amare legem, & non cum illa disputare, ac litigare.

HOc etiam ex loco inductas arbitror plures falsas opiniones, a quibus proindè omnibus avertat nos, liberetque charitas. Instituta est enim formalis lis inter legem etiam ipsam Dei, & nos; & si quid de legibus pure pœnalibus dictum est ad omnem universim legem inducitur, ac ad legem etiam eam, de qua scriptum est: *Lex Domini immaculata convertens animas: testimonium Dei fidele sapientiam præstans parvulis.* Si ergo id aversor, atque cum eo velut adversario disputo, & litigo, quo convertendus sim, & sapientiam etiam assecuturus, tu, rogo te, considera, quis inde rerum status secuturus sit.

Quod porrò instituta sit lis formalis, contentiosaque disputatio inter legem sanctam Dei, & nos, utinam falsum sit, atque fallar prorsùs ego. Dixi de hoc aliquid part.1. Nunc pauca significabo. quando duo litigant, illud opinor, moris servant, ut reus actorem cogat probare & concludere, sin minus liberos, liberandosque se rei habeant, quia indubiis favendum est reo. At hoc ipsum Probabilistæ faciunt cum lege Dei: hominem enim velut reum assumunt: legem actorem faciunt, quæ cogatur probare; & nisi certo, & concludenter probet, ajunt, partem contrariam manere aut æque, aut minus probabilem: & sic hominem reum absolvunt, liberumque, & sui juris pronunciant. Afferat lex æqualia, afferat majora. Nihil facit; & quasi obligatio legis pœna mortis esset, requirunt probationem omnino, certam, & concludentem, ac demonstrationes etiam quidam obloquuntur. Hæc, credo, sunt propria formalem litem habentium in criminalibus. O Deus meus.

In civilibus magna privilegia sunt possessionis, & præscriptionis. Quoties itaque formalis instituitur, alter litigantium obtendit possessionem, quam si probet, in pari alioqui jura præfertur. At hoc idem faciunt Probabilistæ cum lege sancta Dei convertente animas, sapientiamque præstante. Quod patet, quia quoties adsunt rationes pares pro lege, & contra legem, quin etiam fortiores, sed non concludentes pro lege, sententiam dicunt pro homine contra legem probant autem dicendo, quia possessio stat pro libertate: qua etiam regula in jejunio, in ætate necessaria ad ordines, atque in aliis multæ opiniones excogitatæ sunt, ut part.1. lib.4. tractavi. Ergo verum est, quod assumpsi formalem scilicet institutam esse inter legem sanctam Dei, & nos.

Omitto tot illa tanta allegata, & tam exquisite inventa, promotaque contra legis promulgationem sufficientem, ut si quasi ex legis ipsius defectu effugere nequeamus, eique obsistere, obsistamus saltem ex defectu promulgationis, quam ajunt in probabilibus omnibus non esse sufficientem. Et quid, precor, aliud efficeremus, si lex propriè nobis adversaria & instar hostis esset, sicut in litibus; & si ut ad convertendum animas, illuminandosque nos est posita, a contrario ad evertendas animas imposita fuisset? Omitto quod res velut odiosa illa tractetur. Omitto, quod aliqui hoc summum bonum arbitrari videntur, arcere scilicet malum legis, obligationisque, & in eum scopum scribere, ut ab hoc quasi servitutis esset, jure aripiant nos, peccataque, ut dicunt, tollant. O iterum Deus meus!

Hæc cuncta & alia plangenda resecat, aut stirpitus potius convellit charitas, quæ sicut Deum, sic etiam Sanctam ejus legem facit amare: non odit, non refugit, non litigat, non disputat, aut evadendi vias quærit, qui amat. Evidens nimirum est, quod Gregor. Nissenus de vita Moisis assumit: *qua voce,* inquit, *lex ipsa omnibus edicere videtur, si quis Deum amare vult, ut legem amet; nam qui legis amicus est, certè Dei quoque amicus est:* ac vice versa planè non video ego, qua ratione amicus sit quis Dei, & legis inimicus, seu non amicus esse possit, & tam ingeniose ad illam a se pellendam ratiocinari, disputareque.

Beatus Bernardus tract. de diligendo Deum, quomodo justis lex non sit posita, sic ad præsens disserit: *Sed Justis non est lex posita, hoc est, non tanquam invitis posita, sed voluntariis, eo liberaliter data, qua suaviter inspirata. Unde & pulchre Dominus: tollite jugum meum super vos: ac si diceret: non impono invitis, sed vos tollite, si vultis: alioquin non requiem, sed laborem invenietis animabus vestris.* Superfluum est in re clara, experimento ipso nota, quam S. P. Ignacius in Epist. de obed. statuit, sanctos alios commemorare.

Ubi autem Jugi facta est mentio, videas passim boves, alios nondum satis edomitos, qui colla jugo submittere detrectant, quanto labore, partim vi, partim industria trahendi sint, ac vinciendi, qui postea toto ferme die ita calcitrant, ac male portant: alios jam assuetos, & jugum consuetudine quodammodo amantes, qui ultro sese offerunt. Sic sunt, & plus sunt, qui Deum, ac proindè legem etiam suam amant, qui jugum ipsi & amant, & tollunt, & si optio detur, *vos tollite, si vultis,* volumus promptè dicunt; & requiem animabus inveniunt, alioquin inventuri laborem, ut ait Bernardus Abeant ergo illi, quibus illud consilium vi mentem venit reddendi jugum suave tollendo obligationes, idest legem.

Habemus sanè citra alios libros obviam in Breviario doctrinam istam: Deum diligens ille quid aiebat? & *lex tua in medio cordis mei:* ac rursùs *portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam.* Non igitur calamitatem suam, quam modis omnibus a se repelleret, sed portionem suam, atque hæreditatem hanc existimavit custodire legem Domini, quam & ideo in medio cordis sui fixerat. At nemo hæres institutus exceptiones ullas quærit, ut hæreditatem rejiciat; aut dicit, hæreditas non probat, hæreditas non concludit: & si rationes graves afferat, si etiam majores, supersunt tamen in contrarium aliæ: Melior ergo est conditio possidentis. Quid vero, precor, possidentis? Libertatem inquis, meam. At vide, inquam ego, quid recuses: non malum, non detrimentum, sed hæreditas,

reditas, est, fundi, pecuniæ, domi sunt. Aures plane arrigit, quia res has omnes amat: non ergo consulit, quomodo hæreditas sibi non competat, non rationes scrutatur, quibus repellat; non probationes petit, sed ipse potius subtiliter inquirit; Advocatos circumit, qui jus suum statuant, ac multam præterea pecuniam solvit. Eccur vero ita? Respondet; ut hæreditatem obtineam. Ac oppono: num melior non est conditio possidentis? liber eras, & tui juris: quorsum ergo vis, hæreditatem tibi imponi Ridet, & respondet, hæreditatem esse, bonum suum esse, gravamen non esse, sed felicitatem subjici hæreditati. Nunc oro te, hæc cuncta legi Dei accommoda, quæ portio justorum est; & forsitam erubescas. Erubescas sane & confundatur, qui hæc fovet.

Sed occurrat forte tibi, hæc spiritualia magis esse, quam Theologica. S. Thom. 22. q. 64. art. 1. ignorantiam tuam tollit: *dicendum*, inquit, *quod obligatio præcepti non opponitur libertati in eo, cujus mens aversa est ab eo quod præcipitur, in his, qui ex solo timore præcepta custodiunt.* ergo qui lites illas, suscitant, *melior est conditio possidentis, &c.* eos docent, vel ad eos loquuntur, quorum mens aversa est ab eo, quod præcipitur: sic namque aliquid per obligationem præcepti deperdunt: qui autem recte habent, nihil deperdunt. At illi prave illud retinere cupiunt, nam pravi Deum, eiusque legem non amant. Nihil ergo juris habent: sed jus potius omne est, ut libenter, volentesque jugum tollant.

Tria itaque genera hominum sunt legem quo quomodo custodientium; in quam, quo quomodo, eam totam non custodiunt: scilicet servi, mercenarii, & filii; ex quibus nec puri servi salvantur, nec puri mercenarii, sed filii solum; *nam si filii, & hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi?* Primi ex solo metu, secundi ex sola spe præmii præcepta custodiunt; & sic non omnia custodiunt, nam primum omnium, ac maximum prætermittunt. Postremi vero scilicet filii amore servant: & si etiam metu, ac spe juvari possint, quandiu saltem perfecta non est charitas, quæ servilem omnem timorem foras mittat.

Ex his ergo conspicitur lites illas omnes, ac disputationes cum lege haud esse filiorum, sed vel solum servorum, vel solum mercenariorum: & quemadmodum in bello armorum pugnat quisque, ne ab hoste capiatur, unde captivus dictus est, ac solum vi, ac victus subjicitur; ita inter hos servos, & Deum bellum rationis instituitur, & allegant quanta possunt, ne subjiciantur, ac nisi vi rationis prorsus capti, & victi, convictique, cedere nolunt. Mercenarii similiter disputant; ad tantum, inquiunt, conducti sumus: ultra non tenemur, & quærunt quanta possunt, ad non ultra laborandum. Hi male affecti sunt, aut non recte satis affecti sunt; quorum proinde disputationes, allegationes, ac lites nullæ sunt; & de ficiunt in primo principio *diliges Dominum Deum ex toto corde tuo &c.* quale deinde est magnum utique Dei beneficium, quo nos lege sua dirigere dignatus est, nec facit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis; qua item summe indigemus, ut lib. 3. ostensum est, litibus recusare. Jure ideo catechismus Pii. V. monet Parochos, ut hujus, qui beneficii magnitudinem populum edoceant, sin minus onerantur nimium, coguntur que ad jugum importabile.

Ab his omnibus, quæ plurima sunt, ac per multæ etiam speciales, opiniones emanarunt, liberat charitas, & diligens dicit, *quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est, bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti*; & cætera illa tam multa, & magna, quæ quotidie recitamus, non sane expectabat, ut veniret lex, & probaret; sed ipse potius quærebat: *super senes*, inquit *intellexi*; quia *mandata tua quæsivi.* Non solutiones, & evasiones scrutabatur; sed *scrutabar*, inquit, *in mandatis tuis, quæ dileximus:* de rebus porro, quas valde diligimus, non quidquam auferri volumus, sed potius addi: unde & illud, quod supra dicebam, beati illi dicunt, in mandatis ejus volunt nimis.

Immensum esset, si cuncta hic retraherem, quæ adduci possunt. Enim vero huc ducendo, & hæc tradendo non hostes hominum sumus, sed amantes; hinc enim sumenda est latitudo illa mandatorum, qua Jugum Christi suave fiat, ut part. 1. lib. 2. quæst. 2. fuse ostensum est, concludat itaq; ubi supra Bernardus: *bona itaque lex charitas, & suavis, quæ non solum leviter suaviterque portatur, sed & servorum, & mercenariorum leges portabiles, ac leves reddit, nam ut ait alibi, charitas portatur & portat.*

Ex his vero stultitias Lutheri promptum esset avertere: patet enim sensus eorum, quæ Paulus scribit 1. ad Thimot. 1. sciente hoc *quia lex justo non est posita.* & ad Galatas 5. *adversus hujusmodi non est lex.* ad Romanos 5. *item non estis sub lege,* & quomodo liberati sumus a lege &c. Patent primum omnia in ipso Paulo: explicuit etiam nuper Bernardus; exponunt consimiliter cæteri, & acute Thomas in comment. *quod imponitur alicui ait, imponitur sicut onus:* justis autem non imponitur, & cum eodem ipsi inclinentur, non onus est. Ad Roman. c. *ipsi sibi sunt lex* Unde secundo Respondet, *si omnes justi essent, nulla esset necessitas dandi legem.* Eccur vero ita? Quia ipsi sibi sunt lex. Ubi denuo patet intentio tota harum quæstionum de directione, recta, ac magisterio charitatis.

§. VII.

Docet quinto charitas mediate, quia facit nos diligenter quærere: quærens autem invenit.

Duas partes hic modus complectitur, alteram lib. 3. plenissime constitutam; alteram per se notam ex quibus duabus sic arguimus: omnis, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit Veritatem moralem, si debite quærat, hoc est, mundo rectoque corde, ac diligenter, ut eo lib. disputatum est. Sed omnis Deum diligens debite petit, & quærit. Ergo accipit, & invenit. De majore, de qua copiosè dictum fuit, nihil opus est, addamus, quin habemus Jacobum Apostolum contestantem in rebus ad salutem nostram conferentibus, propterea nos non accipere, quod male petamus: & si aliquando nobis unum petentibus aliud concedatur, quod magis conferat, ut cernitur in Paulo: quod in ignorantia Locum non habet.

Jam minor est etiam quasi per se nota, nam diligentia, & nomine, & re filia est dilectionis aliunde vero supponitur, dilectione cor mundum, castum, rectumque reddi, qua scilicet & a pravis affectibus mundatur, & rursum exigitur, in quo proprie, sicut hominis, ita cordis rectitudo consistit. Omnis ergo diligens Deum, & mundo,

casto, rectoque corde petit, ac quærit, & diligentet, ac instanter perit, & quærit: quodsi perseverantia etiam desideratur, quæ certe amamus perseveranter quærimus, & postulamus.

A contrario etiam cernitur hujus institutionis copia. Siquidem ab omnibus tam Theologis, quam sanctis Patribus, ut lib. 1. visum est, ea ignorantiis mater assignatur, scilicet negligentia, unde & ignorantiæ supinæ, id est, quasi supinæ jacentium, & crassæ, id est, quasi pinguium, & crassorum, qui inertes, pigrique esse solent, nuncupantur. Diligentia autem non modo hanc ignorantiæ matrem, causamque pellit, sed loco ejus studium reponit quærendi. faciet ergo vel ex hoc solo plurima invenire. Si rursus Deus est qui docet homines scientiam, qui intellectum præstat, vias suas demonstrat, docetque facere voluntatem suam, ut lib. 3. statutum est: Deus autem, ut scitur, dona sua orantibus, petentibusque largitur; profecto diligentia a dilectione excita, nos coget postulare, pigritiamque tollendo faciet etiam obtinere.

Prorsus autem aliter non amantes, & negligentes: aliter amantes, ac diligentes quærunt. Primi enim si quando affectant quærere, revera non quærunt; ad quos per Prophetam dicitur; *si quæritis quærite*, Deinde cum alios consulunt, non tam Veritatem, quam non amant, sed divitias, vel voluptatem, quam diligunt, inquirunt, & id *quod amant*, inquit Augustinus, *volunt esse veritatem*: propereaque sæpe numero, quod amant quidem inveniunt, Verum autem non inveniunt, cum vel Deus ita in pœnam permittat, vel contingat, respondentes etiam non tam amare Veritatem, quam solatium quærentium, quos amant, vel reverentur, timentve, aut sperant.

At in amantibus contra sunt omnia, nam amor facit quærendo quærere: neque aliud loco veritatis sed ipsam inprimis veritatem, & legem velle & quærere. Facit etiam nos industrios, & quemadmodum vini amatores scire curant, ubi bonum divendatur, ubi aquatum, & gradus, & pretia, & singula exacte norunt, nec cuilibet credunt simpliciter, suntque scientissimi: hæc & alia multa pro veritate diligentia inducit.

Diximus lib. 1. taxari quoad nos non posse quantitatem diligentiæ necessariæ, ne nobis ignorantiæ imputentur, sintque voluntariæ, & vincibiles. Jam taxari illa hic posset, sed nobis certo saltem innotescere nequit. Eam videlicet diligentiam sufficientem, necessariamque arbitramur, quam adhibent diligentes Deum super omnia: atque hæc est recta sane regula. Enimvero cum hoc ipsum certo saltem nobis non innotescat, utrum scilicet Deum super omnia diligamus, sed solum per signa, & conjecturas quasdam, ut hoc lib. q. S. Thomas declarabat; sit ut quo ad nos plerumque ignota maneat quantitas diligentiæ necessariæ, unde omnibus opus sit ratione, *ab oculis meis munda me Domine.*

Excelsæ, copiosæque mentis Vir ille immortalis Em. Card. Palla vicinus illud ad præsens signum attulit pro quantitate diligentiæ agnoscenda. Abest, inquit, Pater & filius, quem impense diligit, periculose domi ægrotat: quo rescito, Pater totus dolet; hoc unum mente versat: hic, & ille, ut contingere solet. eum solantur, ac bona nuncia afferunt, filium unum melius habere, periculo etiam vacare. At ille non cujuslibet dicto quiescit; singula minutatim examinat, quis dixerit, qualis sit, quantæque fidei, circumspicit. Inquit ergo enim Cardinalis, quando quis ita scivit, Deum hoc, cur illud velle, aut nolle, præcipere, qualiter scito filium suum valere, Pares iste prorsus conquiesceret, tuuc satis diligentræ videri factum; sin minus non esse factum. Tenemur enim Deum amare, & consequenter legem ejus; & plusquam Patres ament filios. Ergo ad tantam diligentiam: quod abunde constat ex Breviario in solo psal. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Viatores scilicet sumus Via lex Domini est Viatores autem continuo de via sua, & fine cogitant; pericula cavent, errores declinant, quibus credendum sit, sciunt; si ab uno responsum fuerit, ab alio, & alio idem rursus inquirunt. illi ergo beati sunt, qui ita ambulant in lege Domini?

Ubi vero amoris Patrum mentionem facimus significantissimum dictum concionatoris non præteribo. Alloquebatur ille Matres: dicebatque; habet aliqua Vestrum tres filios, quorum unum minus diligat: non magna, inquit, postulo: sicut istum diligit, Deum diligat. Quid ergo nosmet vane defendimus.

§. VIII.

Docet nos sexto charitas ab incertis extrahendo.

Tractatum est de hoc late hoc lib. *quæst.* 3. ostensumque, ab incerto opinionum hinc inde inspectis omnibus plus minus ferme parum, aut non multum distautium exeuudum esse certioremque aliquam quæreudam, capessendamque plane salutis viam.

At ibi hoc ostensum est ita esse oportere, si autem charitas desit, vix quidquam vi doctrinæ consequemur, & in speculatione ferme cuncta manent: sicut quando apud gulæ, omuique ciborum luxui deditos jejunia Monachorum Thebaide commemoramus. Sin vero adsit charitas, qua vere Deum diligamus, hoc totum ipsa citra Doctrinas nostras peragit, nec amantes in quæstionem, disputationesque mittere volunt, quod tanto pere diligunt, Dei scilicet obedientiam salutemque suam. Forsitam suffecturum fuisset oleum prudentum Virginum etiam pro fatuis: sed vero, tanquam prudenter quæstionem incertitudinemque vitarunt dicentes: *Ne forte sufficiat nobis, & Vobis: ite potius ad vendentes, & emite vobis. Quid enim opus est*, ajebat, Augustinus, *in* tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?

Quod charitas, & Dei dilectio ab his in certis nos extrahat, dupliciter præterea ostenditur. Primum a simili amorum omnium carnalium, & mundi. Nam qui filios, aut uxores, fæminasve alias multum diligunt; qui pecunias, qui honores, salutem, nunquam has res amatas simili in certo, & quæstioni & periculo committunt ab ipsoque amore citra aliam institutionem adhortationemve continentur. Ergo sic a fortiori erit, si Deum, si legem ejus, ut jubemur, amemus. Quod sutem ajunt, nihil referre, neque nobis imputari, si lex reipsa violetur, sæpe ostensum est esse vanissimum. Inter est sane multum, si Filii, si Uxores, divitiæ, honores, salus reipsa pereant, nobisque imputatur, si simili in certo has res committamus; hoc unum non inter est, nec

nec nobis imputabitur, si lex Dei frangatur re ipsa. Qui porrò diligunt, hoc non intelligunt; nam sicut tu divitias ipsas in se amas, magni facis, custodis, nec periculo committis; ita illi legem ipsam Dei in se plus amant, multo pluris faciunt, diligentius custodiunt, horrentque ejus fractionem in se magis multo, quam fractionem gemmarum. Ab ipso igitur amore edocti sciunt, magis se teneri, eam periculo, incertoque non committere, magisque sibi imputandum, imprudentiores etiam se fore, quam si similibus quæstionibus, opinionibusque existentibus mundi thesauros omnes eis exponerent, neque tutiori in loco ponerent.

Alia probatio est ostensiva. Assumamus non quidem eos, qui verbo, & lingua prompte dicunt, se diligere Deum, sed qui diligunt opere, & veritate; qui proinde ei impense in serviunt, & hoc est suum negotium, quales novimus omnes aliquos.

Vade modo ad eos, & dicito de jejunio, de abstinentia a carne, de osculis, turpibusque aliis, de præceptis sub sancta obedientia impositis; de observatione regularum. Inquam, dicito: Ecce de hoc sunt in scholis, & libris opiniones: altera æque, vel etiam magis fundata dicit, esse peccatum mortale; altera æque, aut minus fundata dicit, non esse. Perge suadeque, ut turpius aliquid agant, præcepta prætereant, jejunium item, ac alia omittant sine fine. Horrent illi, opinionibusque hisce renunciantes Deu sancte in servire pergunt. Sic ergo re, apere, ac veritate Deum diligentes fugiunt hoc in certum.

Unde videas hic obiter, quam nihil fit necessarius mundo harum contradicentium opinionum probabiliom usus, sine quo scilicet vivunt, qui vivunt, quemadmodùm omnes vivere tenemur. Videas etiam eum usum ablegare non esse furcam aliquam ponere, ex qua homines suspendantur. Nam si Deum diligunt, nihil sibi opus est eo usu. Sinon diligunt: in primis sanè pereunt. Deindè sinon diligunt, duriorem, difficiliorem que legem servant, cum vis maxima, suavitasque potissima, & animæ requies ab hac ipsa dilectione, qua carent, proveniat: vuas proinde acerbas sine charitate comedunt, ac dentes eorum stupescunt; & vel in una lege castitatis, aut eam millies comminuunt, aut direverantur; ut infinita prætercam, quæ a mundo, à Demone, a fratribus, in fortuna, salute inviti, nolentesque patiuntur; quorum omnium lenimentum charitas est. Non ergo dicamus; probabilitas suavis est, eam sequimini, sed dicamus, charitas dulcedo, saporque omnium est; eam ergo consequamur. Vident sanè hoc bene affecti quique, & faciunt: male affectis somnium videtur, & transeunt. Ex quibus patet, diligentes re, & opere Deum vitare in primis, & effugere viam probabilium, & præter, vel contra opinionem propriam per reflexas ambulandum.

§. IX.

Docet nos septimo charitas; quia custodit Dominus diligentes se.

Hic alius modus est, quo diligentes Deum, & ab erroribus custodiuntur, ac veritate instruuntur; diriguntur que: nam *custodit Dominus omnes diligentes se; & omnes peccatores disperdet* psal. 144. Sicut ergo, quibus Dominus est adjutor, vires non desunt, ac inimicos despiciunt, dicuntque, *si Deus pro nobis, quis contra nos: si consistat adversus prælium, in hoc ego sperabo*; ita quos custodit Dominus dicunt, *Dominus illuminatio mea, quem timebo?* nec est, cur tenebras, errores ve, atque ignorantias metuant. Hæc si fortiter crederentur, vim certe magnam efficerent: sin minus, vix ullam, sed leguntur, & prætereuntur, quasi olim ad Davidem pertinuissent; nihil vero nos modo tangant: sed judicabimur.

Scitur itaque, quanta, quamque iterato promittantur in scriptura diligentibus: satis magnum illud est, quod veritas inquit, *si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hic Deus, & Trinitas ad diligentem veniens, manensque apud eum, est, qui docet hominem scientiam: scit autem *cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*, eumque beatum esse, quem ipse *erudierit, & delege sua* docuerit eum. Quod certe muneris si cum aliquibus aliquando exercet, utique cum eis, ad quos veniens apud eos etiam manet.

Ratiocinemur non nihil. Qui scientissimum Magistrum secum habet, qui peritissimum viæ ducem, quin vel equo saltem versatissimo vehitur, errores facile vitat etiam in densissima nocte. Quid ergo dicamus de habentibus Deum apud se? Rursus peccatores excæcat Dominus lumen suum subtrahendo, ac permittendo etiam, ut ab aliis decipiantur. Docet ergo, ac illuminat se diligentes filios suos, tam illuminando, quam etiam custodiendo, ne ab aliis seducantur. Facerent plane hoc Patres quique carnales erga filios suos, si possent: facit ergo a fortiori Pater cœlestis: nec enim ludus aliquis, aut fabula est, sed verissima veritas, quod eum diligentes filii Dei nominentur, & sint; nec vecors, aut iners Pater aliquis est, sed qui cum nondum filii, sed peccatores essemus, ut tamen filios nos suos efficeret, *sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Pauli autem est illa consecutio ad Roman. 8. *Quid ergo dicemus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Solutio illa una est, quod is quidem donaverit omnia; nos autem accipere detrectemus. At diligentes non detrectant, quin libenter, volentesque voluntatem suam scire volunt, quam expleant. Ergo accipiunt, & exequuntur.

Dupliciter ergo Deus custodit diligentes se ab ignorantia, & errore. Primò im mediate, & perse. Secundo mediate, & per Doctores, vel etiam non Doctores. Neque vero ut de mentatos sectarios arceamus, hæc per alios institutio ex insufficientia Dei nata est, sed ex potentia potius, & ex abundantia; sicut in necessitate causarum secundarum cernitur, ac Philosophamur. Scimus itaque, ac expressum in Paulo maxime habemus istam Ecclesiæ Hierarchicam ordinem & Pastorum, Doctorumque indigentiam; quod ita esse causæ maximæ postulabant.

Perse itaque, & im mediate custodit Dominus ab errore diligentes se, non quidem communiter nova revelando, aut scientia nova sua communicando, sed jam revelata, quæ satis multa sunt, opportune suggerendo, sanctas cogitationes immittendo; cogitationes autem alias, quibus falli possemus, avertendo: ac multo plura in nobis operando,

operando, quem nos observare, scireve possimus. Habet in manu sua voluntates nostras: facit nos legere librum, qui prosit; non legere, qui noceat: maxime vero, ut alia prætercream, radit a capite quasdam cogitationes consilia mala quærendi: quod erga diligentes quasi jam factum est. Nam cogitationes istæ nasci solent ex cupiditate, quæ malorum omnium radix est: Eo enim tendunt, non ut solvamus, sed quomodo non solvamus; non ut modicum lucremur, sed ut plurimum; non ut bonum pro malo reddamus, sed quomodo malum pro malo; ac uno verbo quomodo cupiditates, voluntatesque nostras expleamus, non quomodo sanctiores esse possimus. Has ergo cogitationes, quæ a corde exeunt, charitate sua radit a capite nostro. qui custodit Israel.

Per alios e iam rectè instituit, ac docet; habet enim etiam in manu sua voluntates, & linguas Doctorum. Dirigit primum suos, quo oportet. Quocumque deindè dirigantur, facit, si vult, rectè respondere; quemadmodum permittit pravis respondere, juxta immunditias cordis eorum, ut lib.2. tractatum est. Si rursus malum responsum habuerint, facit, eos non quiescere, aut alio divertit: aut quod ipsis casus videtur, præsentissima providentia disponit, ut aliquid aut legant, aut audiant, vel etiam ab ignorante, quo illuminentur, & recta sapiant. Hujus præsentissimæ Dei, maxime autem erga filios suos providentiæ minimam vix partem novimus, habetque modos innumeros, quibus diligentes se, ipsis etiam insciis, ac nihil minus cogitantibus, dirigat, custodiat, rectaque perducat.

Disseruimus lib.3. eos, qui quod in se erat, efficerent, Deum donare cognitione veritatis; in quod argumentum extraordinarias etiam Dei providentias contulimus, & sunt multæ historiæ, ut in vitis illuminati viri Joannis Tauleri, ac novi Thaumaturgi Josephi de Ancheta, & aliis. At diligentes Deum altius multo faciunt, quod est in se. Si ergo S. Thomas concludebat, firmissime tenendum esse, eos, qui faciunt, quod est in se etiam inter lupos, ac barbaros, qui certe nondum ex charitate operantur, illuminandos à Deo, illuminantur a fortiori filii, qui toto corde Deum diligunt. Distinguas forte necessaria necessitate medii, & necessaria necessitate solum præcepti: de quo dictum est eo lib. & certe si Deus vult, ac etiam præcipit, se diligentes, & apud quos est, aliquid facere, vult, id ab eis sciri, ut ibi disputatum est. Ipsi autem faciunt, quod possunt. Explet ergo, si quæ de sunt: facit ergo, ut sciant voluntatem suam.

§. X.

Docet postremo charitas; quia Deum diligenti multa quæstiones morales sunt de subjecto non supponente.

HOc etiam ex capite multa errandi pericula vitat charitas: nam ubicumque est quæstio absoluta, & non solum quoad alios, & in qua de rei ipsius veritate dubitatur, est periculum errandi, omnis enim quæstio talis ad utrumlibet se habet; in alterutro autem semper est error: & est quæstio similis omnis, sicut bivium: quot ergo sunt similes quæstiones, tot sunt bivia, & errandi pericula. At charitas vitat hujusmodi quæstiones plurimas, quæ ipsam habenti, ac vere diligenti sunt quæstiones de subjecto, ut ajunt, non supponente. Vitat ergo plorima errandi pericula.

Ratio autem, cur illæ sunt diligentibus de subjecto non supponente, est, quia supponunt, eos, pro quibus similia quæruntur, ac dubitantur, non diligere, neque amare. Ipsi porrò diligunt, & amant. Sunt ergo ipsis, ac pro ipsis de subjecto non supponente: quemadmodum cum ego farror non sim, si pro me etiam, ac omnibus moveres quæstiones, utrum teneamur, vel non teneamur jejunare? quid, inquam ego, hoc ad me?

Sunt itaque quæstiones hujusmodi circa Deum, & circa proximos per multæ, & apud vere amantes fanè nollæ. Quæritur enim in primis, quod omnium caput est, quoties teneatur quisque actu Deum diligere, seu actum dilectionis elicere? Alii dixerunt, nunquam; quia satis est reliqua mandata servare. Alii autem responderunt in articulo, aut periculo mortis; alii, semel saltem in triennio. Ac eodem ferme modo de actibus propriis aliarum virtutum decernunt, ubi præsertim gravis tentatio adversus eas haud insurgit. Quoties tenear orare, ad Deum recurrere, pulsare clamare? atque similia.

In rebus sanè aliis, quas scimus vere, & non verbo tenus amari, similia non quæruntur: matrum nulla, quæ filios plurimum amant; Avarorum nemo, qui impensè pecunias diligunt; atque ita in aliis nulli his curis sollicitantur, aut dubiis innodantur; amant enim has res plurimum, & sic sæpè frequentet, ac vix non semper. Solutio ergo harum quæstionum ea Augustiniana videtur: *ama & fac quod vis.* Quoties orare debeo, quoties gratias habere? *ama, & fac quod vis.* Cum ergo hi, de quibus tractamus, revera diligant, & toto corde, & super omnia diligant, hæc dubia, quæstionesque non habent, ac vix non etiam mirarentur, cum audiunt, nisi novissent figmentum nostrum.

At inquis docendos etiam eos, qui nondum amant: rursus amantes quoque, ne rarius amando hoc præceptum affirmativum diligendi violent; aut sæpius se teneri existimantes contra conscientiam erroneam delinquant. Sed primum nos non amantes omittimus: & dicimus, amantes a multis quæstionibus, errandique periculis esse expeditos. Neque hi opus habent his quæstionibus, quemadmodum neque matres; nec si vere amant, credunt, aut nunquam, aut in morte, aut semel solum in triennio se teneri; nam ipso suo amore discunt, Deum ut plus, sic etiam pluries esse diligendum: sic item orandum in summa rerum, tantaque nostra necessitate. Neque vero, utrum in uno quoque horæ quadranti, aut semel in hora, aut quoties, aut quomodo sciri potest, & regula regia est; *ama & fac quod vis*: regula item sunt amantes ipsi, qui frequentissimos quidem affectus eliciunt & utrum satis egerent, metuunt. Hinc ergo etiam non amantibus dicendum est; præceptum Domini primum, ac maximum est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Hoc fac, & quo vis, securius ambula, ut ajebat Augustinus, amabunt enim frequentissime, si vere ex toto corde amant, neque pinguiores nos alia intelligimus; atque alia prætermittamus.

Jam circa proximos multo plures sunt quæstiones, quæ locum non habeant, sed cessent in diligentibus primos, sicut se ipsos; sunt enim dubia, & quæstiones ad non amantes, seu non amantium. Hæ porrò quæstiones comprehendunt, & cogi-

cogitationes, & verba, & opera circa proximos, quæ opinor, cessarent cunctæ, si Joannem toties iterarem, *filioli diligite alterutrum*, audiremus, dignamque ipso sententiam: *quia preceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit*: & si non fiat, cætera juxta Paulum nou prosunt.

Hinc quæstiones, & consultationes de cogitationibus, ac judiciis, de operibus multæ cessent in diligente: quod facile dignoscitur considerando, quo illæ tendant, & in quem finem dirigantur, videndo scilicet, utrum in consultantis bonum, alterius autem gravamen, malumque tendant? cujus generis sunt plurimæ quæstiones in universo convictu hominum, in contractibus omnibus, in emptione, venditione: in debitorum solutione: iu litibus, atque aliis.

Etenim charitas non quærit, quæ sua sunt; certe uon ita quærit, quæ sua sunt, ut quæ sunt etiam proximi, uon quærat, sicut sua; nam emat proximum sicut se: principium autem, & causa quærendi est emor. Sed in his consultationibus quærito quisque solum sua; non autem, quæ sunt proximi. Non ergo habeut locum in diligente proximum, sicut se. Sed in quis: quæritur etiam, ne proximus injustitiam patiatur, quærunturque nostra ita, ut nulla proximo inferetur injurie.

Enimvero nos hic non de Justitia, de qua etiem multa dicenda suppeterent, se de charitate, dilectioneque tractamus; non enim solùm nulli injuriam inferre jussi sumus, sed etiem diligere proximum, sicut nos. At quæstiones has non habent, qui sic diligunt; nem cum ementalios instar sui, ita etiem quærunt proportione, quæ ejua sunt, sicut sua. Ergo eb his quæstionibus, ac biviis liberi sunt.

Quod declaro: contingit scilicet raro quidem, aliquando tamen, duos fratres esse vere, sincereque amicos, qui sibi vicissim omne bonum velint; vel Perer, & filius sic se vere, sincereque diligunt. Hi sanè quia vere sese amant, sive venditurí vicissim sint, sive empturi, sive contracturi, mutuumvè præstituri, nullas hujusmodi metaphysicas, & quæstiones, subtilitatesque movent, sed sincere, & de plano sibi convivuut, & sic unusquisque sua quærit, ut quæ alterius sunt, etiem attendat. At sumus plane iuvicem fratres, & elter alterius membra: & sic nosmet amare quoque tenemur. Ergo vel cæteri solùm emores amores quidem sunt; charitas eutem, ec dilectio freterna solùm nomen, sumusque est: vel omnea similes subtilitates sua solùm promovendi, & adaugendi cessant in diligente.

Quare multa in particuli prosecutus profunde senè Jacobus Apostolus legem charitatis compellavit legem regelem: *si tamen legem*, eit, *perficitis regalem secundum scripturas: diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Hæc enim une via regie est citra ambages, ac bivia, que quis recta eat, quo omnes tendere obligemur; si sic cogitet, loquatur, & agat; contrahat, emat, vendat quemadmodùm faceret, si alios vere, & non ore tenus diligeret sicut se.

Propiereà sicut quæst. præc. est tractetum, totius doctrinæ morelia Domini compendium illud est; *quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite* illis. Apud Augustinum in catena S. Thomæ larini quidam codices addunt, *omnia*, ideft, *bona*, quasi si quisquam erge se eliquid flagitiose velit fieri, uon hoc debeat aliis quoque ipse præstare: sed merito glossam istam rejicit: nam ut ipse sup. quæst. probet, præceptum dilectionis proximi, supponit præceptum dilectionis Dei; quie jam nosmet vere diligamus, nihilque proinde volemus flagitiose nobis fieri.

Ratio vero cur quæcumque nobis volumus fieri, & aliis facere debeamus, est; quia tenemur alios diligere, sicut uos. Hoc porrò facto clarissima est doctrina Salvetoris. Quomodo velles tu, qui propter Deum, ec in Deo jam te diligis, tibi emi, vendi, mutuum dari? Sic & tu fac; & hoc est compendium. Sic eutem faciunt, qui proximum diligunt, sicut se. Expediti ergo sunt a multis quæstionibus, errandique periculis. At parum, inquis, est hujus cheritatis in mundo. Et quid, precor, inde? Jam scilicet pridem Apostolus dixeret, *omnes quærunt, quæ sua sunt; non quæ Jesu Christi*. Exhibe tu, modo ex Libris sanctis, hos non damnari, sed salveri: & obmutescemus.

§. XI.

Redeundum igitur videretur ad cor, tractandumque serio de Deo, & proximo non verbo, sed vere diligendo.

Explicata sunt modulo nostro bona charitatis, sine qua nulle bone sufficiant; sufficiet vero ipsa, quæ legem sanè implet, formamque vivendi, ac multam doctrinam brevissimo compendio tredit, qua doctis, in doctis excusatio omnis tolletur.

Quid vero est, quod nobis injungitur, ut Deum diligemus? *qui tibi sum ipse* (miretut Augustinus 1. confess. 5.) *ut amari te a me jubeas, & si non faciam ingentes minaris miserias*? Parva ne est ipse miseria, si non diligam te?

At non emari modo, sed super omnia etiam, amare inquis vult, & jubet, quod multum est. Grande plene negotium: Rogat te magnus Princeps, ut eum plus quam paleam diligas. Lætaris plene primum, ut amari a te velit: fortunatum præterea & te arbitreris, & redamendum etiam speras: erubescis vero, quod peleæ, sese apud te contulerit. Sed iu infinitum, subdit ven. Pet. Ludovicus à Ponte excellit megis omnia Deus, quam Princeps iste tuus excellat paleas: summe prætereà, ac innumere beneficia in te contulit: amplissima etiem præmia, si emes, Regni consortium, se demum ipsum promittit: nec fabulæ hæ sunt, sed innegebilea veritates. Operiet ergo saltem confusio faciem nostrem.

Mentimur plaue quotidie in pio Dei, Angelorumque conspectu. Dicitur scilicet ed nus; *Sursum corda*: nosque prompte respon demus; *habemus ad Dominum*, qui non nisi in nummo, in cibo, in terra corda deorsum habemus. Est enim sursum habere cor, ut Augustinus eiebat, Deum amare. *Pater noster* etiam passim dicimus, & filialis affectus vacua corda gestamus: & vix aliquando ad ipsum etiam initium sapientiæ timorem Domini ecessimus. Sapientet profecto vir ven. Ludovicus granetensis probleme esse, inquit, utrum sit, aut difficilius, aut incredibilius, Judæos, quæ viderunt, vidisse, & non credidisse; en Christianos, quæ credunt, credidisse, ac tam oscitantes vivere.

Durum est (adhuc inquiunt, ut Hieronymus cep. 1.) in quem, *durum est, arduum est; non possumus, homines sumus; fragilitate carnis circumdamur, O cæcam insaniam! O prophanam temeritatem! Duplici ignorantia accusamus Deum scientia*: atque post elie in rem appositissima: *quid* (subdit) *tergiversamur in causam*.

casum, *& præcipientis opponimus fragilitatem*? (idem est, si ignorantiam obloquaris) Nemo magis novit mensuram virium nostrarum, quam qui ipsas vires nobis dedit.

Hic igitur, qui vires nobis dedit, qui eas mensus est, jubet, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum, sicut te ipsum, Deum, inquis tu, non offendo, proximum non lædo. At non solùm, non offendes, non lædes, præcipit, sed diliges, injungit. Num forsitam nimium est, eum, qui prior dilexit te, saltem redamare; erga eum, qui prore filio etiam suo unigenito non pepercit; erga eum, qui prote crucifixus est, esse, existere benevolum, neque duntaxat non offendere, sed etiam amare? Cæteræ sanè glosæ dilectionem in non offensam convertentes, & sic ipsam revera dilectionem tollentes subsistere nequibunt, ubi ista tam clara, tam debita, innegabiliaque nobis in judicio opponentur.

His tamen prætermissis, quæ in libris spiritualibus nobis efficacissime ingeminantur, & ibi vera sunt, nec alibi vera esse desinere possunt, paucas aliquas causas magis Theologicas tangam, quibus ad cor redituri videremur.

Prima illa; quod eo obtentu multæ opiniones largiores, laxativæque manuum inducantur, ac etiam persuadeantur, ut scilicet sic fiat lex Christi suavior, servarique possit: atque hic solet esse unus ex locis communibus Philosophandi. Considerare ergo nos oportet, hanc esse manifestam fallaciam, ut a principio operis omni autoritate, rationeque sæpè demonstratum est. Unde tanquam propositio Theologice innegabilis est menti ingerendaque, nulla ablatione, obligationumvè detractione legem Christi sic a se, & quasi a quantitate, ac facilitate rerum præceptarum suavem, facilemque temanere posse: sed nisi aliunde suavis, portabilisque fiat, remansuram semper, aut impossibilem, aut durissimam.

Hinc eam rursùs propositionem innegabilem, quam scriptura Dei, Sanctorum doctrinæ, ac etiam singulorum experientiæ commonstrant, assumat quisque, & menti ingerat, necesse est id, quo, & unde lex Christi suavis, facilisque efficitur, esse maxime spiritum charitatis, dilectionisque; hanc esse, quæ, ut Sancti loquuntur, quæ portatur, & portat; hanc esse, ut Augustinus exponebat, sicut alas, pennasque avium, quibus volant: atque hunc spiritum prætexto quodam pietatis, ac facilitatis ab eo de obligando aut tollere, aut prætermittere, periude ferme esse, atque avibus pennas evellere, seu alas amputare, ut facilius volent.

Quicumque ergo metu saltem gehennæ perculsus ad initium sapientiæ timorem Domini pervenit, aut mercenariorum instar futura præmia expetit, hoc modo sese concludere debet, & ad diligendum perducere. Ego damnari prorsùs nolo. Ergo præcepta servare debeo. At unum est, quin primum, & maximum est, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & secundum etiam simile huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Concludit; Ergo sic diligere debeo: sin minus, quod prorsùs nolo, damnabor. Ignorans porrò etiam quisque satis intelligit, non offendere solùm non esse amare; aliudque esse amare, aliud odisse; & omnino aliud neque odisse, neque amare: essèque istas formas non privative, non contradictorie, sed solùm contrarie oppositas, quæ medium habeant.

Rursùs sese concludit etiam quoad alia præcepta: integritas mentis, & corporis, non irasci, non concupiscere, nec malum pro malo reddere res sanè sunt difficiles, nisi aliunde suaves reddantur. Vix ergo fiet, aut ne vix quidem fiet, ut ista diu saltem servem, nisi suaviora, faciliora que reddantur. Fiunt autem, redduntur que suavia, & facilia potissimum spiritu dilectionis. Dicit ergo; nisi ista servem, damnor, nisi diligam, non servo. Prorsùs ergo diligendum est. Se mox etiam, aut alios consideratfine isto adjutorio, spirituque, jugum nitentes portare: & sanè inveniet, difficilem eos subire Provinciam, alios periclitari plurimum, cadere alios, ac rerum difficultate fractos succumbere. Concludit: ergo diligendū est.

Alia causa, ratioque cogens ad recogitandum corde ab scholarum disputationibus de prompta ea est, quæ efficacissime urgere quemque possit. Duo scilicet modi, duæque duntaxat viæ ad justificationem peccatoris supersunt, altera contritionis, & dilectionis, & ad hoc necessaria est plane dilectio, & amor, quo quippè justificatio, remissioque vel efficitur, vel causatur. Altera via est Sacramenti pœnitentiæ: utrum autem ad hanc etiam ipsam dilectio saltem incepta requiratur, sub lite res est.

Ante annos aliquot, satis quidem ultro, tamen prompte multi dicebant, quin & apud se persuasissimum habebant, attritionem ex solo metu gehennæ conceptam sufficere ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, addentes insuper, hoc ita definitum esse in Concilio Tridentino; cum tamen in ipso hoc Concilio foppetant in contrarium fortissima argumenta.

His itaque postremis annis exarsit maxime per Belgium acris hac de re contentio, aliis hanc ex metu conceptam attritionem sufficere, aliis non sufficere vehementissime disputantibus, ac sese vicissim ut in re periculosa, suspectaque notantibus. Status hujus tantæ quæstionis hic demum est, quod Ecclesia neutram partem determinaverit; & illud ultimum ejus Judicium, decretumque fuit, quod fel. record. Alexander septimus paulo ante mortem edidit, quo jussit, ut neutra partium alteram suggillaret, notaretvè, quandiu à Seda Apostolica res ita non definiretur, ut superius etiam dictum est. Quo plane vanam eam quorundam persuasionem demonstravit, quâ eam jam in Concilio definitam fuisse, tam ultro crediderunt. Quæstio igitur relicta est instar aliarum utrimque probabilis. Materia autem est, in qua etiam juxta adversarios ad disputandum quidem impune sufficiant, ad valorem tamen Sacramenti nihil probabilitates efficiant; nam si revera attritio illa servilis impat esset, quantiscumque probabilitatibus existentibus, Sacramentum revera evadet nullum.

Jam ex his quisque reddere posse videtur ad cor. Nisi mea mihi peccata remittantur, damnat haud dubie, ac pereo. Ut extra Sacramentum remitterentur, remittaturvè, ut apud omnes constat, necessarius est amor, & dilectio. Ut rursùs in Sacramento remissa sunt, aut remittantur, juxta alios necessarius itidem est amor: quamquam vero negent alii, utri veri sint, ego prorsùs ignoro, & licet probabile sit, ea remitti, si tamen revera non remittuntur, pereo. Ajunt hi quidem, ea remitti; at iterum, utrum verum dicant, prorsùs nescio, ac ut par. I. ostensum est, hoc in casu pure dubitat

dubitare possumus; nihil porrò superest quo magis remitti, aut remissa esse, credam. Hoc autem ipsum, & sic omnino suspensam, & ancipitem habere æterum summam salutem æternam crimen est. Jam concludit: in hoc igitur incerto hæreodum haud est: at nisi amando, & diligendo egredi non possum: amandum ergo mihi est, & diligendum.

Duo hic alia addere etiam potest. Alterum illud, quod superius indicatum est, quidquid sit de disputatione ad valorem Sacramenti necessaria, juxta omnes ad valorem postulari propositum efficax præcepta omnia in futurum servandi. At unum, & maximum est diligendi Deum; nec à tabulis Sacris deleri hoc potest. Ergo proponit, idque serio, & efficaciter hoc etiam servare. Tenetur ergo de hoc tractare, & ad diligendum animum applicare: atque hoc modo axioma in suscipientibus digne Sacramentum verificatur, ex attritisque contriti fiunt: de quo alium sensum superius explosimus.

Interest certe, ut omnes contestantur, inter præcepta negativa, quæ semper, ac pro semper obligant, ac inter affirmativa, quæ semper quidem, non tamen pro semper obstringunt. Violatur itaque præceptum negativum, quandocumque actus contrarius ponatur; & si toto anno non fureris, una tamen hora fureris, reus sanè es. Non autem ita in affirmativis contingit, nec præceptum violatur & si desiit aliquando actus præceptus. Et hæc vera sunt. Verum tamen illud non est, quod præcepta affirmativa quasi nunquam, & pro nunquam obligent, vel solùm obligent quasi pro servandis negativis, & ubi contra ista vehemens tentatio insurrexerit. Etenim in lege divina non illud unum est, quin nec maximum & quasi vel primo, vel solùm expetitum est, ut mala non fiant, sed ut bona etiam addantur; in quo quorundam Philosophandi modus claudicare profectò videtur, quod bona prætereat, aut non nisi ob vitanda mala requirat. Per se ergo intentum est in lege Christiana bonum: atque propter hoc præcepta affirmativa data sunt, quorum illud primum sit. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Et deindè proximum, sicut te; nam finis legis est charitas; quæ sanè obstringerent nos & obligarent, & si impeccabiles prorsùs contra præcepta negativa, ac tentationum omnium expertes redderemur; nec nobis jubetur, ut diligamus, ne odio habeamus, sed ut diligamus.

Obligant igitur præcepta etiam affirmativa semper, & si non pro semper. Sic ergo & præceptum diligendi. Frangis ergo, si non diligis. At nuper cum Sacramentum pœnitentiæ suscepti, non diligebas, ut ponimus. Ergo nisi deindè actum aliquem dilectionis elicias, similiter non diligis: ergo frangis. Infusus est mihi, in quis, de novo vi Sacramenti habitus charitatis, quo ex non diligente diligens redditus sim, ac habitu aliter saltem amans sim. Cæterùm hoc intelligant forte alii; nos plane non intelligimus, utque e multis aliqua delibem in primis præcepta non de habitibus sunt, sed de actibus; minus autem de infusis. Ego igitur is diligens non fio, qui, qualisque esse jubeor, in fusione habitus, quam Deus facit, & non ego. Minus rursùs præceptum servo, ejusque impletor eo reddor, quod non facio ego sed Deus: at habitum in fundit, non ego, sed Deus. Hic denuò solus habitus in fusus, ex quo nullus unquam actus prodiit, non ea charitas est, quam describit Paulus; non item ea, qua universa lex impletur; quia nulla impletur; non item ea, quæ secundum sanctos suave reddit jugum Christi, ut ex hactenus dictis palam cernitur. Habitualiter igitur is amat, qui amavit actu saltem aliquando; nec retractavit: non is, qui nunquam amavit, aut retractavit: & similiter legem etiam servat. At lex semper tibi dicit: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: nuper autem, cum confitereris, non diligebas, ut ponimus: post vero nullum actum elicuisti. Quomodo ergo servas, si quod juberis, non facis? Magna sanè res ista est, ex qua salus plurimorum pendeat, ac bene, & citra contentionem pervidenda. Intelligimus certe præceptum affirmativum restitue: & ego nihil restituo, quia nihil debeo: intelligimus etiam *solve*, & non solvo, quia solvendo non sum; neque tamen pecco. Sic etiam intelligimus: *Eleemosinam facito*; & non semper facio, neque pecco; quia actus exteriores semper esse non possunt, nec actu transeuntes habitualiter permanere: est deindè propositum actuale, vel habituale in animo cum pauperes occurrent, aut tempus suum erit, etiam opere adimplendi. At ad diligendum Deum omne tempus suum est, nec cras magis, quam hodie tenere possum, & qui nunquam actum dilexit, aut retractavit, verè non diligit. Hæc sanè clara sunt in cæteris amantibus; & ex dictis conspiciuntur; ac magna etiam frequentia opus esse, cernitur.

Hoc unum erat quasi adminiculum ad ea, quæ de dispositione necessaria ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, deque statu hujus quæstionis tetigimus. Alterum illud est; quod graviores eorum, qui attritionem ex metu illo conceptam sufficere, arbitrantur, addant teneri unumquemque ad contritionem ex amore in periculo mortis, quando scilicet summa omnis rerum vertitur, & a quo puncto pendet æternitas; qua sanè additione satis demonstrant, se multum de opinionis suæ, qua attritionem in vita tuentur, veritate securos existere.

Hic vellem, consideraret quisque pacate, non ut mihi consentiat, sed ut sibi consulat, num cor suum, voluntatemque tam habeat in manu sua, ut vertere, quo voluerit, statim possit, nihilque amori Dei assuetum antea cor, sed totum terreum momento emollire, in Deumque flecteres? Num si quando tentavit dolores quasi mortis expertus non sit, experiantur etiam alii, videamusque paucos, sic statim a terra in cœlum recta versos, & conversos? Quod vero hoc ad illud tempus rejiciatur, quando quis vix semi homo est, dolore frangitur, ægritudine obruitur, a Medicis sæpè fallitur, a domesticis inimicis eluditur, ac infinita alia obstant, quæ maxime Bartoli doctè, & utiliter prosecutus est.

Ecce ergo (sibi dicit unusque) etiam illorum qui attritionem ex metu ad valorem sacramenti, ajunt, sufficere, graviores aliter de mortis articulo decernunt: quia omnibus demum rite perpensis hoc tutum, hoc tunc etiam debitum censent. Inferet, opinor, si sapit: ergo oportet in vita cor assuescere amori Dei; & timendum est, ne ut in plurimum cor in vita terreum, habitibus gravis in naturam ferme versus compactum, qui nihil aliud, quam divitias quam famam scivit amare,

ſic etiam abeat; regula ſcilicet eſt moralis, exceptionem quidem habens, ſed in paucioribus, ſic unumquemque mori, ſicut vivit. hæc itaque ſuffectura viderentur, ut rediremus ad cor, qui vagamur.

Merito itaque (ajebat Auguſtinus) *Magiſter bonus dilectionem ſic ſæpe commendat, tanquam ſola præcipienda ſit, ſine qua non poſſunt prodeſſe cætera bona, & quæ non* poteſt eſſe ſine ceteris bonis. Libro de catechizand. rudibus exhibet multa præclara, interquæ: *in omnibus ſane* (inquit) *non tantum oportet nos intueri finem præcepti, quod eſt charitas de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta, quo ea, quæ loquimur cuncta referamus, ſed etiam illius, quem loquendo inſtruimus ad id movendus: atque illuc dirigendus aſpectus eſt.* Ecce ſive rudes, ſive cultiores inſtituamus, ſive doctrinam moralem tradamus, quo nos reſpicere debeamus, quo etiam aliorum aſpectum, mentemque dirigere. Ubi etiam obiret habes aliam veræ doctrinæ agnoſcendæ notam; nam vera, rectaque doctrina, ut ſæpe eſt demonſtratum, eſt conformis, concordanſque cum lege: in eundem ergo finem: eſt autem legis finis charitas de corde puro &c. Tu ergo quo ſuis libros accipe, aut doctrinas audi: ſi eo dirigunt aſpectum tuum, ſi te demum hunc in finem ducunt, auſculta, & ſequere: ſin minus aliò, quam lex, ducunt: ergo diſcordant, ac falſæ ſunt. Ubi etiam aliam notam adde, eas eſſe doctrinas bonas, quæ pro morte bonæ ſunt; non alias.

QUÆSTIO XIII.

Utrum etiam facile invenire quiſque poſſit veritatem, Moralem, prudentes verſatos peritos in arte, & expertos ſequendo, & hæc ſit alia Veritatis nota cunctis obvia?

HÆc alia nota ſignumque eſt, ex quo veritas moralis doctis, indoctis; ac ineptiſſimis quibusque modo vere velint, nonſolum quo quomodo innoteſcat, ſed potentiſſima etiam fiat, ſi nos rem digne explicare ſciemus.

§. I.

Omnibus probanda eſt hæc ad prudentes, & peritos &c. provocatio; & quinam illi ſint.

TOtam probabilem cauſam, quin univerſam etiam moralem Theologiam referam videas iſta ad prudentes, ad peritos in arte, adverſatos expertosque appellatione quæ a lumine ipſo naturæ hauſta eſt, atque in ethicis, & alias omnium teritur ore.

Falluntur porro maximè Probabiliſtæ arbitrantes, eos, qui ſua probabilia rejicimus, de trectare, recuſareque iſtam appellationem, ac nolle prudentium, & peritorum ſtare judicio. Volumus ſane & maxime volumus. Sed tota controverſia eò ducitur, ut ſciamus, quinam iſti prudentes. periti expertique ſint; cum fatuitas ſit pœne extrema, prudentis, peritique in arte recuſare judicium.

Illud vero apud adverſarios contingit ſane mirandum, hinc eos tam obvios habere, & in conſpectu omnium hos prudentes, peritos, atque expertos; inde vero exiſtimare tam inacceſſam in invenibilemque veritatem ipſam. Non enim, opinor fallitur Auguſtinus, qui ut ſuperius viſum eſt tanquam manifeſtiſſimum lib. de util. credend. aſſumpſit, unam eamque eſſe quæſtionem de inventione veritatis, & de inventione ſapientis, atque ſimiliter falſi, & ſtulti, nam invento ſapiente, inventa eſt hoc ipſo veritas, ut demonſtratum ſupra.

Ipſa autem quæſtio eſt de prudente, de perito in arte, expertoque, ut ſæpe eſt oſtenſum, & eo loci Auguſtinus ſapienti ſtultum contra ponit, nec ullus, in quo fallitur, prudens, peritusque eſt; licet ſi prorſus in voluntario fallatur, imprudens ſolum materialiter, & negative; non poſitive, & formaliter futurus ſit, nam ita prorſus de prudentia, & imprudentia eſt philoſophandum, ſicut de bono, & malo. Apud intelligentes itaque per inde eſt, per prudentiam, quæ virtus intellectualis eſt, quæ reipſa mala ſunt, mala non eſſe dictari; quæ à Deo prohibita ſunt, non eſſe prohibita, aut vice vera enunciari, atque per ſcientiam, & demonſtrationem falſum aliquid proferri: de quo late part. 1. lib. 3. & alias.

At inventa eſt nova logica, quæ ſcientiam, & ſcientes doctos, prudentes ac peritos in arte ponat, ſalvetque, ſive in vero, ſive in falſo, hoc eſt in contradicentibus Doctoribus; vocare quidem eos ita poterunt, facere non magis poterunt, quam nigros albos, neque effingere eam Auguſtini propoſitionem *hoc nomen* (ſcilicet ſapientis) *tametſi nemo fere audeat palam, plerique tamen ex obliquo ſibi vendicant: qui cum de rebus ipſis diſſentiant, quarum cognitione conſtat ſapientia, aut nullum eorum, aut certum unum neceſſe ſit eſſe ſapientem.* Neque ſane de bis eſſet diſputandum habent, inquis, maxima, fortiſſima fundamenta utrique. Habeant profecto majora, quam ſit mons olimpus. Ad hoc alterutri neceſſario habent, ut fortius profundiuſque fallantur, & longius a ſapientia, a peritia, a prudentiaque plane diſtent.

Neque de hoc tantopere eſſet litigandum ſi hi ſapientes prudentes, peritique conſentirent, atque convenirent fere in omnibus, diſſiderent vero alicubi aliquando; & prudentes, ſapientesque nihilominus haberentur, eorumque ſtare juberemur judicio. At non ita eſt, ſed in univerſa fere materia integris libris, mole quidem magnis, numero etiam plurimis diſſentiunt in rebus ſingulis, & eſt opinio, & opinio, utraque, vel alterutra neceſſario falſa: deeſt ergo alterutris ſapiens peritus, prudens, expertusque; & latet, ſicut veritas, ita ſapiens,

His de cauſis, & aliis ſæpe certe, nunquam tamen ſatis perſuaſis omnem ad hoc genus prudentes paribus ferme armis inter ſe diſſidentes recuſamus appellationem; nec aliud facere poſſumus, cum lex ipſa Dei in ſe non lex exiſtimata, opinative ſit nobis ſuprema regula tum morum, tum doctrinæ morum: atque inde conſequenter ſola doctrina vera ſupremæ ſcilicet conſtans, & conformis ſit regula, ſecundaria, & ſicut nomen ipſum ſatis declarat, regula ſubordinata. Ubi ergo, & quandiu nobis haud oſtenderent veritatem, haud exiſtimamus oſtenſos nobis eſſe peritos, prudentes, ſapientesque. Parcent ergo ſi inter ſeſe ex æquo ferme diſſidentium, quorum alterutri neceſſario errant, recuſemus authoritatem, & judicium.

Ex

Ex his verò illud est consequens, si nos inveniremus aliquos, quorum sapientia, prudentia, peritia, experientiaque apud omnes constaret, eorum plane fore standum authoritati, judicio, & sensui; terminatamque hoc ipso esse omnem de invenibilitate, vel non invenibilitate veri moralis quæstionem; cum his inventis, quorum prudentia, peritiaque constat, inventa sit veritas, sicut inventis albis, divitibusque inventæ hoc ipso, & in hoc ipso sunt divitiæ, & albedo.

At hi prudentes, periti in arte, expertique, & versati obvii sont, & in conspectu in Ecclesia Dei, & à nullo inepro, ignorantissimoque nesciuntur. Nam ais, cujus peritos quærimus, & in ea prudentes, versatos, expertosque, tota reducitur ad hoc, ut sciamus, quomodo rectè, christianeque vivatur, ut salus obtineatur æterna, seu ut sciamus, quænam sit recta via salutis. Hi autem periti, & prudentes obvii sunt omnibus, & apud omnes constar prorsus, convenitq; de eorum peritia, & prudentia, & experientia, suntque sine numero.

Hi plane sunt non ignoti aliqui homines, sed in conspectu omnium positi; sunt enim imprimis omnes sancti canonizati; sunt præterea innumeri alii, de quorum recta vita, saluteque tam certi esse quidem non possimus, quandiu Judicium Ecclesiæ defuerit; existimus tamen valde persuasi, habemusque si non certum, saltem verum probabile, quod fere nunquam fallat, ex quo de eorum recta vita, tuti, securique existamus.

§. II.

Omnes ergo, si volunt, in his prudentibus, peritisque facile invenient, caventque veritatem moralem.

AD hos itaque prudentes, peritosque appellamus, qui nullam, ut videbimus, habeant exceptionem. Illi porro divina ita admoistrante providentia, ita plures sunt, & ubique noti sunt, ut nemo excusare se, aut à suo tempore, statuve, aut loco valeat. Neque enim hic fuerunt, & ibi non fuerunt, ut temperiem cœli, inaneque aliud causari possimus, sed ubique floruerunt; nec præteritis retro sæculis floruerunt, & quasi fons divinæ gratiæ exaruerint, deinceps defecerunt, sed ætate etiam nostra excelluerunt.

Non ætas, non sexus, non status, non solitudo, non urbs, aulæve etiam Regum obrendi possunt. Occurrunt enim Reges, & pauperes; Juvenes, senes, robusti, debiles, viri, & fœminæ; laici, religiosi, Episcopi, Cardinales, Romanique Pontifices, in urbibus, in solitudinibus, in aulis Principum, qui nobis obloqui volentibus ora obstruant. Vellet aliquis Episcoporum nosse veritatem moralem. Legat vitam ob.viam S. Caroli, & sequator: & invenier.

Nunc tamen ex his in genere sic argumentamur. Hi omnes invenerunt veritatem moralem, sciverunt viam salutis; noverunt, quomodo esset vivendum, & si aliquando, aut ignoranter lapsi sunt, sciverunt, quo pacto esset in viam redeundum: at nos scimus plus minus quid fecerint, & qualiter ambulaverint: scimus ergo, vel scire saltem, si reflectamus, possumus, veritatem moralem.

Rursus: quicumque eorum more, modoque vivit, ipsosque sequitur, invenit saltem plerumq; verum morale; &, si quid ignorat, vel per ignorantiam etiam peccet, lucem, aut misericordiam consequitur, eos sic sequendo, eorumq; more vivendo, & perseverando. Sed possumus omnes sic vivere, nec per Deum abest, sed per nos. Ergo omnes invenire possumus verum morale. Ut itaq; Episcopis exhibeam S. Carolum, sic singulis non unum, sed plures ex libris vitarum sanctorum, servorumq; Dei porrigere possumus, qui sin minus modo, in extremo saltem judicio cogent obmutescere.

§. III.

Solutio dicentium se non teneri ita vivere.

LOnge, lateque persuasit ista opinio existimantiom ad nihil se teneri minus, quam ad imitationem sanctorum, aliarumq; magnarum animarum, quibus hoc primum, hoc maximum fuit, quærere Regnum Dei, & justitiam ejus. Nihil nunc eum, quasi ludum discurimus, quo laici primum ad religiosos, & Monachos onus rejiciunt; horum deinde alii ad alios fratres suos, & socios; de quo dicemus inferius: & nunc in genere solutionē istam, & quasi exceptiooem exagitabimus.

Ajunt itaque, argumento plane facto confici, inveniri ab omnibus posse verum morale, scilicet ad eos, quos significavimus, prudentes, peritosque eundo, eosque sequendo, & imitando. At ad hoc neminem esse obligatum. Quare deficimos; quia intra ipsam obligationis viam, & regulam veritatem hoc saltem ex loco, & signo non ostendimus. Et fortitam hic addant probabilistæ, se nihil ignorare, iis quibus ita vivere, ac sanctos imitari propositum est, usum suorum probabilium vix esse necessarium, qui scilicet existentibus paribus fundameotis pro peccato, nunquam scienter hujusmodi res exequi solent, quorum quippe carnes confixæ sunt timore Dei. Eos proinde se docere, eis concedere usum suorum probabilium, quibus non hoc est consilium, sed contenti sunt, si obligatoria custodiant, & impleant.

Enimvero hoc pacto concedere nobis primo videntur intentionem nostram; nam hæc erat, suppetere formam, & modum, quo omnes etiam indocti invenire possint veritatem moralem; sed concedunt, hoc tradito modo inveniri eam posse, & solum negant obligationem. Concedunt ergo intentum. Quod certe negari non potest, nisi dicendo, vel sanctos ignorasse veritatem moralem, atque alia via salvos factos esse; vel nos ad instar eorum vivendo, eosque sequendo minime inventuros.

Deinde hæc responsio circuire videtur. Dicere quippe solent, veritatem ipsam inveniri non posse; ex quo inferunt, nos ad eam non teneri; ac sub inferiunt, sufficere, licereque suum probabile. At modo concedunt, verum inveniri posse: inde ergo inferetur, nos ad verum teneri; ac rursus subinferetur, non sufficere, neque licere suum probabile: & si veritas solum viam sanctorum sequendo constat, sin minus non constat, ex hoc ipso concluditur, teneri nos ad eorum formam vivere, sequique hoc vitæ, ac morum exemplar.

Sed quoniam rem summam versamus, cujus forsitam ignorantia plerosque perdit, necesse est multiplici via, modoque daram solutionem refellamus, videamusque, quantis fulcris, ac momentis nitatur ista persuasio, quam tam ultro homines ebibunt.

§. IV.

Primum ratiocinando data solutio refringitur.

POno duo. Alterum est, certum esse, vel saltem esse probabile, id est, fere semper verum, hos, quos proposui, prudentes, ac in arte peritos in gratia obiisse, & gloriam consecutos esse, nam certum est de canonizatis omnibus, & singulis; & probabile modo dicto est, cæteros etiam, quos proposui, prudentes, ac in arte peritos recte obiisse, & vel salvatos esse, vel saltem salvandos post Purgatorium.

Alterum, quod pono est, de reliquis, qui eorum modo non vixerunt, nec vivunt, certum saltem nõ esse, eos recte obiisse, aut salvatos, aut salvandos fore: quod nemo (loquendo citra revelationes privatas) dubitare potest. Solùm ergo disputari potest, sitne saltem probabile probabilitate nostra, id est, plerumque, & ut in plurimum verum, eos recte obiisse, & obire: de quo primo dicendum est, & inde mox argumentandum.

Videtur ergo dicendum, nec hac quidem probabilitate esse probabile, eos aut bene mori, aut salvari. Hoc certe multipliciter ostendi posset; maxime verò ex doctrina concordi sanctorum hausta ex Evangelio de paucitate salvandorum. Sed his prætermissis, solum ea, quæ inter manus habemus, moveamus.

Certum nobis non est, eos qui studiosissime sanctos secuti sunt, rectè obiisse, quandiu vel Deus, vel Ecclesia beatificando eos, si hoc sufficit, vel canonizando judicium aliquod suum non interponit. Hoc probatur; quia si id certum esset, Ecclesia ad beatificandum, vel canonizandum, probatione opus non haberet; nam probatio eò tendet, ut exploret, utrum in gratia decesserint: si autem nobis certum esset, eos in gratia decessisse, Ecclesiæ etiam id certum esset. Sed Ecclesia utitur non una, sed multiplici probatione, eaque diligentissima. Non ergo supponit, certum esse, eo modo viventes omnes, & singulos rectè mori, & salvari. Scit quidem Ecclesia, & scimus omnes, atque sub his terminis certum est, eos, qui decesserunt, sicut sancti Dei, rectè sane decessisse; Utrum autem ita decesserint, qui aliud agere non videbantur, quam sanctos Dei sequi, & imitari, hoc certum non supponit, sed probat, exploratque exactissime Ecclesia. Sin vero ego ut certum id supponere volo contra sensum Ecclesiæ, desipio.

Infero: ergo de his, quos modo loquar, solùm probabile est, & plerumque verum, recte obiisse, ac salvos factos esse. Ergo de illis, qui eos imitari, sequique nolunt, sed quorum prorsus alia est, ac dissimillima vita, nec probabile erit probabilitate nostra, id est plerumque verum non erit, obire eos bene, & salvari. Patet consecutio; nam si solùm probabile, & plerumque verum esset exercitum fortissimorum militum superaturum alium, quia plerumque similes exercitus superant alios similes; profecto probabile esse non poterit, alium exercitum imbellium militum superaturum esse eundem illum exercitum: atque ita cernitur in quibusvis aliis rebus. Ergo si de his, quos proposui, prudentibus ac peritis in arte servis Dei diligentissimis, de quibus nihil adhuc Deus ipse, vel Ecclesia locuta est, non est certum, sed solum probabile, eos recte obiisse, ac salvatos esse, plane nec probabile hoc sensu erit, alios, qui eos non solùm imitari nolunt, sed tantopere moribus discrepant, aut bene mori, aut salvari. Negotium hoc magnum est, in quo arrigendæ aures plane sint, ac discutiendum bene, ac considerandum, utrum desipiam; nam mentem alio jacere, & præterire non sufficiet.

Sed in promptu est ubique probabile, & dicis, probabile esse, hos etiam alios, qui ad sanctorum regulam mores suos, & vitam non exigunt, nihilominus salvari. Et nos distinguimus de vestro probabili, & nostro, & de nostro negamus, & de vestro concedimus. Sit itaque probabilis eorum bona mors ea probabilitate, quam ad bonam vitam ajunt sufficere, ut sic vitæ correspondeat mors. Hæc porro probabilitas non affert magis verum, quam falsum, aut magis ita, quam non ita: nam æqualis probabilitas æque utrumque affert; & minus probabile magis affert saltem quoad nos falsum quam verum. Horum ergo, quos loquimur, erit probabilis bona mors, hoc est, non magis vera erit bona, quam mala, sed erit quidpiam pure contingens, casuale, & ad utrumlibet, sicut ludus & sortes. Nisi hic quoque excogitent reflexas aliquas, quibus, sicut vitam materialiter malam reddunt formaliter bonam, ita mortem etiam efficiant.

Ex quibus arguimus; tenemur non ita vivere, ut mors nostra bona remaneat hoc solùm modo probabilis, id est, pure casualis, & contingens, & ad utrumlibet, tanquam ludus, & sortes, seu probabilis probabilitate non magis afferente verum, quam falsum; bonam, quam malam mortem. Hoc constat in omnibus humanis negotiis, in quibus majus aliud bonum non intervenit, quo contingentia, causalitasq; ista recompensetur; & peccaret, qui citra hoc recompensans, & majus aliud bonum exponeret vitam suam, salutem suam, & patrimonium, uxorem, filios simili discrimini: peccaret etiam, qui in simili æqualitate, & contingentia peccandi, & non peccandi domum periculosam ingrederetur; & ita in aliis: peccaret etiam, qui Sacramenta susciperet, nihil habens, quo magis ea se digne, quam indigne suscipere credat; ergo vera est illa assumptio quod teneamur non ita vivere, ut mors bona remaneat solum hoc modo probabilis, & pure ad utrumlibet. Quod ex obligatione spetandi etiam confirmatur; spes enim fertur ad gloriam ut futuram; & gloria ad utrumlibet se habens ex æquo, vel magis non futura non est objectum spei. Ubi prætereo alia, quia nescio, utrum negandum hoc sit.

Nunc subsumo minorem; sed mors eorum, qui propositos à nobis prudentes, peritos, ac versatos sequi, imitarique nolunt, remanet ut summum, atque relinquitur solùm modo dicto probabilis, utrum bona, vel mala futura sit, ac proprie loqoendo remanet quasi in quadam pura quæstione ad utrumlibet. Tenemur ergo eos sequi, & imitari. Dixi vero *ut summum*; quia hactenus nihil determinatum fuit, num bona & mala mors maneant quasi æque probabiles; an probabilior sit mala eorum, qui propositos prudentes non sequuntur: de quo inferius dicetur.

Tota ista ratiocinatio vires maximas mutuari sane videtur à quadam communi omnium Theologia ex rectitudine actuum, morumqoe nostrorum ad rectitudinem ipsam nostram argumentando. Quærunt scilicet Theologi ut part. 2. libro 3.

tracta-

tractatum est, qualis quantaque certitudini constare unicuique debeat, actum quem eliciturus, executurusque est, esse rectum, & honestum. Multi magni cætero quin probabilitatum amatores nolunt suas, quin neque nostras probabilitates ad hoc sufficere, sed requirunt dictamen, & judicium certum prorsus, & evidens, quo sciamus eum actum rectum esse & honestum. In quo sane, eum in aliis nos adeo homines memorent volunt omnino esse Angeli. Negavimus itaque eo loci cum vazquez, & sanchez, quod alii etiam docuerunt, has certitudines, & evidentias haberi sæpe a nobis posse, aut deberi.

At omnium concors est sententia, ad rectitudinem actus, non sufficere Judicium, & dictamen quasi indifferens, quo non magis sciatur, eum esse rectum, quam non rectum, sed turpem. Ergo omnis homo, ut recte operetur, rectaque sit & honesta ejus operatio, renetur habere judicium dictamenque, quo noscat, suum actum futurum esse rectum, & honestum: non autem judicium prorsus certum, ut supposuimus: ergo saltem probabile desumptum ex eis, quæ ut in plurimum eoutingunt; namquæ infra hæc sunt, mentaliter enunciari nequeunt, ut constitulmus tota part. 1. & peculiariter in appendice. & certe ex libr. 2. Periherm. est manifestum, omnem futuritionem vel esse omnino, certam, quæ requirat totalem determinationem, vel esse sumptam ex iis, quæ ut in plurimum ita sont: quo dempto nulla superest fururitio, sed objectum manet pure contingens, & ad utrum libet, sicut quod ibi in exemplum adducitur *bellum navale erit, vel non erit:* cujusmodi est vulgaris probabilitas contradictoriorum: ac fatuus prorsus haberetur Medicus, qui optima hine vitæ, paria inde mortis videns signa prædiceret salutem ægroti: & idem est in aliis prædicationibus.

Inferimus ergo omnis homo tenetur ita vivere, ut de sua rectitudine, & gratia possit simile judicium, dictamenque efformare, eaque fundamenta habere, quibus non quidem certo, probabiliter tamen ex iis, que plerumque coringunt, judicare valeat, se rectum esse, rectamque, & honestam suam vitam.

Hanc consecutionem ex eo mihi fortissime persuadeo, quod nihil inveniendum existimem, unde cogamur ita operari, quo non probetur simul, nos cogi, tenerique ita vivere, nam ut est proverbium, *propter quod unum quodque tale, & illud magis:* operari autem est propter se, & recta operari propter recte esse: ergo non minus tenemur recti esse, rectamque vitam instituere, quam teneamur recte operari: non ergo minus constare nobis debet rectitudo quasi propria nostra, quam rectitudo operationis nostræ. Rursus aliud proverbium, axiomaque est, finem esse mensuram eorum, quæ sunt ad finem; absurdum ergo est, nos plus teneri curare, & nosse rectitudinem eorum, quæ sunt ad finem, quam finis ipsius. At recte operari, est propter rectum esse, & hic est finis. Non ergo minus tenemur curare, nosseque rectitudinem ipsam nostram, quam operationum nostrarum. Denique missis aliis, quia si non tenemur recti esse, nec tenemur recte operari. Ergo origo obligationis recte operandi, est obligatio recte essendi. Tenemur ergo a fortiori ad rectitudinem essendi. Sicut ergo, ut recte operemur, constare nobis modo dicto debet rectitudo operationis, ita ut recti simus, ipsi nos, constare nobis debet ipsa rectitudo nostra. At nisi jam propositos prudentes, peritos, in arte, ac versatos sequamur, & imitemur, non est, unde saltem magis constet rectitudo, quam non rectitudo. Tenemur ergo eos sequi, imitarique.

Quin imo nec rectitudo ipsarum etiam operationum aliter nobis constare potest Ideo scilicet nisi hos prudentes sequamur, rectitudo ipsa nostra non constat, quia nisi eos sequendo ad eorumque modum vivendo constare nequit, nos recte ambulare, operarique; & si constaret nos alia via eundo, alios que motes habendo recte ambulare, honestasque evadere operationes nostras, plane constaret etiam ipsa rectitudo nostra. At hæc non constat, ut fuit ostensum. Ergo neque rectitudo operationum in quam *operationum*, non unius, vel alterius, sed operationum; & morum, & quasi modi ipsius vivendi.

Qui totus discursus pæne dogmatice, concluditur ex quæst. 1. hujus libri. Quærebat ibi S Thomas Theologice, & scholastice, utrum homo scire possit, se habere gratiam, id est, sanctificantem; seu se esse justum, & rectum supponit quod certum dogma est, neminem id sciri certo citra Dei revelationem. Unde sumit, solum conjecturaliter per aliqua signa id sciri posse, per signa utique, quæ in esse communiter solent solum gratiam habentibus, & rectis, & justis. Ergo illi etiam summi viri, quos Ecclesia canonizavit, & eorum similes alii, quos prudentes dicimus, solum hoc modo scire potuerunt, se esse in gratia, & esse justos, rectosque. O miseros plane nos, quorum tam dissimilia est vita. Si ergo illi tanti viri, quorum vitam vix non horremus, & nobis Impossibilem fere arbitramur, non certo, sed conjecturaliter per aliqua signa scire potuerunt, se esse ingratia ipsamque suam rectitudinem, quod superest, unde nos id de nobis scire, conjicereve possimus. Ac tenemur, id scire posse, ut est, ostensum, sin minus summam rerum, ac nosmetipsos negligimus. Tenemur ergo eos sequi.

Vera veris cuncta eo hærent ubique, & quæ veritatis probatio maxima est, omnia sibi aptissime correspondent. Thomas eo loci hæc signa perhibet, quibus quis scire, conjicereque suam gratiam possit, si scilicet *percipit se delectari in Deo & condemnare res mundanas.* Hæc certe signa illis nostris prudentibus congruere solent, eorum more non vivenribus non solent. Ergo his deest, unde gratiam suam, rectitudinemque noscant. His etiam congruunt omnes nostræ superiores quæstiones, utque nuper de dilectione disseruimus qui enim Deum toto eorde, ac super omnia diligit in eo delectatur, resque humanas contemnit: ita etiam congruunt, quæ modo prosequimur de his prudentibus imitandis, atque sequendis. Concludamus itaque, teneri omnes ad istam imitationem.

§. V.

Ipso nostro conscientiæ testimonio comprobatur, teneri nos ad istam imitationem horum prudentum.

SUnt quidam ferme deplorati, qui mortuos, & æterna, & utrum bene, vel male homines moriantur, vix unquam recogitent. Atque hi magnæ Dei misericordiæ convertendis relictis, cæterorum, qui eorum, quos proposuimus, prudentum more non vivunt, neque se obligatos dicunt, conscientiam scrutemur, & videmus,

quam, qualemque persuasionem habeant de salute sibi similium, qui jam obierunt.

Profecto si eos rogemus quid de hoc, aut illo factum sit, ad Dei primum magnam misericordiam recurrunt, & deinde pie credendum esse, ajunt eum salvatum. Domestici verò, & amici, atque propinqui promptius ista tueri solent; at hi in Jure boni testes non habentur, sed exceptione eliduntur.

Enimverò quidquid de his sit, quibusdam quæstionibus uniuscujusque conscientiam torqueamus, ad verumque respondendum cogamus. Quæramus ergo primum, nec nobis, sed sibi conscientia respondeat, utrum velit suam bonam mortem hujus vel illius vulgaria vitæ morti, salutemque suam saluti appendere, neque plus spei de salute sua habere, quam habeat de salute hujus, aut illius sui status sic communiter viventium? Certe in Hispania in similibus moria est dicere, *mi alma con la de S. Pedro*; & sensus est, nos nolle animam nostram, & salutem huic incerto committere, sed securiora velle, & sperare.

Sed quoniam contingit sæpe, ut res has mundi magis appetamus, pluriaque non quidem mente, corde tamen faciamus, accipiamus aut Patrem, cujus filius, quem impense diligit, periculosè decumbat; aut alium pecuniæ avidum, qui pretiosia mercibus plena navigia transmisit in Indiam; aut Principem, qui ambiguo prælio totum regnum cogatur committere. Sin verò hi omnes optime instructi, & in eligendo prudentissimi.

Quæritur jam primò. Pater ille, utrum pacisci velit, & ita vel tutum, vel certum esse, nequs plus, neque minus, sanatum iri suum filium; sicut vel tutum, vel certum sit, hunc, aut illum eorum, de quibus loquimur, salvum fuisse, & sic etiam Mercator ille, & Princeps ille quærantur, & ut dixi, non tam nobis, quam sibimet respondeant, aut Deo. Timeo, ne hos quasi contractus recusent, ubi serio de eo ageretur, dicantq; se nolle his incertis intricari, maxime cum scriptum sit, *si justus vir salvabitur*; *& arcta est via, & pauci sunt, qui inveniunt eam*. Atque hoc genus aliæ quæstiones fieri possunt.

At tenemur, tutiores esse velle de nostra salute, ad idque eniti, quam de sanitate futura filii, aut de victoria ancipitis prælii, aut de securo exitu mercium. Ergo si hæc nolumus esse connexa cum salute eorum, qui communiter vivunt, tenemur salutem nostram in tutiori locare: hoc autem solum fieri potest non eos sequendo, sed magis quos proposuimus, prudenter imitando, horumque more vivendo, & vestigiis inhærendo. Ad hoc ergo obligamur.

Unde Apost. Petrus epist. 2. cap. 1. post ea injuncta, quæ hi prudentes servi Dei sectari solent, *quapropter, fratres*, inquit, *magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando*. Est enim res maximæ solicitudinis, & ut ex ipsius rei magnitudine cernitur, obligatoria, ut eam non in ancipiti relinquamus, sed magis, & magis, certam reddamus, & si ad totalem certitudinem in hac vita perventuri non simus: nec collatio ulla esse potest vel cum salute filii, vel victoria vel mercibus.

Hactenus de eorum testimonio dictum est, qui sanctorum more non vivunt. Nunc hos ipsos sanctos, aliosque eis moribus simillimos, prudentes, expertosque ad dicendum inducamus. Rogati illi fuissent, quando hic erant, utrum vellent, salutem suam esse connexam cum salute alio prorsus modo viventium, atque ita sine alia conversione morientium? Jacent sane illi modo; at eorum facta omnia, jejunia, vigiliæ, oratio, humilitas, charitas, mundi contemptus, laboresque respondent, eos profecto noluisse, sed tutiore in loco animas suas habere voluisse. At inquis, hæc cuncta eos præstitisse, non ut salvi fierent, sed ut majori gloria potirentur. Verum hoc falsissimum est prætenso sensu, quasi illi de salutis quasi substantia securi strictiorem eam viam, ac disciplinem capesserent pro consequendis gloriæ incrementis; quin contra, ut scitur, ea etiam cuncta peragendo de ipsa etiam substantia certi non erant, sed timebant.

Hinc denuo argumentamur: secundum prudentiam, sic etiam vulgo, & universim sine distinctione consideratam haud est, id velle, quod nulli eorum, qui ea in re extra controversiam prudentes sunt, voluissent: quidquid alii contradicerent, quorum prudentia, peritia, experientiaque, non est saltem adeo explorata, & certa, atque extra controversiam: & si res esset gravissima, magna profecto imprudentia foret. At nullus eorum ita certo prudentium, & expertorum voluisset, suam salutem æternam esse connexam cum salute vitæ communi viventium, seu hos prudentes non sequentium: aliunde vero res est omnium maxima, & cujus comparatione omnes aliæ nostræ flocci pendendæ sint. Ergo imprudentia, eaque magna est, & consequenter grave peccatum salutem æternam nostram vitæ communi connectere.

Confirmatur; quia hæ etiam Deo diligentissime inservientes magnæ animæ adhuc timebant de salute sua, & propter præteritum, & propter præteritum, & propter præsens, & propter futurum. Propter præteritum quidem, quia utrum sua sibi peccata dimissa essent, quia utrum sua sibi peccata dimissa essent, nesciebat. Propter præsens quia ignorabant, num aliquid elationis, vel amoris proprii, vel simile in corde delitesceret. Propter futurum, ne à proposito desisterent. Sciebat scilicet, neminem scire, an amore, vel odio dignus sit: sciebant, nos jussos cum timore, & tremore operari nostram salutem: sciebant, vel ipsum Paulum Apost. nihil sibi conscium esse; neq; tamen ausum se judicare, & absolvere: sciebant, eum castigasse suum corpus, & in servitutem redegisse, ne cum aliis prædicaret, reprobus ipse efficeretur: atq; hujusmodi alia plurima sciebant, & die, noctuq; meditabantur, nec proinde non timere poterant. Ubi celebria sunt ea, Augustini verba; *suo timore nos terret Apostolus: quid enim faciet agnus, ubi aries timet, & tremit?*

Hinc ea fortissima argumentatio sumitur. Qui videret, strenuos, expertosque milites valde esse solicitos; munire etiam sese armis omnibus; existereque omni studio intentos; & nihilominus hostem, præliique exitum valde timere, stultitia plane esset, stuporque, qui in rationales homines vix cadat, alios imbelles solicitos non esse, armare se nolle, neque intentos existere. Idem esset, si in pelago peritissimos nautas videremus valde solicitos, huc illuc cursitantes, & nihil non moventes, ut navim rectè dirigant, reganteque; alios autem minus saltem peritos, ac versatos oscitari, timereque nihil. Stultitia & hæc esset. At hæc est com-

comparatio, & major est comparatio Apostolorum ad nos, & sanctorum Dei, aliorumque ad eorum exemplar mores formantium ad alios quoquo modo viventes, nec eorum more vitam instituere volentes. Quare ubi citra contentionem res istæ tractantur, scilicet, in libris spiritualibus, ut in reliquorum specimen videre potes in Granata maxime in aureo eo libro de exhort. ad virtut. Stultitiam hoc esse, excitatemque de plano dicitur: velle autem stulte, cæceque in moribus agere grave crimen est. Tenemur ergo eorum prudentum, peritorumque more nosmet instruere, solicitos, intentosque existere ad instar eorum; & ad huc timere, nec vane confidere. Vana enim confidentia est, ubi aries timet; & tremit agnum nihil metuere: nosmet judicare, & absolvere, tutissimosque existimare.

Ubi sanè ita mecum contendere soleo. Vel isti viri Dei maxime errant, & viam salutis ignorant, vel erramus nos, & ignoramus: nam illi plurimum facientes, nec aliud agentes timent; nos eorum comparatione nihil agentes, & omnia alia agentes aut nihil timemus, aut timemus minus. At illi non errant, neque ignorant; & miserandus esset, qui se illis vel præferret, vel æquaret. Ergo erramus maxime nos, & ignoramus, seu potius dormimus, & oscitamur. Sed sæpissime jussi sumus vigilare. Ergo tenemur. Absurdum quippè est, nos aut dormire, aut dormientium ad instar tractare primum, & maximum omnium negotiũ.

Postremo & hoc argumentum ego solvere nescio. Si profecturus quis esset in Indiam, & sciret vel certo, vel probabiliter exiis, quæ ut in plurimum contingunt, omnes eos, qui certa via profecti sunt, fœliciter portum tenuisse; de aliis, qui alio pelago navigarunt, quid factum sit, nihil certo, nec probabilitet hac probabilitate sciretur, sed res mansisset incerta; profectò esset ille in sanus, & peccaret, si primorum eorum navigationem non sequeretur. Atque idem est, si iter facturus esset, si litigaturus, si negotium quodlibet tractaturus. At scimus certissime, sanctos omnes canonizatos portum fœliciter tenuisse; de aliis, qui eorum more vixerunt, existimus etiam ferme certi, & dictam probabilitatem habemus: de cæteris neutro modo quidquam scimus, sed rea mansit in certa, ut declaratum est. Ergo vel hæc salutis res nihil est, vel tenemur eam ad salutem viam capessere, qua scimus alios pervenisse: alia autem via, utrum cæteri vel multi, vel pars saltem media pervenerit, nescimus; quin ad negandum adest & authoritas immensa, & rationes fortissimæ, & ex his ipsis, quæ diximus, plus minus conjicitur. Sed plane, ut rectè quidam asseruit, nolumus ire quò tamen volumus pervenire.

Hæc certe, vel similia ex libris spiritualibus norunt plerique; atque ut ad testimonium aliud conscientiæ saltem plurimorum redeamus, nollent illi in eo rerum suarum statu, in quo sunt, decedere, sed prius vocationem suam, & electionem certiorem reddere; indeque in futurum magna cogitant, & servant: vallent mundo prorsus renunciare; alii Magistratus etiam, & Præfecturas abjicere, & sibi duntaxat intendere: alii remissius agentes religiosi fratres alios suos, & socios aliquando demum imitari cogitant. Cæterum ut in plurimum solent esse voluntates istæ in efficaces; sicut eorum, qui in apertissimis peccaris luxuriæ v. g. vitam terunt. At nihilominus sufficiunt in testimonium veritatis. Nam hæ voluntates quamquam in efficacea ex ea cognitione, persuasione torquente nascuntur, qua parum tutos se arbitrantur, vellentque non ita in certos, & ancipites decedere. Ergo hi saltem minus dormientes persuasi plus minus sunt, se non eo in loco, in quo deberent, salutem suam posuisse.

§. VI.

Eadem tuto, certoque prudentium, ac peritorum viam sequendi obligatio authoritate commonstratur.

Satis ratiocinio datum est, quod certe plurimi est faciendum, ubi probanti authoritati, idest, authoritati severa tali congruat; sin vero discrepet repudiandum est; si præter sit, nec tunc quidem magni pendendum; nam ratiocinia ab acutis quibusque facile utrolibet attemuntur. Ergo oportet veris authoritatibus, & aliquibus valde notis, & obviis, eo magis excusationem omnem adimentibus statuamus, quæ hucusque diximus.

Primum argumentor ex Breviario, ubi certe non casu Ecclesia sancta tot rectæ doctrinæ morum fundamenta tradit, atque ubique, & omnibus, qui saltem recitant, essent ob oculos: Et sanè satis omnibus olim scirentur, & avide arriperentur, si ut docent rectè vivere, ita docerent aurum invenire.

Augustinus itaque ait: *Solemnitates enim Martyrum exhortationes sunt Martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Sed mox clare, planeque nos describit dicens: *Sed nos volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis. Qui enim sanctos Martyres, in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Sed & Paulus Apostolus prædicat dicens, si fuerimus socii passionum, erimus & consolationis. Et Dominus in Evangelio: si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Recusat ergo esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite.

Magnus Gregorius. *Sed ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores.* Unde & Paulus egregius Prædicator dicit; *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Delectat ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Unde ad se venientibus veritas dicit: si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Hæc & alia in Breviario: quæ forte per imitationem perfectam, & imperfectam, idest, per non imitationem, aliosque terminos distinguent, & eludent: sed nos sanè ora obstruere non possumus; atque si hoc pacto hominum convictum, verba, & dicta confundere inciperemus, una vix hebdomada homines sibi convivere perdurareque in societate possent. Et in Decreto 1. q. 1. cap. nec sufficere asseritur. Nec sufficere nobis ad salutem arbitremur si turbis negligentium, vel quorumque in doctorum fide, vel actibus adæquemur, quibus sacris Litteris unica est credendi pariter & vivendi regula præscripta.

Est præterea Paulus expressus in hanc rem ad Philip. 3. scribit ibi primum, qualiter ipse ambularet; omnia detrimentum existimabat propter Christum, arbitrabaturque ut stercora, ut Christum

lucri faceret, &c. Quæ certe eorum sint quos necessario sequendos proponimus. Jam inquit: *imitatores mei estote fratres, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi; quorum finis interitus; quorum Deus venter est, & gloria in confusione, ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est.* Dixi jam superius nihil interesse, vel quorum Deus venter sit, vel quorum Deus gloria mundi sit, vel voluptas, vel divitiæ.

Ecce primum Paulus proponit se, & secundum hanc formam ambulantes, & qualesque hi sint, describit, qui omnia arbitrentur ut stercora, ut Christum lucri faciant; qui amici crucis Christi existant; quorumque conversatio in cœlis sit, & quæ sursum sunt sapiant: proponit item alios, non hanc formam sequentes, inimicos crucis, gulæ deditos, qui universim terrena sapiant: hæc practice magnifaciant, his potissimum intendant, atque inhæreant. Aperta mox est sententia Apostoli; non enim majorem, vel minorem eos gloriam consecuturos loquitur, sed de plano dicit, *quorum finis est interitus, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Tenemur autem haud dubie non in interitum, & ad confusionem tendere, sed ad Patriam. Tenemur ergo formam à Paulo præscriptam imitari, eosque quod imitantium est, observare, qui ita ambulant; & omniom aliam formam, quæ præter sit, vel contrasit, effugere.

Expono; idem est Paulum imitari, & ambulare juxta eam formam. At tenemur hanc formam sequi, atque juxta eam vivere. Ergo & Paulum imitari. Ergo & reliquos sanctos, & quos proposuimus, prudentes. Licet autem ita specialiter in eos Judæos dirigere videarur, qui legem etiam retinere volebant, nec eam admittere, quæ ex fide esset justitiam, ad idque propter lucrum movebantur: at doctrina omnes eis in affectu similes complectitur, & juxta præscriptam formam non ambulantes, inimicos crucis Christi, qui terrena sapiant, quorumque Deus, hoc est, finis terrenum aliquid sit; hoc principale, & famosum amarum, in quod vita dirigatur.

In quibus ne offendamus, scitur, duplicem esse Sanctorum imitationem, aliam quoad virtutes; aliam quoad opera interiora virturum. Compertum est, non omnes obligari ad istam secundam Pauli, vel sanctorum imitationem; nam cum Paulos prædicator veritatis etat in universo mundo, portabatque nomen Christi ad universas gentes: alii eremos incoluerunt, alii re etiam pauperes, celibes alii extiterunt, quos qoad hæc imitari alii neque possint, neque debeant. Imitatio ergo intelligitur quoad virtutes, & quoad opera unicuique statui congruentia. Quæ vero congruant, vel non congruant, non ex sapientia sæculi sumendum est, neque ab hac, aut illa opinione; sed recta regula est respicere, & observare eos, qui in eo statu, vel officio Apostolos, sanctosque secutos esse novimus. Idcirco etiam Apostolos, cum formam sequendam proponit, non ea commemorat, quæ omnibus non congruant, prædicationes, itineraque sua, paupertatem, labores manuum, & similia, sed ea, quæ omnibus apte congruant, omnia revera, & arbitrari tanquam stercora, ut Christum lucremur, cœlestia sapere, diligere, quærere, amicosque crucis existere. At qui sanctorum more, & affectu non vivunt, horrere magis solent crucem Christi mortificationem, humilitatem, contumelias, & quidquid crucis Christi maxime proprium est. Hi ergo amici saltem crucis non sunt; nobis tamen, nec esse quidem inimicos. Plsoe nescimos, quò ituri sint: non certe quo amici; non via etiam, quò inimici. Quò ergo? Nos profecto hos medios neque amicos, neque inimicos non assequimur.

Hæc, quæ hoc loco contulit Paulus, alias etiam in geminat: *imitatores mei estote, sicut & ego Christi;* item: *& vos fore potestis ex regula, & doctrina mea:* item ad Thimoth. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione in charitate, in fide, in castitate:* item Petrus: *forma gregis facti examino.* Tradita est ergo nobis forma plana, & obvia rectè vivendi, scilicet eos imitando, & sequendo, qui forma, exemplarque extiterunt arietes ovibus, Pastores gregi, & sancti omnibus, obvii, coætanei, fratres, socii.

Brevius jam alia argumenta conficiamus: hi prudentes carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis; quod quid sit plus minus intelligunt omnes. Atqui Christi sunt, hoc faciunt; & qui Christi non sunt, pereunt. Tenemur ergo eos imitari, carnemque nostram ad instar illorum crocifigere cum vitiis, & concupiscentiis.

Rursus: hi prudentes agebantur spiritu Dei; nam erant filii Dei; qui autem *spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei,* & ut Augustinus apud S. Thomam ad Philip. 3. lect. 2. inquit, *brevis differentia legis, & Evangelii est amor, & timor.* Sed tenemur esse filii Dei. Ergo tenemur instar prudentium eorum spiritu Dei, hoc est, amore agi: de quo multa præc. quæst.

Denuo tenemur non fatuis virginibos, sed prudentibus esse similes: cum peccatum grave sit fatuas illas consectari, quæ perierunt. At prudentes noluerunt in quæstione ista suam salutem habere, ut forte consecuturæ eam essent, & forte non essent, nec rem tantam huic incerto committere. Committimus vero, ut declaravimus, si sanctorum viam, formamque prætereamus. Ad istam igitur obligamut. Ubi hæ virgines faruæ alia quam sanctorum via incedentibus oculos aperire possunt; non enim occidebant, non furabantur, non mæchabantur, aut hoc genus alia, quibus non factis valde confidimus, Evangelium memorat. Gregorius elationem earum crimen existimat, Chrysostomus avaritiam; qoia cum haberent, unde oleum oportune emerent, noluerunt; quin a prudentibus gratis oleum postularunt.

Omnes item octo beatitudines tem istam evincunt: in quibus quasi summa doctrinæ Christi, morumque decreta capitalia continentur, prorsus, ac ex diametro contraria sapientiæ carnis, & sæculi: pauperes enim beati pronunciantur, & verum est: qui lugent, mites, pacifici, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, beati asseruntur, & verum est, & si crepet mondus. Illi quos proposuimus, hac via incesserunt vel acto, vel saltem affectu. Hos autem bearos dicit veritas; contraria omnia dicit falsitas, hoc est, mundus. Eadem ergo illa prudentum eorum, hoc est paupertatis spiritus, mansuetudinis, pacis, &c. Via capessenda nobis quoque est, si beati futuri sumus. Satis scilicet clare Dominus locutus est, & omnes intelligunt sanctorum propriam esse eam viam.

Iterum Dominus satis aperte omnibus denunciavit: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Frustra saoè tergi-

tergiversamur: nam hi sunt flores Evengelii: totum sibi, & fingula fingulis, ac fententiis fententiæ cohærent, & in qualibet idem invenitur, angusta porta, arcta via, crux, gladius, abnegatio mortificatio, contemptus mundi, & amor Christi. Nostri prudentes, periti, ec versati hoc ita intellexerunt; hanc esse viam crediderunt, eaque incesserunt. Ergo si Christum secuturi sumus, & quò pervenit perventuri, eadem illorum via incedendum est.

Argumentor prætereà: necessarie est humilitas ad salutem, & nullus humilis spiritu damnatur est, nullus superbus salvetus; nullus humilis est in inferno, nullus superbus est in cœlo. Constat ex Psalm. 17. Prover. 29. ex Matth. 11. & 23. atque ex aliis. Rectè scilicet August. libr. de Cathedralib. s inquit: *Magna enim est miseria superbus homo, sed major misericordia humilis Deus*, & magnum sanè monstrum coram humili Deo superbus homo. At ad comparandum humilitatem opus est meditatione, orationeque multa, & ut sanctorum more, formaque vivamus; qui scilicet post eam etiam suam tantam diligentiam hunc maxime hostem superbiam timuerunt: vanumque prorsùs est, nos, qui ut rectè Salmeronius asserebat, Pelagiani toti, idest superbi concipimur, & nascimur, evadere victores posse quoquomodo vivendo nec sanctorum mores induendo. Ergo necessaria est sanctorum imitatio ad humilitatem comparandam. Sed ad istam obligamur omnes; quia obligemur ad necessarie ad salutem. Ergo & ad imitationem.

Vidi aliquando, qui irriderent hanc de necessitate humilitatis doctrinam. Sed contenti sumus, si cum libris Dei, & sanctorum, si cum sanctis ipsis, & libris spiritualibus, in quibus de ejus veritate nihil embigitur, irrideamur. Alii ajunt, superbiam tum esse peccatum mortale, cum ad hæresim, vel nescio quid aliud, transierit, ut si credas, te nihil indigere Dei adjutorio; ac similia commiscent. Sed certe docere, & contradicere non deberent, nisi prius edifcerent Theologiam. Aliud enim prorsùs est hæresis, aliud superbia; hoc in voluntate, illa in intellectu residet, ut satis clarum est in 2. 2. & libri quoque spirituales declarant, ac ipse Catechismus puerorum superbiam ponit mortale, & nemo sapientiom dubitat. Nos illam superbiam mortalem existimamus quæ fatuæ virgines efferebantur, quá scientia inflare solet; qua scribæ, & Pharisæi omnia faciebant, ut viderentur ab hominibus, amabant primas cathedras in synagogis, primos recubitus in cenis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi: per hæc quippè Dominus eorum superbiam declarat, quam lethalem fuisse, ac cæcitatis, multorumque scelerum deindè causam, in comperto est. Eam uno verbo nos grosse superbiam mortalem esse putemus, quæ facit, ut cui ipsa inest, non humilis homo sit, sed superbus; non enim medium est simpliciter; alioquin esset medium inter infernum, & cœlum. Tu modo quære, & circumspice, utrum preter eos, qui sanctorum more non vivunt, hos humiles spiritu, hos non simpliciter superbos invenies. Hieronymus certe in Breviario: *væ nobis miseris*, inquit *ad quos vitia Pharisæorum transierunt*: & iterum: *quicumque igitur ita facit quodlibet, ut videatur ab hominibus, scriba est, & Pharisæus*: & rusticus ille qui Joannem Taulerum ad eam eximiam vitam convertit, non erubuit eum Pharisæum coram appellare. Ubi omittimus plurima.

§. VI.

Multorum sæcularium ista omnia ad religiosos rejicientium falsa persuasio, vel somnus excutitur.

Occurrunt ergo vel multi, vel pauci, utinam essent nulli qui se adhunc mundum natos, ituros tamen ad cœlum, atque ad pompam, ad famam, ad gloriam, ad delicias, ad divitias, & potentiam editos arbitrari videntur, & jejunia, vigilias, charitatem interiorem, humilitatem mortificationem, ac mundi contemptum, & quidquid crucis superest, nihil ad se pertinere existimantes, ad monachos & religiosos, & anecoretas totum hoc rejiciunt.

Hinc quasi ipsi frui hoc mundo jussi fuissent, religiosi vero sulùm uti: hi viatores esse, ipsi habere permanentem civitatem, utque solis religiosis exempla daret Dei filius, sic vivere, sic etiam mori dignatus fuisset, mirantur sine fine, & in sequuntur, carpuntque remissiores religiosos, atque maximo ipsis scandalo sunt lapsus quique eorum. Et quorsum, inquiunt, sæculo renunciarunt? Quorsum ingr. si sunt? Seque mira facturos promptissime promittunt, si religionem amplecterentur; & interea eorum, quæ tenentur, vix agunt quippiam, sed facile multa evertunt.

Consilium haud est Religiosorum defectus, aut culpas vindicare, sed sæcularium hujusmodi somnum discutere. Et primum quidem, quæ hactenus tam hac quæstione, quam in superioribus disseruimus, non religiosos solos, sed omnes complectuntur; nam sæculares etiam, opinor, districte judicabuntur; atque ipsi etiam Deum amare super omnia, & proximum tanquam seipsos obstringuntur; debent quoque satagere, ut vocationem suam modo dicto, & electionem certam reddant: atque ita d. aliis: ac nullus vel sæcularis superbus cœlo potitus est.

Jam deindè, ut tutius causam istam agamus, disserat sapientissimus Cardinalis Bellarminus. Primum enim ait, Apostolus in ipso principio Epistolæ ad Rom. ita scribit: *Paulus servus Jesu Christi vocatus Apostolus omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis*. Atque sicut de se diceret, *vocatus Apostolus*, idest, vocatione, Apostolus sive vocatus ad Apostolatum; sic de aliis Christianis dicit vocatis sanctis, idest, vocatis ad sanctitatem, id quod explicet clarius in Epistolà ad Ephes. &c.

Similia præcipit Princeps Apostolorum Petrus, cum ait, *secundum eum qui vocavit vos, sanctum & vos in omni conversatione sancti sitis, sicut scriptum est, &c.* Deindè non soli clerici, & regulares debent exire de mundo, nec diligere mundum. Scribit enim Paulus omnibus Corinthiis, quorum pars maxima Laicorum erat *debueratis de hoc mundo exisse*. Et S. Jacobus: *nescitis*, inquit, *quia amicitia hujus mundi inimica est Dei: quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur*. Sanctus quoq; Joannes non excepit Laicos, vel sæculares, cum ei: *nolite diligere mundum*, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligis mundum, non est charitas Patris in eo.

Quæ, & alia prosecutus, concludit vix Dei: habemus igitur ex doctrina Spiritus sancti per os Christi & Apostolorum nobis prædicata, non solùm clericos, & monachos, sed etiam Laicos ad hanc

hanc perfectionem obligari, ut sancti sint, & de mundo exierint, & concupiscentiis ejus nuncium remiserint. Hæc & alia Bellarminus.

S. Augustinus ser. 47. *Siqui vult venire post me, ab neget semet ipsum, & tollat crucem, & sequatur me. Non enim hoc virgines debent audire, & maritata non debent; aut vidua debent, & nupta non debent; aut monachi debent, & conjugati non debent; aut clerici debent, & laici non debent.* At neque laici salui fiunt, nisi post Christum eant. Si ergo ad hoc necesse est & abnegare se, & crucem tollere, utique etiam laici tenentur. Hoc porrò est omnium difficillimum, abnegare nos, utque exponebat Bernardus, crucem non invitos, sed volentes tollere: & rectè inquit Gregorius, forte non tam *laboriosum* esse homini relinquere sua, *sed valde laboriosum est*, ait, *relinquere semet ipsum; minus quippe est abnegare, quod habet: valde autem multum est abnegare quod est.*

Sanctus Leo ser. 9. de Quadrag. Dominus enim in exhortationibus dicit: *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Nec dubitare debemus, hanc vocem non solùm ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere.* Quæ dissolvere possunt perdurum, & blandum.

Copiosius de his disserat Chrysostomus, tum alias, tum lib. 3. adversus vituperatores vitæ Monasticæ, & scilicet adeo vetus hic error. *Neque enim Christus, inquit cum de his monita ederet, legesq; statueret, ita distinxit, ut diceret, siquidem is, qui jurat Monachus sit, à malo jusjurandum est: sin vero Monachus non fuerit, jam non à malo est, sed absolute omnino dixit: Ego autem dico, ne juretis penitus. Rursumq; cum diceret, vœ ridentibus, non addidit Monachis, sed absolutissimam sententiam de omnibus tulit. Atque idem in cæteris mandatis maximis, & admirandis facit.*

Cum enim dicit: beati pauperes spiritu: beati, qui lugent: beati mites; beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam: beati misericordes; beati pacifici: beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, &c. Nec Monachi, nec sæcularis nomen adjecit. Cæterum ista distinctio ex hominum consuetudine introducta est; Sacræ vero literæ nihil horum penitus noverunt, sed omnes Monachorum vita, & instituto vivere volunt.

Audi denique, quid Paulus moneat, quem cum nomino, rursùm Christum prædico. Hic itaque cum scriberet uxoratis hominibus, filiosq; nutrientibus, omnem ab illis Monasticæ vitæ diligentiam requirit. Namque delicias omnes penitus abscindens, sive quæ ad cultum vestium, sive quæ ad cibos pertinent, &c. Et multa Christianæ disciplinæ capita prosequitur.

Cum itaque non monachos tantum vel Apostolos, sed ipsum etiam Christum imitari nos jubeat, eisque; qui non imitantur, supplicia maxima intentet; qua tu tandem ratione, illam dicis esse majorem altitudinem? Eandem enim omnibus ascendere propositam, & imperatum est: Sed hoc plane est, quod evertit universum orbem, quod summa vitæ bene agendæ diligentia monachis opus esse arbitramur; cæteris negligenter vivere licere.

Hæc cum audis, lector, hære, quæso te, nec a barbaro aliquo aut sciolo dicta existimes: Chrysostomus est, qui statuit, cujus comparatione tu, & ego, & viginti nostri similes, & plures nihil sumus: pauperes, miseri, Doctorelli quidam, & parvuli sumus; hoc esse, inquit, *quod universum orbem evertit, quod summa vitæ bene agendæ diligentia monachis opus esse arbitramur: cæteris negligenter vivere.* Quid vero si rursùs alia denuo distinctio induceretur, qua monachi ipsi in alios paucos eam diligentiam rejicientes, sibi sufficere arbitrarentur, atque licere negligenter vivere? Ecce unde, non quidem divinando, sed errores istos hominum videndo, ipse hic Chrysostomus, eique similes alii, tam paucos salvos fieri, arbitrati sint.

Non ita, non ita est, subdit Magnus Doctor, *sed eadem ab omnibus Philosophiæ ratio requiritur: atque id equidem vehementer; imo vero non ego, sed ipse judex omnium Christus: ac mox inducit divitem illum damnatum; Virgines reprobatas, &c.*

Neque vero in inferendis solùm cruciatibus, sed etiam in sanciendis legibus id Christum fecisse, reperies. Etenim cum dicit, venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris, non monachos tantum alloquitur, sed & omne prorsùs hominum genus. Itemque cum jubet, per angustam viam ingredi, non istos modo; sed omnes omnino homines hoc imperio convenit. Cumque odisse animam suam in hoc mundo, atque cætera ejusmodi juberet nullum hominum genus excepit.

Cum vero non omnes, alloquitur, neque jura, & leges omnibus constituit hoc ipso insinuat nobis apertè. Denique cum de virginitate loqueretur, adjunxit, qui potest capere, capiat, neque omnes adjiciens, neque in præcepti ordine statuens. Ita Paulus quoque, nam in omnibus locis Magistrum imitari deprehenditur, cum in hanc incidisset materiam ajebat: de virginibus autem præceptum Domini non habeo. Itaque quod ad eamdem vitæ diligentiam supremumque perfectionis fastigium (cui scilicet status procurandum) *per divinas leges pariter, & sæcularis & Monachus cogantur, quodque ambo, si ceciderint, æqualia sint excepturi vulnera, neminem jam, quam tum libet sit ille contentiosus & impudens, contradicturum existimo.*

Quod porrò Chrysostomus tradat, Monachorum peccata non esse graviora, cum tamen, utpote votum violantes gravius peccare videantur, facilem exitum habet. Nam primo Monachorum nomine, non eos solos intelligit, qui voto se obstrinxissent, sed qui etiam citra vota animæ salvandæ causa montes, & eremos incolebant. Deindè peccatum superioris speciei æquari potest alio inferioris, ut aliquod furtum aliqua luxuria, quin etiam excedi. Hinc autem rem istam Doctor consideravit: neque enim, inquit, par facinus admittere videtur, qui uxoris solatio subnixus decore mulieris irretitur; atque is, qui ejusmodi auxilio & infirmitatis remedio destitutus hac interdum peste corrumpitur. Ubi sunt ergo illi sæculares, qui sua peccata ludum quemdam, & vix quidquam arbitrantur; & si quid de Monachis resciant, sine fine, & modo scandalizantur, & vix omnes non vellent extinctos? Sed quidquid sit de hac æqualitate, institutum Chrysostomi eo in loco non hoc est; sed eo incubuit, ut eam vanissimam sæcularium aliquorum persuasionem, quâ quidquid sanctitatis & excelsæ virtutis in Evangelio imperatur, ad Monachos, regularesque rejiciunt, dissipet: quod certè ubi liber Dei valet, confecisse ipsi & nobis videtur.

§. VIII.

Discutitur denuo miseranda ista vanitas.

Miserandi itaque magis, & a profundo somno excitandi hi homines quam increpandi videntur. Mitissimè igitur ab eis quæramus utrum solùm Monachi, regularesque in Baptismo sathanæ & omnibus pompis ejus abrenunciaverint?

Sin

Sin vero etiam ipsi renunciaruot, ad quid teneantur, videant. Quætamus etiam denuo, num Monachi duntaxat Christo consepulti sint in Baptismo? Nam si ita est, Mooachos accusent, & se prorsùs alios habeant.

Quæramus item: com pueri in doctrina Christiana instituuntur, hoc ioter alia edocentur, tres esse hostes animæ, carnem, Demouem, & Mundum. Quærantur itaque utrum hoc ad eos solùm pueros attineat, qui religionem, ingressuri sint; non autem ad eos, qui remansuri in sæculo? Quod si ad hos etiam, & ad omnes pertineret, qui pacem cum muodo ineunt; ejusque, cum hostis sit, amici existunt, nou repugnant, non contra pugnant, & impugnant, à Deo profectò deficiunt, & pereunt. Quomodo item non erubescunt, cum ajunt, se mundum sequi? Ejus ergo, qoem sequuntur, glotiam consequentur.

Quærendi sunt item, an status religionis, an laicorum sit periculosiot; utet tutior? Tutiorem, opinot, religiosum; periculosiorem sæcularem volentes nolentes fatebuntur; quio rectè Gregorius multis de causis apud S.Thom.22.q.186.art.9. tranquillo portui statum religiosum; fluctuanti mari confert sæcularem. Num ergo, qui quasi iu portu sunt, vigilare, cavere, diligentes, solicitique esse reoentur; dormire vero, aut rorpere, & quoquomodo vivere, qui tempestate jactantut? Orare, jejunare, uon videre illi; hi vero frui plenissime omni terræ bono? Sed vero uavigent utrique: religiosi certe tutiori navigio vehuntur; scapha velut quadam laici. Ergo hi negligaot, illi prorsùs vigilent, consecutio plane est, quam nulla ratio probavit, sed torpor, & somnus excogitavit.

Quærantur prętereà, ad qnos pertinere censeant parabolam illam de cæna magna? Nonne ipsas illas ipsi excusationes prætexunt, ne Deo, divinisque multum vacent; non enim dixerunt, ad occideudum, mæchandum, furandumvè imus, *sed primus dixit ei, villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: uxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reversus servus nunciavit hæc Domino suo.* Tunc iratus Pater familias, &c. Quid vero eum facturum cum his, qoi istis de causis sese excusant, arbitramut? Ad Purgatorium forsitam eos conjiciat. *Dico autem vobis,* inquit, *quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Apud Matth.cap.22. multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Atque hoc modo ex planis Evangelii sententiis interrogati de multis possunt, ad quæ obmutescant, ac tanta illa regularium prætermissa cura sibi provideant, nisi etiam velint totum Evangelium non suum esse, sed Monachorum. Quos, precor, eo suo iusolubili argumento coovenit Paulus 1. ad Corinth.7. *Hoc itaque dico fratres; tempus breve est: reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes: & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non possidentes; & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi:* est argumentom de promptum, a brevitate & incertitudine vitæ, & a manifesta vanitate mundi: & solutionem non habet. Verissime enim viatores sumus, hospites, & advenæ, &c. Tenemur ergo non hæc invertere; nec consilium est, sed status ipse noster viarores esse, alio tendere. Quod si loca hæc obvia dicas, & vulgaria, eo magis excusationem adiment, nec minus concludent.

Ut itaque harum rerum vim, robutque declaremus, & non solùm credant sæculares, sed etiam aliquo modo intelligant suam obligationem, ex concessis ad negata explicatio ducenda est. Apprehendunt nimirum ipsi, & concipiunt, & bene sane concipiunt, magnum quidpiam, & grande esse statum religiosum, sanctitatis omnis scholam; perfectionis acquirendæ institutum sacratarum Deo animarum.

In hoc certe non errant, si ita simul apprehenderent & conciperent, quam magnum quidpiam sit, excellens, sanctumque esse Christianum; sed hoc quod omnium oostrum est, facile prætetimus; illud quod aliorum curamus, ponderamus, & urgemus: ex his itaque, quæ de religioso statu concedunt, & intelligunt, suum quoque intelligere possunt.

Ponamus igitur tria genera hominum, scilicet Gentilium vel Mahometanorum; & simpliciter Christianorum, idest, Christianorum sæcularium, & Christianorum regularium, & hos tres status aut instituta confetamus. Citta comparationem pæne omnem, & modum plus distat, plusque elevatur status, vel professio Christiani suprà non Christianum, sed, v. c. gentilem, quam distet, & elevetur status religiosus supra Christianum simpliciter, ac minus differt religiosus à Christiano, quam hic a gentili, vel Mahometano.

Hæc propositio est innegabilis: nam maxima quæque, quæ ad Deo serviendum, & ad sanctitatem omnem diligentissime procurandam movere, & obligare possunt, sunt Christianis omnibus communia, cœlum, infernus, Judicium, Salvatoris vita, mors, & exempla: commune etiam illud summum; *empti enim estis pretio magno; glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Donum creationis, conservatioois, redemptionis, earumque fides, & quidquid maximum est, & ex quo adeo a gentili discrepamus, & velut in alió mundo positi sumus, plane & Christiano coique, & religioso commune est; & differentia Christiani à non Christiano velut substantialis; hæc alia religiosi à Christiano illius saltem compatatione est quasi accidentalis; hæc parva; illa maxima: hæc aliqua; illa incomparabilis.

Unde sic arguitur: qui plus statu, instituto, professioneque differunt; plus etiam moribus, corde, & opere differre debent. Sed Christianus à non Christiano plus incompatabiliter differt statu, instituto, professioneque, quam religiosus à Christiano, ac plus multo ponit Christianus sopra non Christiauum, quam religiosus supra Christianum. Multo ergo plus motibus, & corde, & opere differre debet Christianus à non Christiano, quam religiosus à Christiano.

Hoc argumentum contemnendom haud est, quo scilicet sæpè tamquam capitali utitur Dominus; primo circa nimiam rerum mundi solicitudinem Matth. 6. *Nolite ergo solicati esse*, &c. *Hæc enim omnia gentes inquirunt:* deindè circa modum dominiorum Matth.20. *Principes gentium dominantur eorum; vos autem non sic*, &c. Rursùs Matth. 5. & Luc. 6. diligendos etiam inimicos, atque eis esse benefaciendum; mutuum dandum nihil inde sperando, & universam nostram circa proxi-

mos

mos conversationem boc ferme ex loco commonstrat: *sic enim diligun eos, qui vos diligunt, &c. quam mercedem habebitu? Nonne & publicani boc faciunt? & si salutaveris fratres vestros tantam, quid amplius facitis? Nonne & ethnici boc faciunt?* Et in Luca post alia: *& si mutuum dederitis bis, a quibus speratis recipere, qua gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fænerantur, ut recipiant æqualia. Et si benefeceritis bis, qui vobis benefaciunt, qua vobis est gratia? Siquidem & peccatores boc faciunt. Verum tamen diligite inimicos vestros; benefacite & mutuum date nibil inde sperantes; & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi.* Alios ergo vult esse prorsus mores nostros, aliam conversationem, quam gentium, quam ethnicorum, & peccatorum, nec alioqui merces ulla speranda est, aut filii Altissimi erimus: & si non filii; ergo nec hæredes. Num vero hæc de mutuo, & alia solum sint de consilio etiam in particulari alias tracto. Sic & Paulus ad Eph.4. prohibet viam gentium ambulare. Atque omnino denunciatum toties est, justum ex fide vivere. Debet ergo ex fide regulari, ac suæ fidei conformem instituere conversationem. Fides autem nostra nobis proponit Jesum Christum, & bunc crucifixum. Quales ergo oportet esse actus nostros?

Ex his conspicitur argumenti facti efficacia, quam sæculares intelligere possunt ex sua ipsa circa religiosos existimatione, & censura: mirantur enim remissiorem eorum vitam: & si lapsus contingat, fine fine scandalizantur; si pecuniis, si sæculo multum studeant, vix non horrent, atque valde aliena, quin etiam absurda, & repugnantia ea putant eorum statui, professioni, & instituto, vellentque eos sibi dissimillimos. At ipsi magis dissimiles esse deberent non Christianis, atque hi multo magis mirantur suam remissiorem vitam, suos lapsus, & scelera, suum pecuniarum, sæculique amorem. Si ergo religiosos adeo reos putant, quia in his ipsis dissimillimi non sunt, intelligant ex hoc, quam sint ipsi rei, & pravi, si non Christianis non fuerint multo dissimiliores.

Ecce ergo hic adsumus tres, gentilis Christianus, & religiosus. Valde stomachatur Christianus si religiosum instat sui loqui, agere, vivereque videat. At gentilis stupet, dum videt Christianum instar ipsius instituere vitam, loqui, agere, voluptati, divitiis, & mundo in hærere, & vix credit, eum illa credere, quæ confitemur; ubi plurima adduci possunt, omniumque plausu illud Apostolici viri Avilæ acceptum est, duos oportere esse carceres, sacræ inquisitionis alterum non credentium; Credentium & ita viventium alterum amentium: & superius Granata jure dicebat, problema esse, quid foret incredibilius, utrum Judæos, quæ viderunt, vidisse, nec tamen credidisse; an Christianos, quæ credunt, credere, & tamen ita vivere. Spiritualia sunt ista, inquis. Et fatemur; & primo falsa ea ostende; & deindè rectam doctrinam moralem spiritualem plane esse, nos utique arbitramur: quod de novo facile ostendi posset. Atque in rem nostram urgentissima ea sunt, quæ Jacobus Apostolus cap.2. movet *tu fidem habes: & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus*, & alia in quibus immorari non vacat: vere enim si quis litem de sua fide eis moveret, qui tam longe, & contraria fide vivunt, & ambulant, nescimus, utrum fidem suam satis in judicio defensuri essent.

Miratur itaque, scandalizatur, stupetque gentilis, dum Christianos ita credentes videt ita vivere; Unde illud periculum Paulus 1. ad Timoth. 6. timet ne *nomen Domini & doctrina blasphemetur*: & ad Rom.2. *nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes* quo circa inter plurima alia Salvianus lib.4. de provid. *& in nobis itaque*, ait, *Christianum vocabulum quasi aureum decus est: quo si indigne utimur, fit, ut fues cum ornamento esse videamur.* Sed quoniam hoc ex loco plurimæ veritates morales innotescere plus minus possunt, visum est paucula alia addere.

§. IX.

Peccati moralis & venialis notio aliqua; & Christiani quia Christiani sub mortali tenentur aliam quam gentium instituere vitam.

MAxima inter Theologos quæstio, & difficultas est, unde & quomodo differentia inter peccatum mortale & veniale internoscenda sit; nec consilium est nunc rem istam plene prosequi, sed delibare & aliquid ad præsens accommodatum significare. Quidam eam regulam nescio, unde arripuerunt, differentiam totam existimatione, & opinione operantium ipsorum constare, & si existimasti, te mortale committere, mortale fuit; si veniale putasti, veniale fuit, & tota regula existimatio est. Sed lib.2. hoc eversum est.

Jam quoties constat, operationi, vel omissioni pœnam gehennæ, aut privationem gloriæ denunciari, in confesso est, esse mortale: ubi vero de specie pœnæ nihil intimatur obscura est differentia, & vix internoscere, ac distinguere eam possumus. Sunt certe quidam, qui quidquid in Evangelio, in Apostolicis litteris, in sanctorum Patrum operibus, ac in libris spiritualibus traditur; nisi expressissime ibi gehenna, aut peccatum mortale apponatur, mox dicant esse de consilio, aut ut summum obligare sub veniali. Unde sicut laici ad religiosos, ita hi ad paucos quosdam perfectionis studiosos omnem eam doctrinam, ac disciplinam rejiciunt, & viam aliam ad cœlum docent: quod quam sit falsum, satis ex dictis cernitur.

Dicendum itaque arbitramur, primo quidem, ad aliqua Christianum, quia Christianus est, seorsim ab omni alia lege, obligari sub mortali, ad quæ non Christianus non tenetur. Inquam, ad aliqua non solum credenda, sed quia talia credit, fidei huic conformia operanda; & universim ad instituendam diversam, honestioremque vitam magne adeo, sanctæque fidei, professioni, & instituto consentaneam. Hoc nunc in genere constat ex §. præc. ex iis maxime, quæ Dominus sub pœna nullius mercedis consequendæ prosecutus est, quæ latius in Evangelio ipso leguntur: atque ex dicendis modo magis constabit.

Dicendum proinde videtur secundo differentiam peccati venialis, & mortalis universim rectè internosci per modicam & magnam dissonantiam ad rationem: cujus conclusionis termini exponendi sunt. Dixi per dissonantiam ad *rationem*, non utique puram, seu ad rationem contra distinctam ab authoritate, sed ad *rationem* sive ratione, sive authoritate rectè institutam; ut in casu nostro sumimus rationem ipsa etiam Christiana fide formatam. Dixi *per modicam, & magnam dissonantiam*: quod exemplo ritto parvæ, & magnæ macriæ in jejunio, in justitia, atque similibus, quod Idiotæ etiam

etiam nimis norunt, satis nunc declaratur; & si determinatio, & taxatio harum in genere parvitatum magna denuo discussione indigeat, modulo nostro jam elaboratam hoc in opere prætermittimus ut alienam. Nunc satis sit si ad eum modum ista modica seu parva, & magna dissonantia usurpetur, quo parvam quantitatem cibi, potus, & pecuniæ explicare solent: licet enim istas per mensuras etiam, & uncias prætérea declarent, in ratione autem nullæ sint unciæ; per prius tamen est parvum, & magnum, quam certæ mensuræ; atque ante, & præter istas naturali conceptione omnes, inter parvum, & magnum, modicum, & multum; paucos, & multos distinguunt, & via particula panis parvam eam dico, & si ignorem, num semiuncia sit, an minùs, vel plus, atque hoc modo parvam istam, & non parvam, sed magnam dissonantiam ad rationem intelligere, capereque possumus.

Etenim regula ac mensura proxima actuum humanorum, & morum est recta ratio. sicut ergo cæterarum rerum rectitudo, vel non rectitudo: magnus irem, vel parvus earum defectus agnoscitur per suas regulas, ut rectitudo verbi gratia, horologiorum, & defectus parvus, vel magnus per tantam, aut magnam, aut exiguam discordiam, à motu solis; ita & actuum humanorum rectitudo, & defectus internoscendi sunt, ac mensurandi. Alibi porrò explicuimus, quo res mensurandæ sunt pretiosiores, eo exactiorem mensuram esse oportere, quæ nec in minimo quidem fallat; quia valor ingens earum facit, modicum etiam errorem esse maximæ considerationis, seu qui in vilioribus rebus modicus haberetur, censeri magnum: ac præterea etiam ipse actus mensurandi attentissimè efficitur. Cùm ergo mensurabilium omnium res pretiosissimæ sint mores nostri, & vita, opus in primis est exactissima regula; & deinde attentione maxima in mensurando.

Itaque per conformitatem ad rationem fide Christiana instructam & formatam, habetur rectitudo morum, ac vitæ nostræ; & similiter per magnam aut parvam dissonantiam ad eam agnoscitur, quid grave, quid leve sit in peccatis. Est vero regula, mensuraque ista, ut oportet exactissima, & certissima, utpote infallibili fide constituta, si nos in attendendo non deficiamus. Neque tamen volumus, omnes, & singulos actus nostros dictari, regularique ab ista fide, cum sint plurimi præter fidem; sed quod præsentis instituti est, dicimus, per eam regulari, præscribique modum, institutumque vitæ nostræ, ac plurimorum actuum; ex quomodo sic universim præscripto, quid in cæteris rectum sit, capere haud difficulter possimus.

Jam hinc intentio nostra principalis conspicitur, teneri scilicet Christianum, quia Christianus est, ad multa, & ad disparem vitæ modum ex hac ipsa fide professione, & instituto. Hoc consta: quia diversæ regulæ diversum debet esse regulatum: sed regula vitæ christianorum est quasi toto cœlo diversa à regula non Christianorum, ac super omnem fere modum elevatior, altior, sanctior. Ergo diversum eadem proportione debet esse regulatum, quod est vita Christianorum. Quare vita gentilium regulæ adæquata, & conformis erit deficientissima, & mala in Christiano, quia à sua regula plurimum discrepat, & exorbitat.

Hæc argumentatio valet in aliis mensurandis, & regulandis omnibus. Ergo & in præsenti. Antecedens patet inductione; Mathematici, & Ethici diversa est regula, & alterius forma, & præscriptio est demonstrare; alterius autem probare ex iis, quæ plerumque contingunt: si autem Mathematicus hac morali regula uteretur, esset profectò pessimus Mathematicus. Nobiles similiter, & plebei diversam formam habent vitæ civilis; absurdus vero nobilis foret, qui instar plebeiorum, & rusticorum viveret: & ita in aliis: ita etiam cernitur in exemplo, quo usi sumus, hominis sæcularis, & regularis; & tenetur hic alterius modi instituere conversationem instituto suo, regulæ & professioni conformem, & hinc etiam quod in sæculari homine leve foret, grave etiam efficitur ex gravi; dissonantia ad suam regulam & professionem, & scandalizamur valde. Sed multo magis quam hæ aliæ regulæ inter se, distat regula Christianorum à regula non Christianorum. Ergo tenentur Christiani multo distantiorem instituere vitam, ac poterit in eis esse grave, quod in aliis foret leve.

Hoc ex loco quia Christianus alium credit finem hominis, sublimiorem scilicet, & altiorem, quam ratio naturalis assequi non poterat, docebat S. Thomas lib. 2. virtutem moralium naturalium, seu acquisitarum, & infusarum diversum esse medium fini cuique proportionatum, ut ibi explicuimus.

Eodem ex loco Salvianus libro quarto de provid. post medium fuse probat, graviora esse peccata Catholicorum, quam barbarorum, ac deteriores plerumque ipsos etiam Catholicos, quam barbaros; quo horum victorias, nostramque cladem, & mala revocat; quia nimirum valde præter, contraque legem nostram, fidemque vivimus.

Hinc etiam illud quod Baronius memorat, & recogitandum planè serio, diuque deberet, revelatamque quippe, ostensamque B. Catharinæ fuisse celebritatem singularem, lætitiamque beatorum; causam vero lætitiæ illam, quod eo die erepta Christianis, & à barbaris capta fuisset urbs Hierosolymorum: adeò enim & ei loco & fidei suæ, ac professioni mores repugnabant Christianorum, ut plurimum hinc excresceret injuria Salvatoris; & victoriæ, fœlicitatisque loco beatis fuit, ut pulsis Christianis barbari loco sancto potirentur, & Deus offenderetur minùs, & hac etiam inter causas alias magna est, cur Turcæ barbarique alii latè dominentur; & raræ sint nostrorum victoriæ; quia exercitus nostri, & eorum cum fide, & professione toto cœlo distent, moribus vix distant; cordibus autem minùs; unde Deum non adjutorem habemus, sed vindicem: & si consimilis Machabæis nostrorum esset fides, spes, & disciplina, magni etiam proculdubio forent triumphi. Sed hæc omittamus; quæ tamen firmant, quod dicimus.

Propterea etiam Dominus, ut §. præcedent. visum ur, dissimillimos nos agentibus & ethnicis voluit, ac de forma universim, & de

rebus particularibus diversa admodum præcepta constituit : illud certè unum, quod de mutuando tradit, ostendit quales planè simus : *& si mutuum dederitis bis, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fænerantur, ut recipiant aqualia.* O Deus! quot, precor, Christiani sunt, qui hoc saltem, quod peccatorum & gentium esse Dominus supponit, exequantur, quique fœnerentur, ac mutuentur, ut recipiant æqualia? plus plerique usurpant hoc, vel illo titulo. Sortem dicis, amittam, & Dominus dicit; & si sine ullo periculo mutuamini, si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Dominus itaque propter periculum istud promittit vitam æternam. Nos hanc solutionem, & pretium nihili ducimus & æquale, & plus volumus, nec peccatores, & gentes saltem æquare. Sec hic locus non est de mutuo, usurisque dicendi quibus plurimi pereunt. Nunc ex plana, & clara doctrina salvatoris constat, eum nos prorsùs alios, ac gentibus dissimillimos in universo vitæ instituto esse voluisse, & cuisse, plura in hoc argomentum confert B. Clemens epist. 3. *si illi*, inquit, id est, *Gentiles amant proximos suos, nos etiam diligamus inimicos nostros, si illi mutuos dant bis, qui habent, unde reddant, nos etiam bis demus, a quibus recipere non speramus, & per omnia nos, qui æterni seculi hereditatem speramus debemus præcedere eos, qui præsens tantùm seculum noverunt, scientes, quia si opera illorum nostris collata in die judicii similia inveniantur, & paria, confusio nobis erit*, &c. quæ probat ex Matthæi duodecimo, & Lucæ undecimo, *Regina Austri surget in judicio, &c. & condemnabit eam* &c. & iterum. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt eam*, &c. & concludit. *Videtis ergo quomodo eos, qui erudiebantur ex lege, adductis exemplis illis, & ostendens eos nec æquales esse, ex ipsa tantùm comparatione condemnat.* Hæc Clemens : & sicut ostendit, nec æquales esse sufficit. Ergo ex comparatione condemnabimur. Utinam excitemur, qui dormimus; non enim de minori gloria, sed de condemnatione est sermo.

Eodem ex loco etiam Paulus instituit Ephesios capite quinto, *estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis &c.* Ex quo infert : *fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* Intelligunt planè hæc sæculares ad litteram, & facile de religiosis, ac valdè scandalosum censent, si immunditiam, fornicationem, ac similia illi, vel nominent. At non solùm religiosi, sed omnes Deum imitari debemus, sicut filii charissimi ejus, & sicut filii imitantur, observantque Patres suos : omnes item jussi sumus ambulare in dilectione, nam omnes prior Christus dilexit, nec pro religiosis solis, sed pro omnibus semetipsum tradidit. Ex his porrò infert Paulus nos agere, loquique debere, sicut decet sanctos : quia causæ illæ ad hoc cogunt, & communes sunt, & omnes ad sanctitatem vocati sunt, sicut religiosus ad religionem. Ergo quemadmodum multa in religioso gravia, & scandalosa sunt, quia valdè dissonant ejus instituto, & professioni; ita in Christiano multa gravis, & scandalosa sunt, quia ejus fidei, vocationi, professionique valde repugnant : & si quemadmodum scriptum est, nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum non intrabimus in regnum cœlorum, certè neque intrabilis, nisi plusquam Gentilium justitia abundaverit.

Ea porrò gravia ex dictis censenda sunt, quæ eas res, quas Christiani credimus non parum dedecent. Item ea, quæ in libris spiritualibus stulta, ac valde imprudentia esse convincuntur. A fortiori vero illa, quæ quamdam cæcitatem continere ostenduntur. Licet enim rarò libri spirituales in singulis distinctionis peccati mortalis, & venialis meminerint, at convertibilibus vocibus rem satis declarant : sunt enim convertibiles voces in moribus illæ, quas significavimus, quia explicant magnam dissonantiam ad regulam : & absurdum in moribus, & peccatum mortale convertuntur: & quemadmodum absurdum in scientiis dicitur per repugnantiam ad prima principia : sicut absurdum in moribus per repugnantiam ad regulam sumitur : & omne absurdum grave est : est autem regula christianorum altissima & sanctissima humilitatis, charitatis, pacis, modestiæ &c. §. 10. ex his obiter cernitur absurditas habitus multarum fœminarum Christianarum. Hinc certè videas, quam sit absurdus & à Christiana professione, & sanctitate alienus habitus nostratum fœminarum, & scotatutæ, quas appellant : quam dissonantiam, absurditatemque dupliciter intelligere possunt. Primò collatione ad fœminas cultiorum saltem gentium Romanas, vel Athenienses, quæ vix plus ausæ videntur, explicaturque facile Seneca : ac pudor ipse naturalis non prorsùs barbararum fœminarum arcet, ne plus se denudent. Deinde intelligitur collatione ad religiosas, quæ si quid ejusmodi ausint, maximo scandalo sunt. Licet vero religiosæ nostræ ad majorem modestiam honestatemque tenentur; at Christianæ plus distare deberent à fœminis gentilibus, atque hæ plus scandalizarentur visis Christianis, quam hæ scandalizari debeant, si id genus aliquid religiosæ imitentur. Excusant sese aliæ per alias. Sed ut diximus part. 1. committitur circulus vitiosus, & obiter intelligitur etiam dissonantia ex verbis; nam aliter loqui tenentur fœminæ Christianæ, & idcirco nefas plurimæ existimarent, si ea nominarent, quæ Apostulus Paulo ante memorabat, ideoque non nominant. At eadem lege jussæ sunt ad honestatem operum, & corporum, sicut verborum, & peccarent in motibus, & gesticulationibus parum pudicis, sicut in verbis: §. & in nuditate. Ac denique consideratis his, quæ Apostoli, Petrus, & Paulus, & sancti Patres, Theologique hoc circa afferunt, statuendum est, prophanitatem demum aliquam esse in hoc genere, nuditatem item aliquam, quin ad extremam impudentiam accedat, quæ proculdubio peccatum mortale sit, denudent ergo se eo usque fœminæ. Profectò non video, unde concludere possemus illud plus esse mortale, si quod nunc in more habent,

mortale non sit & qualiter modo argumenta solvuntur, tunc eodem prorsùs modo solverentur. stupemus vero quomodo tantopere quotidie communicare, & sanctam, & immaculatam hostiamve Deum vivum & verum accipere suadeantur, quin in his, & aliis tangantur quidquam.

Illam vero gravium aliqui Theologorum instantiam, quam à facie, quæ pulcherrima pars est, sumunt, nullam planè arbitramur. Etenim instantia in prima illa ad ea argumenta, quæ hanc nuditatem pravam contendunt, quia hominis incitat, ac movet ad malum: nos autem nihil hinc argumentati sumus.

Deinde argumenta etiam hoc ex loco sumpta censemus fortissima, nec habere instantiam in facie. Non quia minùs pulchra pars ea sit, & ipsius etiam aspectus non moveat: sed quia hæc motio est per accidens, nec fœminis tribui potest, cùm voluntatis non sit, sed necessitatis. Iterum ex ipsa hominum, mulierumque societate civili, & convictu inductum à natura ipsa est, ut nosmet invicem cognosceremus: cognoscimur autem ex facie: ideoque consentaneum valde naturæ est, & rationi est, ut facies ostendamus, ideoque cum finis sit communis, commune id quoque est viris, & fœminis, nec differentia sexum; quidpiam hæc institutio præ sefert, aut impudicum aliquid olet.

At hæ aliæ nuditates prorsùs voluntariæ sunt; & ad placendum solùm referuntur, & ad placendum quidem, ut quidpiam jam contractum voluntario, determinatumque ad ipsam differentiam servum, & sic per se, & voluntario motivum, & incitativum ad malum: quod utinam satis explicare scirem.

Expono tamen sic: homines videntes mulieres, quæ faciem solùm ostendant, credera ax hoc, aut apud se dicere non possunt: istæ peculiaritet, & tamquam fæminæ à nobis amari, & appeti volunt, aut eo eunt, ut placeant nobis: sin vero uti moris est, eas videant sic nudas, credere, dicereque possunt: istæ, & tanquam sexus diversi amari, & appeti à nobis volunt, & placere nobis: nam alius finis non cernitur hujus nuditatis. Hæc autem est maxima motio, & tentatio, & per se ad hoc ipsum ordinata. Ergo est grave peccatum, & explico; quia si quid hujusmodi etiam remotissimum fœminæ viris loquerentur, valde tentarent, & peccarent. At æquivalenter opere ipso loquuntur. Aiunt viris solis nostris placere volumus. Sed hoc in primis pro non conjugatis non valet. Deinde vir nisi domi à viris suis videntur. Quibus ergo placituræ foras similiter eunt? Denique quia hoc medium est fini intento contrarium; quia uniuscujusque nuptæ finis est, ut ipsa sola, & soli viro suo placeat, ad quod inprimis, ut dictum est, domi, ubi fermè à viris suis videntur, non foris, ubi ab alienis maximè conspiciuntur, id exequi oporteret: ex quo etiam cernitur, non ad placendum viris suis solis, sed magis ad placendum aliis deservire hoc medium. Præterea nec desevit, ut uxor solùm propria placeat magis, aut appetatur; quia cùm ipsa una sit, & aliæ plurimæ sint contra ipsam, quæ eodem jure utantur, eodem medio, plus causæ ponitur, quæ virum unum quemque ab uxore sua distrahat quàm quæ illi soli concilier, ac illiciat: & sic experientia demonstrat, his prophanitaribus haud planè reddita esse matrimonia sanctiota, sed magis cuncta prophanata. Quare hanc voluntariam partis corporis manifestationem, seu scotaturam non censemus intra lineam pulchritudinis claudi, sed esse extra eam atque per se provocativam.

Nec est etiam instantia in brevissimis osculis, quæ in Regnia quibusdam in more sunt; & si plus provocet tactus, quam aspectus. Etenim considerandum præterea est tantum, & quantum; & non quilibet brevissimæ moræ tactus adeò movet, atque longior aspectus. Deinde quia si aliqua, ubi mos est, illud quale quale osculum danegaret, inurbanitas, & quidam velut offensæ, aut minoris amicitiæ modus videretur: quod cessat in scotaturis, quia nulla prorsùs injuria fieret. Unde rursùs quia mos osculorum, est quædam obligatio ad alterum introducta ex consuetudine, quare quasi jus quoddam aliis servatur: cujusmodi nihil est in ista manifestatione corporum. Quin illud maximum est, quod origo, & significatum horum osculorum sit sanctissimum: sunt enim instituta in signum benevolentiæ, ac mutuæ charitatis. Quare & alicubi, & apud Judæos viri etiam viros osculabantur, & Judas osculo tradidit Dominum; qui etiam apud Pharisæum conquestus est, *osculum non dedisti mihi*. Origo itaque hujus consuetudinis hæc est, & sancta est & virorum cum viris per se est, & fœminarum etiam inter se, nec solùm earum plerumque, quæ provocare homines possint, sed æquo jure etiam senio confectarum: nec ullum vestigium est per se loquendo, & ut in more præcisè oscula ita sunt, quod ad placendum, illiciendum, & adinescandum homines fiant. Contrarium prorsùs carnitur in hac alia consuetudine; nullam originem, nullum significatum, finem nullum bonum habet; & est propriè adinventio quædam mulierum orta ex vanitate superbiaque muliebri ad placendum omnibus per urbem ordinata.

Haud sanè ignoramus, illarum plurimas longissime abesse, ut ad aliud malum transeant, quin fortissime recusaturæ essent, si quia quidquam audiret, hoc inquam, non ignoramus. Nihilominùs hoc est genium, & ingenium mulierum, ut avido cupiant amari, & appeti; cùm enim sint natura valde superbæ, & nihil ipsis relictum sit, in quo superbire possint: non enim plausus doctrinæ, non gloria militaris; nac potentia civilis in hoc gloriam omnem ponunt, ut homines hinc saltem sibi subjiciant, illiciant, & irretiant: & quamquam ad alia transire nolint, amant tamen hanc suam victoriam, & triumphum ac superioritatem; nec alius finis est hujus nuditatis loquendo de ipsa consuetudine, ac fine ejus in genere. Cùm porro hic finis constituturus sit, vel peccatis hominum, vel saltem magno periculo, colligitur turpitudo consuetudinis. Olim quidem ego cum doctissimo viro Ruiz de Montoia, & aliis existimabam, plures mulieres, quam viros salvari ex pari numero; quia nec Magistratus, nec præfecturas gerunt, neque alia, propter quæ multi homines pereunt. At postquam istam Mulierum vanitatem, & superbiam, hominibusque placendi maximum

appetitum, & inde captam gloriam consideravi, plurimum dubitare cœpi: & ipsæ sæpe suo luxu, vestiumque prophanitate, & maritis, & Reipublicæ exitii causa maxima esse solent. Si igitur, ut dicebat Hieronymus, quisquis aliquid ita facit, ut videatur ab hominibus, scriba est, & Pharisæus, istæ quid erunt, quarum hoc fere est unum negotium, ut bene videantur, ac placeant, & quantum ipsæ possint, opere ipso moveant, illiciant, impellant, & sic triumphent.

Piget me ferè quod in re tanta pauca hæc cursim dixerim; videbatur enim vel tacendum, vel fortissime dicendum, & tot sanctorum testimonia etiam cumulanda. Quare si malunt, quæ diximus, dicta non sint: erit enim tempus sanctorum doctrinam hoc in parte tuendi.

Hoc unum ex propria doctrina, & instituto hujus quæstionis fidenter asseveramus, eas mulieres prudentes, eas peritas, & expertas, quas imitandas proposuimus, & ad quarum imitationem etiam obligavimus, longissime ab ista prophanitate abfuisse. Dent vel unam solam, quam cœlo positam esse, quæ hos mores secuta sit, aut certo nobis constat authoritate Ecclesiæ; aut saltem probabiliter argumento ducto ex iis, quæ plerumque contingunt. Ultro ergo, ac in re tanta prorsùs temere, atque absurde eam viam sequuntur, qua nullam sciamus pervenisse. Si de domibus suis si de patrimoniis, si de filiis res esset, non ita eligerent, sed tutiora sectarentur: si ut est quæstio, utrum hic mos pravus sit, & animas perimat, ita de aliquo cibi, aut vestis genere quæstio esset, num mortem allaturæ essent filiis suis, horrerent sanè, nec deliberare quidem, aut audiri vellent. Hoc aliud non est, quàm se parvi animas suas, plurimi vero filios ducere. Excogitent ergo quam realem solidamque solutionem recto judici reddituræ sint. Hieronymus hæc culpa erat; Cicerone delectabatur; scripturis sanctis non item: atque in eo recto judicio, in quo nullus est fucus, cum se Christianum esse respondisset, *mentiri*, audiit; non enim Christianus es, sed Ciceronianus, quid ergo istæ audituræ sunt? Cùm item Angli Episcopum illum armatum in prælio cœpissent, & graves essent quæstus, quod Episcopi jura violarent, prudentissime responderunt, se non Episcopum cœpisse, sed militem; quod ut probarent, vestem ejus, & arma miserunt. Metuendum est, ne justus judex, se non christianas, sed gentiles mulieres damnare respondeat, fingamus has omnes Christianas hujus curiæ reddi momento gentiles, quid, precor, aliud hoc in genere facturæ viderentur, audereve possent.

Eodem autem modo Philosophari potest de irreverentia enormi Templorum, atque similibus, videmus sane sæpe, invehi in ista vehementer sacros aliquos concionatores, neque proficere. Causa, opinor, ea est, quam libro secundo, tractavimus, quod duo hæc munera, & quasi judicia, & tribunalia Theologi scilicet, & concionatoris divisa sint, & aliud præter doctrinam nescio quale munus esse existimetur concionatorum, neque horum sit judicare, & statuere, quid sit peccatum, & quod grave, leveve, sed hæc Provincia Theologis, aliisque hominibus committatur. Eorum unus zeli verè Apostolici concionator in istam mulierum prophanam nuditatem fortissime dicebat. Quæsivi eum, quid demum de isto more censeret, num peccatum existimaret? an rursùs mortale, an solum veniale? Respondit plurimum provocari homines, sed quæsivi iterum, num hominum solùm esset culpa, num fœminarum? & si harum, quanta, an mortalis, an venialis? nam si non fœminarum, sed hominum est culpa, hi increpandi sunt, non illæ, & si rursùs harum etiam est culpa, sed solùm venialis, profecto non ita vehementer declamandum est; nam hoc est eas decipere, & de levi grave comminisci: ad quæ nihil respondit, quandiu ergo doctrinam ignorabunt, urgere utiliter non poterunt, & absurdum est, aut ea reprehendere, aut ea tamquam gravissima in sequi, quæ ipsi doctrinaliter ignorant, quæ, aut qualia, quantave sint.

QUÆSTIO XIV.

Consequens, ergo omnes tenentur ad studium perfectionis proprii status, ubi specialiter de religiosis.

Conclusio ista sequitur ex quæstione proxima, in qua omnes etiam sæculares obligavimus, ad imitationem eorum, quos modo declarato, scimus fuisse prudentes, & versatos, peritosque. Hi autem fuerunt perfecti, vel perfectionis vigilantissime vacatunt; nec imitatio constat sine studio ad instar eorum vivendi: ergo neque sine studio perfectionis ad statum uniuscujusque pertinentis; item pertinentis universim ad professionem christiana. De statu vero Episcopali distinguetur paulo post, siu vero ad hanc arctam viam adducamus facillima manet inventio veritatis, sciturque quibus ex libris sit vivendum.

§. I.

Terminis quæstionis magis declarantur.

Termini sunt *studium perfectionis*, *& status*: & 2. 2. declarantur, quid significent, & sint; nam de studiositate tractatur quæst. 66. de statu quæst. 183. & de perfectione, quæst. 184. quorum proinde plena ibi cognitio conquirenda est: & modo ea solùm dabimus, quibus sensum quæstionis intentionemque nostram omnes capiant.

Studium, undè studiosus dictus est, quæ vox frequentissima est Aristoteli, importat quandam animi intentionem, & applicationem considerabilem, constantemque ad aliquam rem: idque exemplis facile unusquisque intelligit: ita enim Mercatores boni, & agricolæ, architecti, sartores, sutores, litigantes, & cæteri studium habent, & applicationem ad res unicuique suas. Atque mundus totus plenus est his studiis aliarum rerum. Inferimus ergo, & quæremus, an teneamur admodum horum, qui magistri

esse possunt, studium habere nostræ perfectionis?

Hoc porro vel studium, vel intentio, & applicatio non consistit in indivisibili, sed admittit magis, & minùs, & inter multos, vel virtutis, vel doctrinæ studiosos alii aliis sunt studiosiores, & alii intendunt multum, alii plus: & sic in rebus etiam aliis.

Sed voles ut taxem ego quantitatem debiti studii, & applicationis, & intentionis. Multi promptè ad prudentes te remittent. Neque recusandum est, modo ad eos prudentes mittantur, quos proposuimus quæstionibus præcedentibus: nam de aliorum prudentia non constat, illi autem prudentes, opinor respondebunt, taxari quantitatem istam non posse; studendum certè [illegible] perfectioni multum, & plusquam rebus sæculi: quis tamen sit ille infimus gradus omnino necessarius, determinate se non posse; nec se quidem scivisse; ideoque & si huic negotio multum incumbere viderentur, timuisse tamen, num satis intenderent. Hoc, opinor, sancti Dei, eorumque similes respondebunt. Hi autem sunt prudentes, & periti in hac arte. Si ergo alii aliter responderent, in eo prudentes non erunt, & quis, precor, prudentes eos, habeat, qui quasi nihil sanctorum comparatione agerent, & persuasissimi tamen essent, se satis agere; cùm sancti centies ampliùs studentes certi non essent: Velimus enim, nolimus, hoc devotandum est, sanctos Dei, eorumque similes fuisse in hac arte peritos, scientes, prudentesque: ergo eis contraria credentes, periti in hac atte non sunt, neque scientes, & prudentes. Atque de hac similium rerum indeterminabilitate supra dictum est.

Quid status sit, ac importet, dicertè Sanctus Thomas ea quæst. 183. art. 1. & videri potest. Nunc satis est si pingui Minerva res intelligatur. Statum itaque dicimus sæcularem, vel Ecclesiasticum, & hunc rursùs distinguimus regularem, vel non regularem: item in Episcopalem, vel non Episcopalem: sæcularem similiter in conjugalem, vel non conjugalem: quæ, & alia statum constituunt, & distinguunt dum afferunt quamdam immobilitatem: & huc etiam quoad præsens revocamus gradus, & officia hominum, quæ eam permanentiam, immobilitatemque important.

Jam quid sit perfectio, & in quo consistat, breviter est dicendum. Ubi quorumdam inprimis imperitia est annotanda; distinguunt enim vitam Christianam, in vitam, & viam quasi justitiæ; & in vitam, & viam perfectionis; putantque esse hanc duplicem ad cœlum viam. Earum porrò differentiam in hoc collocant, quod vita & via justitiæ sit solùm observationis præceptorum; vita, & via perfectionis sit observationis consiliorum: atque in ista observatione consiliorum censent perfectionem esse constitutam.

Ista existimatio plurimorum est, & ni fallor insignia affert detrimenta, perditque plurimos, unde vero hausta ea sit, prorsùs ignoramus, est enim contra omnem Theologiam, in qua scilicet exploratum est, atque ex Dei scripturis perspicuè patet perfectionem non in observatione consiliorum, sed in charitate consistere, quæ charitas, & legis & consiliorum finis est; & consilia media sunt, non finis; causantque instrumentaliter perfectionem, & charitatem. Sicut ergo non sunt duæ ad cœlum viæ charitatis, & non charitatis, sed una sola charitatis; ita non sunt illæ duæ vitæ, & viæ quasi justitiæ, & perfectionis: & una sola, eaque arcta, & paucorum à Domino constituta est, & quemadmodum atrox factu esset, si Domino dicente, alios à dextris, alios à sinistris nos in judicio constituendos, auderet quispiam præter hos duos alium comminisci locum, qui nec à dextris esset, neque à sinistris; ita Domino duas solùm vias assignante, spatiosam aliam ad interitum, arctam aliam ad vitam, quasi tertiam aliam invehere, quæ nec spatiosa prorsùs esset, nec item, arcta, ausus foret temerarius.

Una ergo sola est via charitatis; atque in ista perfectio formaliter essentialiterque consistit, in ea vero, quod cùm Divus Thomas, ea quæst. 183. articulo quarto, Theologi faciunt, triplex status distinguendus est, seu unus, idemque status secundum tria distinguitur; nam cum in omni humano studio, ut loquitur Sanctus Thomas sit accipere principium, medium, & terminum, secundum hæc tria consideratur status justitiæ, & libertatis à peccato, & servitutis Dei, atque distinguitur, secundùm principium scilicet status incipientium; secundùm medium status proficientium; secundum terminum status perfectorum: quod facile intelligat quisque exemplo scholas, ac scientias profitentium. Ubi rursùs videas, nos distinguere, discernereque omnino non posse infimos, & supremos gradus harum differentiarum, ut patet in hoc exemplo scholas profitentium; atque in eo Augustini de puero à pueritia transeunte ad juventutem; si enim quotidie interrogaretur quis de hoc transitu, numquam dicere posset: hoc momento puer esse desivit, cæpitque esse juvenis: idemque est in similibus omnibus.

Ex his satis conspicitur; quid sit obligari unumquemque ad studium perfectionis status sui. Jam vero ubi de omnium obligatione loquimur, scitur illustrissimos Dominos Episcopos esse excipiendos; quorum quippe status non est tendentium ad perfectionem, sed jam perfectorum: ac vi excellentiæ ad statum suum requisitæ differre à reliquis christianis debent tamquam in schola Magistri à discipulis: & licet in aliis etiam statibus possit quis esse perfectus, at vi status non obligatur: & differt ab Episcopo velut Magister non Doctoratus, qui certè æquare in doctrina potest Doctoratum; at hic vi Doctoratus tenetur doctus esse: non ille.

§. II.

Doctorum sententia de obligatione religiosorum ad studium perfectionis, ubi de contemptu regulæ.

QUod de religiosis statutum fuerit, de sæcularibus etiam dictum volumus, & satis à quæst. super accipitur, ac denuu comprobabitur. Quamquam vero satis de utrisque hæc obligatio constituta, probataque videatur, necesse fuit, hanc denuo qoæstionem subjicere, ut ea in propriis terminis discuteremus, quæ tractant alii de obligatione regularium ad studium perfectionis, & observationem regularum.

Duplex est ergo quoad hoc Theologorum sententia, alias sub mortali obligans ad studium perfectionis, altera de obligans. Hanc tradunt multi; illam S. Thom. quæst. 184. art. 5. & quæst. 186. art. 2. & 9. Tabiena, Navarrus, Valentia & alii, Bellarminus lib. de gemitu columb. lib. 2. cap. 6. de laicis, & regularibus, dicebat quæst. præc. Habemus ergo ex doctrina Spiritus sancti &c. non solum Monachos, & clericos, sed etiam laicos ad hanc perfectionem obligari, ut sancti sint, & de mundo exierint, &c. Didacus Albarez de Paz vir his in rebus egregius de vita religiose instituenda libro quinto capite nono, initio quæstionis alia vitia ægritudines putat esse religionum; teporem autem, & remissionem pestem. Putat igitur, obligari unumquemque graviter ad studium, intentionem, & diligentiam in re ipso judice tam summa.

Cùm portò sint multi medi tendendi ad perfectionem, hoicque studendi; unicuique autem religioso taxatus sit per regulam, suam, ut Sanctus Thomas sumit quæst. 186. artic. 2. modus suus magis proprius, hinc quæstio exorta est, utrum in religionibus, quarum regulæ sub peccato non obligant, regulares sub mortali teneantur ad aliquam observantiam regularum? exponendum est.

Cùm supponamus, regulas ipsas sub peccato non obligare, in comperto est, neminem obligari sub peccato ad hanc, & illam regulam in particulari: & Sanctus Thomas admittit frequentem etiam violationem sine peccato saltem mortali quæstio itaque esse potest vel de nulla observatione, vel esse etiam potest de observatione tam exigua, ut non sit studium, & intendendum huic rei, sed minor; nec applicatio, & intentio animi ad eum gradum accedat, qui ad studium propriè tale postulatur: quemadmodum in schola, & doctrina, quo Sanctus Thomas, exemplo rem declaramus, potest quis aliquid aliquando in libro legere, aut de doctrina tractare, adeò tamen ratò, ita remisse, & sine applicatione, ut verè dici non possit, eum studium habere doctrinæ, aut applicationem, aut animum addiscendi.

Quibus explicatis, quorundam opinio est, religiosum non teneri sub peccato gravi, vel ullu ad ullam observantiam regularum; & modo contemptus absit, eum non peccare si nullam prorsus custodiat, aut etiam statuat, nullam servare, cujus opinionis fundamenta, illius etiam præjudicia post pauca prosequemur.

Hæc vox *contemptus* frequentissima est in hac controversia, & aliis; & aliqui voce quidem utuntur magis, quam significatum vel exponant, vel intelligant, & quidem existimare videntur, ad contemptum opus esse, quod regulæ pedibus conculcentur aut simile, Sanctus Thomas, quæst. 189. articol. 9. ad 3. contemptum sic declarat: *Tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel regulæ.* Cajetanus ibi: nota, inquit, quod peccare ex contemptu duo importat, & actum peccati, & causam peccati; actum quidem, ut frangere silentium: causam peccati, scilicet ex contemptu, scilicet actum voluntatis refutantis subjici regulæ, & addit ad peccandum ex contemptu non sufficere, etiam si esset perpetua, & nullies resoluta, & deliberata consuetudo peccandi, sed exigitur, ut peccet quis ex tali causa, quia non vult subjici legi, vel regulæ, vel Prælato. Hæc Cajetanus more suo subtilissime, quem viri gravissimi sequûntur, & ut dictum est, docent, ubi regulæ sub nullo peccato obligant, & ex contemptu nun fiat, nullum esse peccatum, nullam servare, nec velle servare regulam.

Nos litteram quidem integram admittimus; commentarium saltem magis non explicatum admittere non possumus. Hoc enim uno, quod citra peccatum liceret, nullam servare regulam, quin etiam statuere nullam servare, hoc inquam, uno, ut arbitramur, & exponemus, sine ullo ullius peccato religiones similium regularum relaxari prorsùs, ac pessum ire, evertique possunt: eversa autem religiunum virtute, reliquorum etiam statuum virtus pænè omnis evertitur. Quæstio proinde ista est, inqua nisi post immensam meditationem, & citra probatissimorum Doctorum, ac indubitate prudentiam, & scientium testimonium dicere audere deberet nemo; item ista esse deberet prima quæstio, ex quo scilicet uno reliquus vitæ modus fere omnis pendet, quam primam, & in primis scire religiosos omnes oporteret.

Fatemur itaque plenissime cum D. Thomas, tunc committere aliquem, vel transgredi ex *contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinatione legis, vel regulæ.* Planè autem litteram illam, ac rem etiam ipsam accipiendo subjici regulæ aliud, opinor, non est, quam servare illam & vivere secundum ipsam, & velle subjici regulæ, est velle servare illam, & vivere secundum ipsam, ergo nolle eam servare, nec secundum ipsam vivere, est nolle subjici, & renuere subjici idem sunt; nisi denuo addatur esse nolle subjici ex contemptu, & ita contemptum per contemptum exponamus, aut nimium certè formalizemus. Ergo quando non vult quis servare regulam, nec vivere secondum ipsam violat eam, atque transgreditur ex contemptu.

Aliud ergo est velle subjici regulæ, ac juxta eam

eam vivere; & tamen eam aliquoties violare; atque plurimis sumptis minutis regulis particularibus violare etiam jam hanc, jam illam, & aliàs etiam satis frequenter: & aliud prorsùs est, nolle universaliter, seu universim regulam, id est, integram servare nolle, nec juxta eam vivere. Hoc planè est nolle, seu renuere subjici, ut dictum est. Sapienter autem S. Thomas hoc subjectionis termino contemptum exposuit: nam hic intervenit relatio superioris ordinantis per regulam, & inferioris; seu subditi. Atque eodem modo rerum harum scientissimus Bernardus disserit tract. de præcepto & dispens. ep. 14, & 16. Nolle ergo inferiorem, seu subditum subjici regulæ est nolle subjici, sed æquare se superiori, atque ab eo se eximere. Hoc porrò est contemnere, ut patet per exempla, & rationem.

Inde Dominus non conclusioni; aut cuipiam alteri simili rei, sed obedientiæ contemptum contra posuit dicens, *qui vos audit; & qui vos spernit, me spernit*: nec tria membra distinguit, quasi alterum sit audire; alterum non audire, sed sine contemptu: & tertium denique non audire ex contemptu, & spernere: sed duo; & si ut nuper declarabam, qui in aliquo non audit, minimè spernit; nam habet voluntatem se subjiciendi, auditque superiorem communiter. Sic etiam violatione communi, & quasi universali rerum lenium significatur contemptus, ubi dicitur, *qui spernit modica decidit in magna* omnesque & in libris spiritualibus, & in exhortationibus per to *spernit* non aliud intelligunt, quam nullam, vel quasi nullam curam rerum leviorum: quod Hispani rectè, & propriè explicamus dicendo *no hacer cuenta*; cumque de personis loquamur, pressè contemptum his vocibus exprimimus. At qui proponit secundum regulam non vivere, nec vult se subjicere, *no hace cuenta*. Ergo spernit, & contemnit.

Sed quoniam vox ista *contemptus*, ab omnibus, ut animadverti, in hac quæstione teritur, & per eam unam à multis deciditur; per contemptum autem intelligitur, aliquid nimis atrox, & superbum, sunt qui citra omnem curam servandæ regulæ sese tutissimos habeant: putant enim se non violare ex contemptu; quia neque regulam pessundant, neque ore improbant, sed laudant. Cum porrò hoc genus contemptus rarissimè contingere possit, factum est, ut inpraxi vix ulla obligatio relicta sit servanda, custodiendæque regulæ: quod certè D. Thomæ, & toti quæstioni præcedenti, & aliis de novo adducendis ex integro expugnat.

Declaratum itaque est, omnem illum, qui non vult vivere secundum regulam, contemnere illam. At superest alia particula exponenda; nam ad peccatum saltem grave requiritur, quod contemptus sit causa violationis, idque S. Thomas expressit ea voce *ex contemptu*, atque Cajetanus magis declaravit. Undè volent, ad violationem ex contemptu non sufficere, quod adsit in animo ea voluntas non vivendi juxta regulam, sed requiri, ut id fiat hoc motivo, qui scilicet, non vult quis subjici, quare si non propter hoc, sed ut lætè vivat, negligit prorsùs regulam, eam quidem continuè violabit, sed non ex contemptu, quin si opus sit exosculatur etiam regulas.

Cæterum ex dictis hæc causalitas necessaria nequit esse ad contemptum, nec S. Thomæ concordat, nec Cajetanum admittimus, si hoc sensu locutus esset. Præter istam itaque aliæ duæ causalitates interveniunt, quibus violatio regulæ oriatur ab ea volontate, vel actuali, vel habituali, non se subjiciendi regulæ, seu non vivendi juxta regulam: & alia est causalitas, subjectiva; alia etiam objectiva, at non causæ per accidens: & utraque pro his, qui sine cognitione partis speculativæ criminali opinantur, & decernunt, exponenda est.

Causalitas subjectiva consistit in hoc, quod revera quis non vult se subjicere regulæ; & quia hæc voluntas, actu, vel habitu ei inest, ex ea retrahitur ab observantia; non quia expresse dicat, nolo servare, neque subjici, & ne subjiciat violo hanc regulam quod mirandum superbiæ monstrum foret, sed revera non vult subjici, & ex hac voluntate causantur causalitate subjectiva ipsa violatio, quemadmodum de actibus, imperantibus, & imperatis universalissimè traditur: atque isto communi exemplo rem quisque intelligit. Atque istam causalitatem S. Thomas ea art. 2. ad 2. egregiè his verbis declarat; *dummodo contemptus non adsit agendi meliora, per quem animus firmatur contra spiritualem profectum*; firmatur scilicet, eà universali voluntate actu, vel habitu permanente contra spiritualem profectum, qui observatione suæ regulæ, & instituti ab unoquoque religioso potissimum acquiritur.

Alia causalitas est objectiva; quæ ut intelligatur, sciendum est, duplicem esse modum contemptus; alter est omissionis, & commissionis alter, ut in ipsis, quæ ad convictum humanum spectant, palam conspicitur: aliquando enim personis, quas contemnimus, debita, vel usitata urbanitatis, existimationisque signa denegamus; non salutamus, non eos respicimus, illisque pervenientibus nihil loco movemur, suntque hujusmodi comtemptus omissivi modi plurimi. Alter contemptus positivus est, & commissionis, & verbis, & actibus positivis constat.

Prior contemptus datur in omni nolente servare regulam, & vivere secundam ipsam; ut cernitur in explicatione contemptus omissivi, & negativi. hic porrò cum omissivum quidpiam, & negativum sit, non indiget causalitate positiva, & per se, sed sufficit negativa, & per accidens. hanc autem præstat etiam objectivè tunc voluntas illa, qua quis renuit, subjici regulæ, seu non vult vincere secundum ipsam. Et quemadmodum cum quis alium parvi pendit, & contemnit, non salutatio ex grat. ex contemptu provenit, nec opus est, ut positivè & reflexè corde, vel ore dicat *non te saluto, quia contemno*, ita quando quis erga regulam se vult gerere, quasi non esset, neque ei se subjicere, & violet ex contemptu, non opus est, ut positivè & reflexe corde, vel ore dicat, *non servo, quia contemno*. Equivocationis autem nata videtur ex defectu distinctionis duplicis hujus contemptus; undè existimatum est solum contemptum, commissionis, & positivum esse contemptum.

Dices, ad contemptum etiam omissivum requiri minorem aliquam æstimationem, & appretiationem intellectualem : hanc autem deesse in nolente se subjicere regulæ, seu vivere secundum eam. Respondeo, eum intellectualiter, judicare, nihil sibi necessariam esse regulam ad salutem consequendam : hoc autem est minus eam appretiare.

Atque hoc modo explicato contemptus tota Sancti Thomæ doctrina sibi inire cohæret, & stat ea Doctoris conclusio articulo secundo, ad I. *& ideo religiosus non est transgressor professionis, si non sit perfectus, sed solùm si contemnat ad perfectionem tradere : & ad I. dicendum, quod ille qui transit ad religionem, non profitetur, se esse perfectum, sed profiteri, se adhibere studium ad perfectionem consequendam : sicut etiam qui intrat scholas, &c.* Ubi patet, ex Doctore contemnere, non adhibere studium pro eodem reputare.

§. III.

Fundamenta Negantium obligationem gravem tendendi ad perfectionem, vivendique juxta regulam.

HÆc fundamenta adeo sunt exigua, ut hoc sanè magna probario sit sententiæ affirmantis. Primum sumitur ex eo satis ad multa universali loco, quod laquei non sint ponendi, neque exeriendi conscientiæ, scrupulisque angendæ. Sed hic locus nec hic, nec alibi quidquam probat ; scitur enim, ac sæpe demonstratum est, nostrum non esse nec tollere, nec addere peccata, ac scelus esse infandum legi Dei addere, vel detrahere quidquam, quare videndum est, num sit vel non sit lex obligans ad studium perfectionis, & observantiam regulæ : & si quidem lex re ipsa datur, sententia affirmans non laqueos ponit, sed legem statuit ; & contraria dissolutionem eo casu induceret : sin vero lex non esset, laqueum poneret : at de hoc est quæstio, utrum detur ea lex, vel non detur.

Hoc ergo directè utravis sententia probare debet, & hæc alia loca communia prætermittere ; maxime cum nemo ambigat, laqueos non esse ponendos. Deinde ex quæst. præc. constat, nullos laqueos induci, sed legem Dei defendi, si regulares, & omnes ad studium perfectionis obligemus.

Secundum fundamentum maximè circa regulares est negativum ; quia non est unde contrahatur obligatio ista gravis vel tendendi ad perfectionem, vel servandi regulam, non enim ex reliquo jure naturali, & divino sæcularibus quoque communi : non item ex professione ; nam solùm est obligatio gravis eorum, quæ sub votum cadunt, ut sunt paupertas, castitas, & obedientia, & in quibusdam religionibus etiam alia : at de servandis regulis, vel de studio perfectionis nullum emittitur votum : nulla est ergo obligatio gravis, sed vero in primis ex quæstionibus præcedentibus satis constat, jure divino ea gravis obligatio rendendi ad perfectionem ; & sequendi, imitandique eos utique prudentes, & in arte indubitate peritos, qui perfectioni impensissime studuerunt. Deindè quod ad religiosos exponemus, probabimusque cum D. Thoma ex Apostolo, & aliis sub ipsam professionem ; & vota cadere perfectionem tamquam finem, involvique obligationem rendendi in finem, cujus causa vovemus : sed res digna est, quam seorsim infra explicemus, ac statuamus.

Tertium, & quasi unicum positivum fundamentum hujus opinionis est quædam quasi Metaphysica ; quam nisi fallor prorsùs ego, solvere illius Authores scivissent, si voluissent. Aiunt itaque, in tota collectione regularum (& idem est consiliorum, vel peccatorum venialium) aliam obligationem non esse, nisi eam, quæ consurgit ex singulis particularibus regulis. Probant ; quia Author regulæ non intendit unam obligationem pro tota regula collective sumpta, sed per unamquamque imponit suam obligationem particularem, ex quibus consurgit totius regulæ obligatio, quæ non est una aliqua, sed multitudo obligationum particularium, in illa autem multitudine nulla est in particulari, quæ sit sub mortali. Ex multitudine autem obligationum levium præsertim diversarum legum, & rationum, non resultat una obligatio gravis : quod evidens esse, aiunt, quando singulæ regulæ nec veniale obligant ; nam cum singulæ non habeant obligationem in conscientia, neque omnes &c. Atque ista est ratiocinatio potissima ipsorum etiam verbis proposita.

Enim vero illa multipliciter deficit. Nam nullam inprimis propositionem continet ipsa probanda conclusione certiorem, & liquidiorem. Quidquid scilicet dicitur, aut Authorem regulæ, aut Deum noluisse imponere aliquam unam obligationem præter singulas particulares, vel eam unam, præter has particulares non dari, hoc idipsum est, de quo disputatur : nec ulli venit in mentem, ex particularibus levibus, aut nullis obligationibus conflari unam aliquam gravem, sed dari istam præter illas.

Rursùs habet apertam instantiam in furtis levibus, & si placet, addatur diversarum rationum, Sciunt quippe omnes, ex his etiam repetitis non fieri unum peccatum mortale nec ex multis levibus obligationibus conflari unam gravem : & tamen omnes tenent, voluntatem ea multa modica furta committendi esse peccatum mortale, distinguique has obligationes, & modica illa furta, quæ singula levia sunt, reddi materiam gravem quando unita, & simul amantur. Suntque similes instantiæ obviæ.

Denuo discursus sectæ probaret voluntatem universalem, & confusam transgrediendi regulas omnes, nullum esse peccatum, neque imperfectionem. Nam aiunt nullam esse aliquam unam obligationem, sed solùm multas illas particulares, & in particulari. Sed has in particulari & tamquam particulares voluntas illa non violat ; nec tunc concurrit in conscientia multitudo illa tota singularum obligationum, ut patet

patet ergo nihil violat: & sic qui vult committere omnia venialia, nac venialiter peccabit, & qui non vult ullam servare regulam non obligantem sub peccato, nullam imperfectiouem committet; quod est absurdum, & nemo concedit, est ergo aliqua una obligatio respiciens multitudinem distincta à particularibus inter se distinctis obligationibus, quod etiam patet; quia omnes concedunt, velle committere venialia omnia esse saltem veniale majus, quam sit unum aliquod totius collectionis venialium: hoc autem non est, quia violat aliquam particularem obligationem collectionis; non enim magis unam, quam cæteras: non omnes in particulari, & quasi multas, ni patet: ideoque illa voluntas non est propriè multa peccata, sed unum, & si solùm veniale est, plus sunt omnia venialia collectionis, quam illud solùm. Ergo falsissima est assumptio, quod non detur aliqua una obligatio, & una conscientia respiciens collectionem, & multitudinem distincta, ab ipsis multis distinctis, & particularibus obligationibus, atque conscientiis.

Postremò per se falsum videtur, Authorem regulæ non intendere aliquid saltem speciale in tota regula, quod in singulis particularibus non intendat, & quasi scopas dissolutas eas particulares regulas cumulasse, & coacervasse. Etenim omne agens partes ordinat ad totum, quod est finis: nec partes tanti facit; & abs re est, quod sint diversæ rationis; nam potius in plerisque totis ita esse oportet, ut in re nostra, omnesque particulares, ac diversæ regulæ ordinantur ad unum finem. Author ergo regulæ aliter respexit, pluris fecit, & tamquam finem consideravit totam regulam, & singulas tamquam partes solùm, & causa totius; & per prius est in intentione hoc totum, quam singulæ regulæ. Tam longe à vero abest, quod à particularibus regulis deducenda, arguendaque sit obligatio ad totum; videnturque Authores argumenti plurimum in eo defecisse quod collectionem regularum consideraverint tamquam acervum lapidum, & acervum quidem sine ullo consilio casu congestum. Cum contra omnino Authores regularum maximè consilio, atque labore, ac providentia Deo adjutore partes omnes ad unum totum, hujusque gratia constituerint, quo totu, vel perfecti evaderemus, vel ad perfectionem proveheremur. Quamobrem hoc argumento rectè tractato contraria magis sententia stabilitur.

Quartum fundamentum est, quasi tertii nunc disiecti restaurativum. Arguunt itaque: violatio ipsa regularum, vel consiliorum omnium sine ullo universali proposito eas violandi nun esset mortale. Ergo neque violatio cum proposito. Probant consequentiam; nam in violante omnes regulas, & consilia datur voluntas saltem virtualis, & interpretativa violationis omnium; in moralibus autem, pro eodem reputantur voluntas virtualis, & interpretativa, & voluntas formalis. Ergo violatio omnium cum voluntate expressa, & formali nun est mortale. Respondemus, ipsos egregie causam nostram egisse, utque consequentiam probarent, suum antecedens destruxisse: quod proinde negandum est propter datam ab ipsis rationem. Miramur autem, quod his argumentis rem tantam, ax qua religionum disciplina omnis, & vigor pendet, statuere velint; nam vident ipsi hoc idam argumentum eisdem prorsùs verbis, ac terminis formari in eo posse, qui quotidie, vel continue modicas quantitates surriperet.

Quinto arguunt: quia nolle servare unam, val duas vel quatuor particulares regulas, aut consilia non est mortale: ergo neque erit mortale nolle servare ullam. Probant consequentiam; quia ideò in antecedenti nullum subest peccatum saltem mortale; quia abest contemptus: sed in consequenti etiam abest, ergo &c. Respondemus, in consequenti adesse contemptum, scilicet omissivum juxta dicta. Deinde & si nullus esset contemptus, consequentiam esse nullam à parte, quæ minùs multo interest, ad totum, in quo omna pœnè momentum vitæ religiosæ, & Religionum etiam ipsarum collocatum est.

Sexto arguunt, sequi ex sententia contraria peccaturos graviter Episcopos, si voluntatem habeant non vivendi perfectè, nec consilia, & quæ super erogationis sunt sectandi, & exequendi. Sequelam porrò censent incredibilem: quia eo constituto damnarentur multi Episcopi. Ad hoc argumentum libro integro responderi posset, nec hoc commiscendum hic esset. Nunc pro responsione damus solùm ea, quæ Joannes Apostolus ad Episcopos Asiæ scribit in Apocalypsi, & illud maximè, quod capite secundo, Angelo Ephesinæ Ecclesiæ, quem illum magnum Timotheum Pauli discipulum, & comitem fuisse perhibent, denunciat, & ex præcedentibus quæstionibus & ex his, quæ subjiciemus, constabit à fortiori, teneri Episcopos ad opera perfectionis suo scilicet statui propria. Num multi, an pauci sint, qui ea prosequantur, hoc nostrum non est examinate, quanto minùs judicare. Universim vero dictum est, istum quasi communem locum arguendi, quod aliqua obligatione constituta, salvarentur pauci, nihil omnino evincere: de quo iterum tractandum est, hanc de paucitate salvandorum sequelam exceptionem non esse, sed confirmationem doctrinæ.

§. IV.

Sententia Negantis prajudicia, & quomodo videatur inducere relaxationem.

HOc quod in causa sacrurum ordinum primum, opinot, & summum videtur ipsorum Præpositis, & Administratoribus, bonisque filiis omnibus considerandum, discurrendum, ac judicandum duntaxat proponimus, ut spernant, quæ dicimus, si forte dasipimus, sin minùs ipsi rem tantam statuant, fructumqua multarum opinionum probabilium perspiciant. Neque verò causam istam aliquorum, & non aliorum ordinum arbitramur; quia licet in aliquibus multæ regulæ de præcepto obligent, in

in primis non omnes; ac deinde si voluntas, & studium acquirendæ perfectionis absit, cum obligatio illa præcapti solùm respiciat actus exteriores, interior relaxatio imminebit, neque exterior observantia firma, & coram Deo, qui intuetur cor, fructuosa erit, ut exponemus; neque constans & firma.

In primis itaque fiet ex ista sententia posse quem omnem regulatum suarum curam ex consilio etiam, & quasi aliam, vel nullam religionem fuisset, professus prætermittere, & abjicere: idque citra ullum peccatum, etiam veniale, ubi regulæ nec sub veniali obligant. Sint exempli gratia, regulæ istæ de habenda aliqua oratione mentali quotidie, de lectione spirituali, de silentio, de modestia, de temperantia, de mortificatione, de abnegatione; de modo obedientiæ, atque paupertatis, similesque aliæ. Statuit vero religiosus eas omnes sic curare, quasi planè non essent: & revera sic vitam suam ducit. Sententia ista dicit, eum nec unum quidem veniale in hoc committere. Censores sanè ego, ac judices alios velim, & nosse, quid sibi de simili religioso videatur? num eum omnino innocentem habeant? Non credo: quin malum religiosum, reprehensibilemque illum opinor, decernent: ex reprehensibili vero rectè malum probatur, ac ex valde reprehensibili grave malum; & laude & reprehensione tanquam media rectè Aristoteles utitur in Ethicis frequenter ad probandum bonum, & malum. Cum porrò ita negligenter vivere sit valdè consentaneum appetitui nostro corrupto, sententia ista, quæ omne peccatum negat, & cœlum ita viventibus pollicetur, haud exiguam occasionem præbere cunctis videtur, ut ad similem vitam laxam inertem, pigramque deflectant, ac oscitentur.

Fiet rursùs, quod tamen omnes diffitentur, eodem jure nihil peccaturos Prælatos, qui observantiam regularum neglexerint. Etenim argumenta illa, quibus istam sententiam fundant, ad verbum etiam de Prælaris probant, sive ab hac, & illa vice, & ab hac, & illa particulari regula argumentum ad totum ducatur; sive ei principio, quod assumebant, insistatur, quod nulla sit aliqua una, quasi universalis obligatio ad totam regulam, & universalem observantiam regulatem, præter particulares obligationes singularum regularum; nec Fundator regulæ aliud intenderit &c. At evidens est, Prælatum aliquando, aut aliqua una, aut rara vice negligentem observantiam alicujus regulæ non obligantis sub culpa non peccare; certè non peccare graviter: sin minùs convertemus in adversarios ipsorum querelas, quod damnent Prælatos & laqueos ponant, &c. Videtur ergo quod sententia ista primum, quidem subditos, ac deinde per consequentiam etiam Prælatos reddat, efficiatque regularis observantia omnino negligentes.

Sunt præterea causæ multæ, propter quas ista in curia regularum à subditis ad superiores sensim pertranseat. Prima illa, & maxima, quod omnis obligatio vel subditi, vel superioris sumenda demum sit ex momento, & gravitate, vel levitate ipsiusmet regularis observantiæ in se, vel respective ad bonum ipsorum subditorum. Si ergo ea observantia, vel in se, vel quoad subditos res, & materia prorsus levis est, & citrà omne peccatum, gravis esse nequibit quoad superiores, & quod parvi est momenti, vel in se, vel quoad subditos, magni momenti fieri quoad superiores, cùm maxime superior sit propter subditos, & non contra. Si autem bonum, vel malum ipsius religionis obrendas, etiam subditi obligantur sicut superior, licet minùs; tamen graviter, si malum est grave; & si non est grave, neque superior tenetur sub gravi ad illud arcendum. Hinc causa alia nascitur, quod plerumque subditi, & superiores æquale, consimileque judicium faciant de momento, vel non momento hujus observantiæ, & persuasio ipsa subditorum, qui aliquando doctiores sunt, atque sensa eorum ad superiores sensim transeunt. Alia quod ex subditis superiores fiant; qui ergo diu, cùm subditi essent parvi facere observantiam consueverunt, nihilque salutem, ac vitam æternam indè impediri arbitrabantur, planè cum superiores fiunt, hos secum conceptus, ac dictamina ferent. Unde uno verbo generalis illa distinctio fiet etiam pro superiore, utrum observantiam negligant ex contemptu, vel non? quod si contemptus absit, sicut de subditis pronuntiabitur: & undecumque adversarii contra superiores argumenta sument, subditos etiam involvant, necesse est. Nos quidem utrosque graviter, sed magis superiores obligamus, tum quia bonum ipsius religionis magis ad ipsos spectat; tum quoniam singuli suas, superior omnium obligationes curare tenetur.

Denuò fiet considerandum, deliberandumque venturum, utrum semel supposito, quod subditi nihil prorsùs, nec venialiter quidem peccent in totali illa quasi manumissione regulæ, ut sententia ista ponit, utrum, inquam, consultius futurum esset, quod superiores nihil eos molestarent, nec disciplinam regularem à nolentibus erigerent. Etenim ex hac coacta disciplina non pauca, nec exigua mala nascuntur offensionum, querelarum, aliqualium divisionum, & pax fraterna perturbari potest. Si ergo in nulla observantia regulæ ex hoc solo nec unum quidem veniale interest, nec vel uno momento quis propterea in Purgatorio detinendus est, quid communitates propter disciplinam regulatem servandam vexandæ turbandæque sint? Adeò omnia videntur periclitari, dubiaque reddi; si semel statuamus, eam regulæ negligentiam cùm tanta innocentia cohærere, culpæque omnis esse expertem.

Inculcare solent, esse eam vitam valde periculosam: & nunquam de hoc periculo determinare volunt, quantum sit. Nam si leve sit, si remotum, si ratò afferens mala alia, nec sub levi tenemur talia pericula vitare; alioqui exeundum à mundo re etiam ipsa esset. Sin vero periculum magnum sit si proximum, si frequenter vel sæpè in mala alia trahit, profectò tenemur sub gravi non ita vivere saltem ratione periculi, & si observantia ipsa ratione sui non obligaret. De quo qu. seq

Postremò

Postremò sententiæ illius præjudicium hoc est, quod velit, religiosum fieri posse relaxatum sine ulla sua culpa; nam religiosus non servans ullam regulam, vel etiam quasi non servans relaxatus est: quod patet ex toto ad partem arguendo. Religio illa, in qua regula non servaretur, vel etiam quasi non servaretur, non esset religio observans, sed relaxata, ut patet. At per idem, per quod religio ipsa in se, etiam unusquisque religiosus constituitur non observans, sed relaxatus. Relaxatio autem religionis, & religiosi est religionis, & religiosi magna corruptio: religio autem, & esse religiosum magnum bonum est, quis ambigat? Ergo corruptio hujus boni magnum malum est: ergo vitanda sub gravi. Cujus argumenti vis cernitur inductione relaxationis aliorum statuum, maxime cùm horum rectitudo maxime pendeat à rectitudine, & vigore religionum & religiosorum.

Cùm iterum sententia ista non magis uni, quam unicuique, & omnibus tradat eam vitam licere, culpæque omnis esse innoxiam, magnum profectò subest periculum, ne plerique desidem adeò viam capessant, quo solo religio relaxetur, in qua scilicet plerique observantes non sunt. Singuli deinde, quantum ex parte sua est cooperantur tanto religionis totius detrimento, & malo; atque eo quidem fortius, quod cùm malum vix sit cognitum, & singulæ quæque transgressiones in se vel leves, vel nullæ culpæ sint; nemo cavet, ac sensim morbus serpit ab uno in alium: qua de causa merito Alvarez cætera religionum mala ægritudines esse, hanc vero pestem pronunciavit; & frater videns in fratre peccatum, aliud grave horret, & cavet: non ita in hac transgressione, cujus quippe nunquam pravitas simul est in actu exteriori, nec simul totum visitur, neque terret: quam in rem Bellarminus libro secundo capite sexto, appositissimum exemplum perhibet ex Sanctos Pachomio. Denuò, qui eo modo regulam abjicit, simul etiam abjicit quidquid ferme sanctum superiores movent hortando, scribendo, ordinando, ut ad adquirendam perfectionem inducant: hæc enim cuncta ejusdem rationis, & obligationis cum regula esse solent: qui ergo semel statuit regulas nihil sibi esse necessarias, per consequentiam de cæteris illis idem plus minùs decernit: & melius esset, si superiores his dimissis curis dormirent.

Quod porrò adversarii inculcant, nihil nos in religione profiteri præter paupertatem, castitatem, & obedientiam, omnino falsum est, ut quæstionibus sequentibus, commonstrabo etiam à priori, & ex dictis satis constat. Et nunc ex eo quoque conspicitur, quod imprudens is esset, ac valde absurdus, qui religionem fundare vellet, in qua ea tria voverentur, & nihil præterea statueretur; Hæc enim generica quasi ratio religionum omnium est, & specifica alia differentia opus est, ut exponam.

Unde sapienter Sanctus Thomas, quæstione centesima octogesimaquarta, articulo quarto, sibi objicit quod status exterior debet interiori correspondere: alioquin incurritur in mendacium, & simulationem; & post doctrinam suam declaratam respondet: *unde non committit aliquis* (scilicet rationis) *mendacium ex hoc, quod non sit perfectus, qui statum perfectionis assumit, sed ex eo quod ab intentione perfectionis animum revocat:* & quæstio centesimo octogesimo sexto, articulo *ad 1. dicendum quod ille, qui transit ad religionem, non profitetur, se esse perfectum, sed profitetur se adhibere studium ad perfectionem consequendam.* Quamobrem habitus religiosus, & exterior professio omnis sine hoc studio simulatione, fictione, mendacioque plena foret. Neque in Sancto Doctore extat unquam de hoc studio, & intentione distinctio illa, utrum absit ex contemptu, vel non contemptu: hoc enim locum habet solùm in eo, qui salva ea intentione, & animo perfectionis regulas aliquas violatet.

Sed hic nos inconsequentiæ forsitam arguant; nam quæstionibus præcedentibus omnes ad studium perfectionis proprii status obligavimus; nunc vero cùm Sanctus Thoma hoc proprium religiosorum esse docere videmur. Respondemus tamen, nullam esse in consequentiam. Nam primum quidem Christiani omnes ex sua fide, & professione ad studium perfectionis cum suo statu compossibilis tenentur ex quæstionibus præcedantibus. Deinde Christianissimus in varios status, & officia distribuitur differentia vel formali, vel materiali: & horum quidem statuum, & officiorum alia non sunt ordinata, neque conferunt ad perfectionem; quin impediunt magia ut matrimonium, mercatura, & similia: alii status sunt per se ordinati ad illam, & juvant, ut status religiosus, cœlibatus, &c. Quare differentiæ in statibus primi generis sunt deficientes. Omnes tamen sunt compossibiles cum perfectione, & magna sanctitate omnesque proinde tenentur ad eam procurandam: magis tamen reprehensibiles sunt, & absurdi, qui status profitentur per se peculiariter ad perfectionem ordinatos, ad eamque valde juvantes, si et comparandæ non vacent; & religiosi præterea incurrunt vitium simulationis, & mendacii, & eo magis, quo austeriorem habitum gestant, ac magis sanctam vitam exterius profitentur. Perfectio itaque in aliis statibus est quasi in illis: in aliis vero in ipsis, & etiam ex ipsis.

§. V.

Affirmans ergo sententia statuitur praterea ex Evangelio, ex parabolis de servo pigro, arbore sterili, &c.

IN Evangelio vix quidquam peculiare habemus de religiosis, sed pro Christianis omnibus illud traditum, conscriptumqua est. Quare quæ modo afferemus, omnes quidem, sed quasi à fortiori religiosos involvent.

Quod ergo universim non satis sit mandata, &

& obligationes reliquas negativas implere, quo à malo declinemus, sed necesse præterea sit ad justitiam, & salutem bona etiam, & bene utique, ac virtuose prosequi, & in bonum tendere, & non vacare, sed progredi, & proficere, compertum quidem ex scripturis est, sed clarissime in Evangelio declaratur in parabolis de servo pigro Matthæi vigesimoquinto, & Lucæ decimonono, & de arbore non ferente fructum Matthæi tertio & septimo, & Lucæ tertio & sexto, & de seminibus Matthæi decimotertio, quibus sanè doctrinis ab eorum Authore judicabimur.

Parabolæ scitæ sunt, ac significata, & intenta per eas doctrina satis nota. Nihil porrò ad præsens interest, quid peculiariter talento, quid semine intelligere; sive donum doctrinæ, sive gratia virium, sive aliud, sive simul omnia tam respectu nostri quam proximi: nam omnium plus minùs una est ratio: & quemadmodum de omni verbo ocioso, ita à fortiori de omni, & quocumque dono ocioso reddituri sumus rationem, ut suppono: & cum augentur dona, *rationes etiam crescunt donorum*, ut Gregorius dicit in Breviario &c.

Patet vero defectum per istas parabolas significatum, & declaratum non esse aut imperfectionem moralem, aut peccatum veniale duntaxat, sed peccatum grave; nam servus inutilis ejicitur in tenebras exteriores: arbor non faciens fructus bonos mala pronunciatur, & abscidi jubetur: terra item non reddens fructum mala est, & solum bona ea dicta est, quæ fert fructum in patientia.

Jam vero parabolæ aliud malum non significant præter sterilitatem ipsam, inutilitatem, otium, & pigritiam, & hujus examinis servus piger arguitur; etsi etiam erga Dominum injuriosus extiterit: propter sterilitatem arbor quoque reprobatur. Sed taceamus nos modo & loquantur sancti Patres.

Gregorius in primis iterum in Breviario: *bene operantes pro approbato lucro remunerat: servum vero à bono opere torpentem damnat.* Num non plusqoam torpent, qui totam suam regulam prætereunt? exponant, precor, torporem, & pigritiam. Vota vero violare, torpor, opinor, non est. Rursùs idem in cat. Sanctus Thomæ: *Talentum quippe in terra abscondere, est, acceptum ingenium in terrenis actibus implicare*, & tamen pauci, recogitant; & si non rebus sæculi, sed prophanis etiam & poëmatibus illud totum impendant: qua de re legendus esset Augustinus capite quadragesimo primo, ad licentium. Nobis autem firmum est cum hujusmodi doctoribus sapere.

Denuo Augustinus serm. 52. de sanctis ad alios coepiscopos habito: auditis in Evangelio *& bonorum servorum meritum, & pœnam malorum, & malitia tota illius servi reprobati, graviterque damnati ista, fuit, quia noluit erogare, servavit ad integrum, quod accepit: sed Dominum ejus lucra quærebat*, &c. habet religiosos virtutem velut unum, vel ut duo, dum profitetur, servat totam integram, nec tamen auxit, nec profecit, quid erit? iste servus piger respondeat.

Chrysostomus hom. 25. in Matth. *vides, quomodo non solum rapaces, & qui aliena invadunt, nec soli malefactores; verum etiam, & qui bona facere negligit, extremo cruciatur supplicio. Audiamus ergo hæc verba, & donec tempus habemus nostram amplectamur salutem: amplificemus talentum; si enim in pigritia, & otio vivimus, nullus nostri etiam flentium ibi miserebitur, & mox: & qui talentum accepisset, & si depositum reddidit, condemnatus est tamen.*

Hieronymus in cap. 25. Matth. *quod putaverat, se pro excusatione dixisse, in culpam propriam vertitur; servus autem malus appellatur: quia calumniam Domino fecit; piger, quia noluit duplicare, ut in altero superbia, in altero negligentia condemnetur.* Dic tu modo unde plane nescio, negligentia & pigritia nunquam est mortalis: ac iterum ex non contemptu servum istum defende.

Theodoretus apud D. Thomam: *hæc autem non solum ad sermonem, & doctrinam referenda sunt, sed etiam ad morales virtutes; quoniam & in his dat nobis Deus sua charismata, hunc donans jejunio hunc oratione, &c. quibus si in vigilaverimus, multiplicabimus; si vero tepeamus, extinguemus.* Bernardus inter alia tractat. de præcepr. & dispensat. *Heu nobis, quanam poterit reddi ratio de otio.*

Iterum Hieronymos ep. t. de Virgin. ad Demetr. post alia. *Neque enim tibi sufficit amabilis otiosam esse; si otiosa fueris à bonis cùm lex duplici mandatorum genere distincta sit, & mala prohibens ingeret bona, atque ab utraque parte contemptum sui vetet. Non enim ille servus contempsit Dominum, qui prohibita fecerit, sed & qui jussa non fecerit. Dicta a nobis paulo ante sententia est: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, & blandimur nobis si malis fructibus non gravemur, qui damnandi sumus, si à bonis steriles manserimus, juxta hanc intelligentiam abscindet Pater omnem palmitem non ferentem fructum in filio; & qui acceptum talentum in sudario abscondit, quasi inutilis servus, & nequam damnatur à Domino. Nec minuisse solum, sed & non auxisse culpabile est. Atque hic etiam in Hieronymo vides datam explicationem contemptus. Multa eodem ore Ambrosius in proœm. de fide ad Gratianum Augustum.*

Hieronymus, inquis, de præceptis tractat, non de consiliis, neque regulis: ergo abs re inducitur. Sane fatemur, Hieronymo de præceptis esse sermonem, quibus non modo mala vitemus, sed bona præterea complectamur: quo cum non cohæret ea, & consiliorum, & regularum negligentia, ut si verbi gratia, præcepta charitatis juxta dicta superius prosequamur. Deinde tam Hieronymus, quam cæteri sterilitatem ipsam, pigritiam, ac oscitantiam gravem culpam, ac proinde contra præceptum esse ex Evangelio constituunt, quare licet consilia solùm consilia sint, & regulæ solùm regulæ, & in singulis nulla sit culpa, omnium tamen ea omissio gravis erit, & religiosus prætermittens magnum adeo talentum regularum, & auxiliorum, ac instrumentorum, quibus lucretur, & proficiat ipsissimus ille servus piger, inutilisque videtur.

S. Thomas

S. Thomas rationem à priori præstat in ipsa Theologiæ 22. quæstione 133. articulo 3. *Omne illud*, ait, *quod contrariatur naturali inclinationi est peccatum, quia contrariatur legi naturæ, inest autem unicuique rei naturalis inclinatio ad exequendam actionem commensuratam suæ potentiæ, ut patet in omnibus, &c. Sicut autem quis per præsumptionem excedit proportionem suæ potentiæ, dum nititur ad majora, quam possit; ita etiam pusillanimitas deficit à proportione suæ potentiæ, &c. Et inde est, quod servus, qui acceptam pecuniam Domini sui fodit in terram, nec est operatus ex ea, &c. punitur à Domino, ut habetur Matth.25.*

Mirum vero est, quantum præjudicium etiam, proximis fiat ex ista religiosorum desidia: quo mentem suam injiciens Indiarum Apostolus Xavier novat Epist. lib.5.cap.9. *Tu itaque fac*, inquit, *divinum Numen ores continue, atque instanter, ut tibi sensu mentis intimo nosse tribuat, quæ quamque gravia obstacula opponas profectibus Evangelij, impediens vitio tuo, ne Dominus, quantum vellet, suam notitiam indulgeat isti, quem male curas, populo; cui scilicet ad persuadendum, qua opus est, authoritate idonea destitueris; quod istud cœli munus fervore, ac fidelitate debita non promerveris.* Ecce quanta, quamque gravia detrimenta vel ex unius servi injuria deducit Xavier: vix autem intelligi potest, quanta ex multorum inutilitate in Rempublicam universam promanent; & si unaquæque ætas unum, vel duos daret Xaverios, & Ferrerios, vix infideles, peccatores vix uspiam ulli superessent. Unde videas, quanto sanè jure Dominus servum pigrum, ac inutilem damnet, ex cujus desidia & ipsi, & aliis tanta mala consequuntur.

In ipso porrò Evangelio palam cernitur, quem in finem Dominus talenta sua largiatur: *Vocatis autem decem servis* (inquit apud Lucam) *dedit eis decem mnas: & ait ad illos; negotiamini, dum venio.* Hic est sanè finis. At negotiatio, & negotiari importat studium, & applicationem, intentionemque promovendi facultates, & lucrandi, & proficiendi. Ergo qui hoc studio, applicatione, intentioneque caret, non negotiatur, sed servo inutili conferendus est, & damnatur. Et hæc me inter alia in conscientia premunt ne ab hoc labore, opereque desistam.

Ratio etiam illa adducta à D. Thom. rei hujus gravitatem demonstrat. si enim sunt virtutes, ac cætera dona in mundo quasi morali, sicut sunt, & quod sunt virtutes naturales in mundo naturali. Daremus autem, virtutes naturales nihil quidem nocere; at reddi otiosas, & inertes, nihil calefacere ignem in Hispania; nihil in Petro operari, sed vacare facultates illius naturales. Profecto mundus naturalis pessum iret, Petrus interiret ex hoc solo otio. Ergo simile otium est, & torpor simile damnum infert mundo morali, ejusque partibus.

§. VI.

Major explicatio, & confirmatio.

CUm non entia potentias nostras non moveant, peccatorum omissionis, ad quæ ista, de qua tractamus, negligentia pertinet, exigua est apprehensio, minor cura, solicitudoque. Inde factum est, quod cum lex Dei & mala vetet, & bona præscribat, satis tamen unicuique videatur à malis abstinere, non jurare, non furari, non mæchari, & si bonorum curam prætereat; & legem totam ad negativam, quæ scilicet commissione violatur, reduxisse videamur; nam commissiones in actu, non in omissione consistunt; quæ sensibus, potentiisque percipiantur.

Quo ergo omissiones magis latent, eo majorem intentionem postulant, majorique opus est observatione. Patet vero primum ingenere, virtutes omnes, & bonum excessu, atque defectu corrumpi, & nimio calore, & nullo interire animal; & sic in aliis, estque illa duo, vel tria quasi naturæ totius rectæ administrationis principia, quod nihil fit in ea superfluum, nihil deficiat: nihil item otiosum, & vanum. Eodem hoc jure de moribus quoque, ut dicebam Philosophandum est; & de omni verbo otioso, quod est quasi superfluum rationem reddituri sumus; atque eodem etiam modo de omni silentio verbis necessariis, & peccatur non loquendo, quæ, & quando oportet, sicut loquendo quæ, & quando non oportet, scilicet per aliquid nimis, & per quid minus: raro tamen homines de silentio, & de omissione, negligentiaque sese accusant; quia ut dixi, cum non entia nihil sint in natura, nihil etiam esse in moribus existimantur.

Conspicitur autem Ex his, quantum crimen sit esse servum in utilem, & pigrum, & otiosum; quia licet non agat, quæ non oportet, omittit tamen quæ agere oporteret, & utroque vita moralis, ac justitiæ evertitur, ut satis exemplo naturæ cernitur; satis item exemplo verborum; sæpè enim plus noces tacendo, quam alias nocueris, quæ non oportebat loquendo.

Servi vero in utilis, & otiosi absurditas, & crimen multipliciter præterea innotescit: Primum ex ipso servitutis titulo; nam servus pravus est, qui Dominum quidem nihil positive, & quasi commissione offendit, vacat tamen, nec præterea ei quidquam inservit, sed pigritans oscitatur. At omnes sumus proprie servi Dei. Ergo pravi sumus, & nihil eum quasi commissione offendamus, si tamen vacamus, & oscitamur.

Rursus cum hoc ita sit jure ipso servitutis, accedit jus servitutis emptionis; empti enim sumus pretio magno. Tenemur ergo hoc solo jure glorificare, & portare Deum in corpore nostro: quod denuo jus servitutis infinito pretii pro nobis impensi valore excrescit. Ergo non satis agimus, si non offendamus, nisi etiam præterea obsequentissime famulemur, & inserviamus; absurdissimusque est servus tantis obstrictus titulis, si non negotietur, sed torpeat, ut humanis cunctis exemplis a fortiori monstratur.

Sumus item viatores; ergo & si non regrediamur, hoc ipsum crimen est, quod non ultra pergamus; in agone etiam contendimus; ad æternæ hæreditatis & coronæ bravium contendendum est: ergo non luctari, nolle currere scelus est. Item militia est vita nostra super terram; ergo nolle strenue pugnare, & diligenter præliari peccatum est, quamquam nihil contra positive perpetremus. Quæ exemplis humanis viatorum, cursorum, militum, in agone contendentium à fortiori firmantur.

Præterea est nobis colluctatio adversus tres nostros hostes fortissimos, qui non vacant, sed continue in nos agunt; est scilicet nobis colluctatio

quasi prima adversus carnem, & sanguinem: & hac etiam devicta, superest alia adversus spirituales nequitias mundi Rectores tenebrarum harum, & adversarius noster Diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Ergo consequenter illa non est solius consilii, sed magnæ obligationis, quod sobrii esse, & vigilare debeamus; in omni pugna tam virtutis quam naturali hoc sane cernitur, ut agens iners, & remissum à contrario forti, valdeque activo vincatur. At nostra contraria sunt fortia, & valde activa, ut autoritate, & experientia constat. Ergo velle remisse, oscitanterque vivere quoddam virtuale velle vinci est.

Horum aliqua, & simul alia urget Hieronymus epist. 8. de scient. divinæ legis; hæc quippe Theologia moralis horum Doctorum erat. *Et re-v.ra*, inquit, *Si amator sum pecuniæ, si gloriæ, si superbiæ, si ambitionis aut pompæ, dum illis omne studium meum impendo, Domino servire non possum; quia duobus Dominis neminem servire, scriptum est.*

Item arguit: *non estis vestri, scribit Apostolus; empti enim estis pretio magno, &c. Clementer spiritus sanctus nostro Jure nos convenit, sciens, hoc in usu publico apud omnes homines custodiri, ut tanto servus in opere Domini esset cautior, quanto majore peculio esset comparatus, ut intelligamus, quam strenui debeant esse in opere Domini, qui redempti sunt sanguine Christi: vel quam criminosi debeant judicari, qui cum stant pro pretio suo sanguinem Christi datum, alteri, qui nihil præstitit, magis præbeant servitutem.*

Iterum: rogo, inquit, *quo pudore obsequii, aut laboris sui mercedem sperabit in cælo, cujus fuerit solicitudo omnis in terris? Mercenarius sæculi non potest accipere, præmium Christi, &c. Rursus: nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut placeat, cui se probavit, Apostoli vox est. Unde satis timeo, ne forte in illa retributionis die, &c. Talis causa est Virginum in Evangelio quinque stultarum, quæ dum in solicitudine sæcularium vanitatum se contra professionis suæ ordinem occuparunt, oleum, unde verum lumen accenderent; non habentes in tenebris remanserunt.*

Putant quidem sæculares, hæc ad religiosos solùm pertinere; sed satis hoc rejectum est quæstione præcedenti, & recte Chrysostomus quodam in loco ait, hæc cuncta scripta fuisse, quando nullum vestigium erat Monachorum, ipsi itaque & servi Dei, & servi qoidem empti sunt, &c. Ergo horum jure tenentur, vel dicant clare, & coram; cujus ipsi sint servi, cui inserviant, cui placere studeant; cui militent? Si mundo dicant, sua se voce plane damnant; si verò Deo respondeant, in comperto est, bonum quemque servum non solo fungi suo munere, quod positive Dominum non lædat, sed ut dictum est, requiri præterea servitutem ipsam, famulatum, applicationem, studiumque.

QUÆSTIO XV.

Quomodo intentio perfectionis, & vacandi Deo, rebusque divinis sit de propria ratione professionis religiosi.

TAnti est religiosum statum prorsus valere, & vigere, ut eo salvo, & vigente, vir, ut dixi, mundum reliquum male habere posse videatur: idcirco huic regularium obligationi studendi perfectioni magis persuadendæ multiplici quæstione vacamus; & quod institutum proprium hujus libri est, ad veritatem quoque inveniendam, viamque veritatis sectandam hoc compendium arbitramur perfectioni, Deoque vacare: quo uno vix opinionibus indigeamus.

§. I.

Ostenditur doctrina ex D. Thoma in materia Castitatis

HOc in adversa sententia, hoc in multorum persuasione primum, & maximum est, quod non videant, unde, vel quando se subgravi obligaverint ad hoc perfectionis studium, Deoque vacandi intentionem: in qua intentione, & studio peculiariter intentio regularis observantiæ claudatur.

Ajunt enim, se solis votis obligationem sibi gravem addere potuisse; se autem solùm vovisse paupertatem, castitatem, & obedientiam; nihil præterea de studio, & intentione perfectionis voluisse; nihil de regulis addidisse. Ergo solùm contrahuntur tres hæ obligationes graves, scilicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ servandæ. Ergo nulla alia saltem specialis obligatio gravis inest religioso; quidquid sit de illa alia omnibus Christianis communi, vel de obligatione aliorum votorum.

Dicendum est tamen, paupertatem, castitatem, & obedientiam non offerri tamquam fines, sed tamquam media, ac de propria ratione professionis esse intentionem saltem virtualem finis, qui est vacare Deo, rebusque divinis. Frustrat proinde naturam, finemque professionis, qui in paupertate, castitate, obedientiaque sistens ad finem non contendit, sed negligit. Intentionem eam autem eam habent & Deus, & Ecclesia, & fundator, & ipse etiam, qui vovet.

Rem istam perspicuam in castitate exgr. reddat S. Thomas ex Paulo Apostolo, quærit 22.q.186. art.4. Utrum perpetua continentia requiratur ad perfectionem religioois? Arguit multipliciter, quod non. In contrarium arguit ex 1. ad Corinth. 7. qui est hac in re textus capitalis: *quia mulier innupta, & virgo cogitat, quæ domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu.* Resolvit, *quod ad statum religionis requiritur abstractio eorum, per quæ impeditur, ne feratur totaliter in Dei servitium. Usus autem carnalis copulæ, retrahit animum, ne totaliter feratur in Dei servitium.* Primo propter vehementiam passionis, &c. Secundo propter solicitudinem familiæ, uxoris filiorum, &c. Et ideo *qui cum uxore est solicitus est, &c. & divisus est.* Patet ergo, quod continentia non vovetur, ut servetur continentia, sistaturque in ipsa, sed assumitur ut medium, ut sic expediti totaliter in Dei servitium feramur. Quod multipliciter est urgendum, ut advertant, in quem finem sit emissio votorum, ac ipsa etiam institutio Religionum.

Quærit præterea S. Doctor quæst. 152. artic. 2. utrum Virginitas sit illicita? Respondet non esse: qnia id est vitiosum in humanis actibus, quod est præter rectam rationem. Habet autem recta ratio, quod quis utatur iis, quæ sunt ad finem secundùm eam mensuram, quæ congruit fini. Est verò triplex hominis

hominis bonum, unum consistens in rebus exterioribus, ut divitiis: aliud in bonis corporis, ut salus; tertium in bonis animæ, ut scientia, & virtus: in his autem potiora sunt, quæ pertinent ad vitam contemplativam ex 10. Ethicor. & Luc. 10. *Maria optimam partem elegit* &c. Pertinet ergo ad rectam rationem, ut primi generis bona in secunda ordinentur, & utraque ad bonum animæ, &c.

Et similiter (subdit) *si quis abstinet à delectationibus corporalibus, ut liberius vacet contemplationi veritatis, pertinet hoc ad rectitudinem rationis. Ad hoc autem pia Virginitas ab omni venereâ delectatione abstinet, ut liberius divinæ contemplationi vacet. Dicit enim Apostolus* 1. ad Corinth. 7. *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat, quæ mundi sunt, & quomodo placeat viro. Unde relinquitur, quod virginitas non est aliquid vitiosum, sed potius laudabile.* Ecce demum, unde virginitas, & castitas vitiosæ esse desinant, virtuosæque reddantur: sed voventur tamquam laudabiles, ac virtuosæ; alioqui vota essent nulla, & irrita: voventur ergo in eum finem.

Inde, *ad 2. dicendum*, inquit, *quod ille qui abstinet ab omnibus delectationibus præter rationem rectam, quasi delectationes secundum se abhorrens, est insensibilis, sicut agrestis. Virgo autem non abstinet ab omni &c. sed propter dictum finem.*

Quærit art. 3. Utrum Virginitas sit virtus? Respondeo dicendum, (inquit) *quod in Virginitate est sicut formale, & completivum propositum perpetuo abstinendi à delectatione venerea. Quod quidem propositum laudabile redditur ex fine, in quantum scilicet hoc fit ad vacandum rebus divinis.*

Et art. 4. quærit utrum Virginitas sit excellentior matrimonio? & probat excellentiorem esse exemplo Christi, & ex verbis Apostoli: Rationem verò omnium semper haurit ex eodem: Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ secundùm vitam contemplativam, quod est cogitare ea, quæ Dei sunt: conjugium autem ad bonum corporis.

Unde consequentissime S. Doctor 1. part. quæst. 98. art. 2. ad 3. tradit continentiam in statu innocentiæ non fuisse futuram laudabilem; quia defuisset libido inordinata; nihilque proinde matrimonium impedivisset, ut quæ Dei sunt cogitaremus; ac cætera illa defuissent, propter quæ modo continentia, & virginitas laudabiles sunt.

Ecce habes ex perspicuis, solidisque Theologiæ principiis quæ sit natura, & conditio Virginitatis, continentiæque christianæ; cur, & unde vitiosæ, agrestesque esse desinant; cur & unde laudabiles, virtutesque fiant; cur, & unde matrimonio præstent; sintque necessariæ ad perfectionem status religiosi. Ergo ipsa Dei, & Ecclesiæ institutione; necnon fundatoris, voventisque illius intentione vovetur castitas ut medium ordinatum ad dictum finem. Quæ consequentia est clara; nam vovetur non solum, ut laudabilis, sed ut præstans suo contrario: at ejus laudabilitas, & præstantia quæ sumitur ex eo ordine; certe cadit, eo ablato ordine. Ergo vovetur sub eo ordine. Ergo intentio Deo, rebusque divinis studendi, & vacandi; atque cogitandi, tractandique quæ Dei sunt, est de propria ratione professionis religiosæ.

§. II.

Declaratur res ulterius, & confirmatur.

Falluntur itaque, qui in his mediis sistendum, permanendumq; existimant, & ad hoc se paupertatem, castitatem, obedientiamque putant vovisse, ut nihil haberent, ut à delectationibus abstinerent, & alterius jussa facerent, quibus peractis (utinam verò sine studio proficiendi peragantur) munere se suo toto functos arbitrentur. Hoc vix aliud sane foret, quam si venam sæpe scinderes, si potiones amaras multas sumeres sine causa sanitatis conservandæ, aut comparandæ, sed ut sumeres. Quemadmodum enim ista non sui, sed ulterius gratia bona sunt; ita quoque paupertas, castitas, & obedientia; nec in ipsis pure sistendo ullam virtutis rationem habent, nisi ad ulteriorem finem actu, vel habitu referantur.

Est hæc relatio, & ordo illis tribus communis: sicut medicamentis relatio, & ordo ad sanitatem: dissident mox inter se speciali uniuscujusque utilitate ad finem, arduitateque sua propria: sicut specie differunt medicamenta: & omnibus illis tribus soluti, expeditique reddimur ad serviendum, vacandumque Deo, & ut vocibus utamur Apostoli, ad cogitandum, quæ Domini sunt: ne item simus divisi; ne item alteri placere teneamur. Sic ergo, ac sub his rationibus sub vota cadunt.

Non itaque nostra relinquimus, ut relinquamus; hoc enim & Crates fecit Philosophus, ac multi alii divitias contempserunt, sed ut Christum sequamur: non rursus à delectatione abstinere decrevimus, ut abstineremus, sed ut sanctissimus corpore, & spiritu; neque denique homini obedimus, ut obediamus; omnes enim fere in mundo etiam obediunt, sed homini loco Christi in schola quadam ad sanctitatem specialiter instituta obedientiam præstamus, ut sub illo proficiamus, salvemurque securius. Hoc ordine, in hunc finem religiones erectæ sunt, ac instituta professio, & peculiariter illa tria ordinata, quæ voverentur. Frustrat ergo totum & Religionis, & professionis, & votorum finem, & ordinem, qui in ipsis votis sistens ad perfectionem, sanctitatemque non intendit. Multi, ait Hieronymus, ad cap. 19. Matth. divitias relinquentes Dominum non sequuntur: sequitur autem Dominum, qui imitator ejus est, & per vestigia ejus graditur; qui enim dicit se in Christo credere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare.

Inquis: ego castitatem voveo, non ut Deo, rebusque divinis vacem, sed ut hanc rem arduam propter Deum efficiam: quare si eam integre servari n, voto satisfeci. Respondemus non hunc esse finem castitatis, continentiæque vovendæ, ut satis D. Thomas ex Apostolo commonstravit: & alioquin eodem modo ad perfectionem status religiosi sufficeret, si omissa continentia, loco ejus aliud quidpiam æque arduum voveretur, ut cilicium perpetuum, aut frequentes verberationes, aut dura jejunia: quin ipsa uxoris, filiorum familiæque cura satis ardua res esse solet, neque raro plus quam religiosi agunt, & patiuntur, qui hanc provinciam subeunt. Plus etiam agunt, & patiuntur in triremibus remiges; etiam in bello sæpe milites.

Non iraque rei arduitas, ac difficultas finis eſt. Ideo hoc medium præ aliis difficilibus aſſumitur, ut liberi, ſolutique maneamus ad vacandum integre Deo.

Unde etiam cernitur, ab Eccleſia non apptobandam eam religionem, quam denuo aliquis fundare vellet laborioſam aſperamq; illamquantiscumque modis, quæ tamen tria illa paupertatem, caſtitatem, & obedientiam prorſus præteriret, quibus impedimenta ad adhærendum Deo removentur. Et ſimilitet videtur, eum ad religionem, ac profeſſionem non eſſe admittendum, qui vellet quidem ſe paupertati, caſtitati, obedientiæque obligare: Statueret vero ſimul, nihil ulterius Deo, rebusque divinis vacare; regulas etiam præterire; conſilia omnia negligere, quin etiam venialia cuncta admittere: quam diſpoſitionem horret plane religionum finis, profeſſionisque, & votorum ſanctitas.

Horum quaſi ratio à priori ultima ex eo ſumitur, quod quæſt. præc. delibavimus, perfectionem ſcilicet eſſentialiter, & formaliter nun in caſtitate, neque in aliis, ſed in charitate conſiſtere. Caſtitas igitur paupertas, & obedientia in charitatem ordinantur, ſuntque media omnium utiliſſima, ut hunc finem conſequamur, & Deo adhæreamus, efficiamurque unus cum eo ſpiritus. Ergo eliguntur, voventur, & ſub profeſſionem cadunt ſub ea ratione, ergo tranſgreſſor eſt profeſſionis, qui eis mediis ulterius nō utitur ad ſuum eorum finem comparandum.

Et confirmatur; quia Religiones ſunt ſcholæ quædam ſpeciales, ac famoſæ perfectionis comparandæ; ſicut ſtatus Epiſcoporum eſt perfectionis jam comparatæ, & habitæ. Sed tenetur Epiſcopus ſub gravi eſſe perfectus. Ergo tenetur ſub gravi religioſus ad perfectionem tendere, illiq; comparandæ ſtudere; & alter quidem peccat, ſi non ſit perfectus; alter ſi non perficiat. Scitut autem præter paupertatem, caſtitatem, & obedientiam inſtrumenta, & media propria uniuscujusq; religionis ad perfectionem comparandam eſſe ſuas proprias regulas: ergo tenentur eis uti ad finem perfectionis. Et abſurdum ſane foret, nec contingit unquam, quod quis perfectioni comparandæ ſtudeat, & regulas negligat, ac aliis deinde mediis utatur: in quo raro, vel numquam potius contingenti immorandum non eſt.

Hanc S. Thomæ ex Paulo ſumptam doctrinam non ſiſtendi in votis, ſed ea in ſuum proprium finem ordinandi, referendique notiſſimum habuit S. Xaverius qui novar. epiſtol. lib. 6. capite 5. multis urget Gaſparem Barzeum, ne ſe implicet rebus ſæcularibus: *Hoc mandatum* (ſubdit) *eo inculco inſtantius, quod ſumme tibi neceſſarium clare perſpicio, &c. quod transfugis ſit inſtar à ſacra militia, & flagitioſa defectio à propoſito perfectionis irrevocabiliter ſectandæ.* Flagitioſam defectionem cenſet Xaverius; tu nec levem culpam: ſed expertis, & valde peritis, nutiſſimisq; credendum eſt, atq; hi noſtri ſapientes ſunt, quibus, tamquam demonſtrationibus ſit ſtandum, ut præſcribit Philoſophus. Ego, inquis, nihil deficio; nam quæ vovi, ſervo. Sed oſtenſum eſt, eo vota fuiſſe emiſſa, ut vacares Deo, ut diviſus non eſſes, ut quæ Domini ſunt, cogitares, & tractares, eſſesq; ſanctus corpore, & ſpiritu. Omitto hic de ea aliquorum ſtultitia dicere, qui cum pro ſe ipſis mundum, divitias, honores, matrimonia reliquerint, non ſolum diviſi deinde fiunt, ſed ex integro ad mundum reverti videntur, ut eadem illa omnia pro aliis reſumant, curent, & pertractent. Quo fit, ut utilitates pæne omnes paupertatis, continentiæq; fruſtrent, ac pervertant, & videtur quædam ſpecies fatuitatis.

§. III.

Votum Caſtitatis obligat etiam ad ſtudium perfectionis ſaltem propter periculum.

HOc quod in caſtitate propoſui, eodem fere modo etiam in paupertate, ac obedientia urget, niſi quod in caſtitate eſt periculum maniſeſtius, caſusque notior, nam violationes paupertatis, & obedientiæ ſæpe quibusdam opinionibus prætextis latere ſolent.

Neſcimus vero, quomodo ſententia contraria ex una parte ſtatuat, nolle ſervare ullam regulam, ubi ſub culpa non obligant, nec venialem eſſe culpam; aliunde verò ajunt, moraliter loquendo (verba ſunt Authoris graviſſimi) vix eſſe poſſibile non peccare graviter propter defectum debitæ intentionis propriæ ſalutis. Hæc, inquam, duo non cohærent, & ex eo nata videntur, quod pietatis cujusdam ſpecie conſcientias onerare, & graviter obligare ex una parte nollent; vident verò ex alia periculum ingens, ac pie avertere ab eo vellent: quo fit, ut affirmare ſimul, & negare videantur; negare quidem ſub peccati nomine; affirmare verò ſub tanti periculi termino.

Neque verò unius, vel alterius eſt, ſed omnium iſta periculi confeſſio: inculcant quidem illud omnes; ſed canent, ut quæſt. præc. notavi illud taxare, ne cogantur affirmare obligationem gravem illud vitandi. At univerſim alias in confeſſo eſſe ſolet magni cujusque vitandi periculi eſſe obligationem gravem, nam *qui amat periculum, peribit in illo*: de quo iterum paulo poſt.

Sunt etiam qui de periculis, tamquam de opinionibus probabilibus imperitiſſime philoſophentur dicendo, alia eſſe magis, alia minus, alia æque probabilia, illa æque probabilia ajunt, in quibus toties plus minus peccatur, & toties non e illa magis probabilia in quibus pluries, illa minus, in quibus non toties, ſæpe tamen delinquitur. Reſolvunt verò juxta viam opinionum probabilium nulla horum diſcriminum nos teneri vitare; quia in eis omnibus oppoſitum quoq; id eſt. me peccaturum nō eſſe, eſt probabile: ergo grave fundamentum ſequor, prudenterque periculum adeo.

Conſecutio, & logica optima eſt ex via probabilium, ſed quæ una viam illam everrat, & infernum impleat. Quis enim ſibi plene conſtans fateatur, licere juveni domum illam adire, in qua vel ipſe, vel ſimiles, & inſtar ſui adeuntes toties, vel etiam pluries labuntur, caduntque? Patet, hoc dici non poſſe ex part. 1. eſſeque ſorti, & caſui animam committere: quod ſcelus eſt. Ac poſtremo ne in re abſona contederenda moremur, hoc uno verbo eſt, ad nullum periculum vitandum obligare, ſed duntaxat ad vitandam neceſſitatem peccandi; nam poſt ea probabilis pericula ſequitur neceſſitas; & quæ infra neceſſitatem exiſtunt, ajunt, eſſe utrimque probabilia: at nulla probabilia vitare teneor: ergo nulla pericula, ſed ſolùm neceſſitatem; neceſſitas autem periculum non eſt, & de

& de propria periculi ratione est contingentia aliqua in oppositum; & nemo non fatuus ignem ad stupam applicatum videns dicit, periculum esse, ne comburat: & ita in aliis necessariis. O homines!

Dicendum est igitur, periculum esse contingentiam alicujus mali incurrendi, & periculum peccati esse, contingentiam in illud incidendi. Periculum autem aliud est leve, sive parvum, seu remotum, quod longe abest a malo, & est raro, & fere nunquam contingentium. Atque hujusmodi peccati periculum de lege ordinaria est Viatorum omnium: qui de sua præsenti, vel futura gratia certi esse non possunt citra extraordinariam revelationem, vel gratiam. Quod proinde periculum conditionis nostræ proprium Vitare obligati esse non possumus, & magis constat ex part. 1. lib. 3. & alias.

Aliud periculum est magnum, quod & grave dicitur: aliud maximum, & gravissimum: quæ est proxima, & Valde proxima dicuntur, quia a malo ipso parum distant. Tracto alias de magno, & parvo in genere: nunc satis est, si notione communi rem exponamus. Quia tamen parvum non quavis additione magnum continuo efficitur, super est semper saltem quoad nos quædam materia, quasi media, & dubia inter magnam, & parvam: de qua hic non dicemus.

Omnem, illam peccati contingentiam, magnum, graveque periculum censeo, quæ sæpe, frequenterque cum peccato conjungitur; hoc est, omnia illa tria pericula, quę probabilia paulo ante dicebant. Hoc credo, communi hominum sensui consentaneum est. Atque ad hominem nullo negotio Demonstratur; nam aiunt omnem conclusionem, opinionemque probabilem magno, gravique niti fundamento; estque proinde opinio ipsa gravis, graviterque fundata; & Autores etiam graves propterea dicere consueverunt. Ergo & omne periculum probabile est grave, & magnæ contingentiæ subest. Tenemur porro vitare gravia & magna pericula. Ergo.

Probatur etiam ex notione communi; quia omnes illæ ægritudines, & morbi, quibus multi moriuntur, & si aliquanto plures evadant, graves, magnique censentur; medici accersuntur, expensa fiunt, ac magna medicamenta adhibentur; & est etiam obligatio Eucharistiam suscipiendi. Eadem est existimatio, & communis conceptio de tempestate; de periculo prælii, atque aliis. Ergo ex communi hominum existimatione, conceptioneque naturali, omnis illa contingentia mali, quacum malum ipsum sæpe, frequenterque conjungitur, licet sæpius etiam desit; est periculum magnum, & grave. Ergo sic etiam in peccato.

Hos modo satis ad præsens explicato periculo, & magno; & parvo; communis Theologorum sententia est de periculo in genere, teneri nos sub gravi vitare omne magnum, graveque periculum peccati mortalis. Quod sane ea ipsa exempla commonstrant, quæ nuper pro gravi periculo declarando retorsebamus. Licet quidem aliquando ob majus aliud bonum subire periculum grave aliorum malorum, ut in prælio: at cum malum culpæ nullo bono Honestati possit, nec superest ullum majus bonum pure creatum peccato mortali, nullo alio bono licere potest subire periculum grave mali culpæ. Neque vero, ut hoc cursim caveam, illud subire censeretur, si quis vir Dei periculosam alioquin domum negotii, vel alterius boni causa ingrederetur; non enim est grave periculum sui similibus, ac in similes fines adeuntibus, ut suppono; nam si esset, idem erit tenendum. Hanc in genere gravis cujusque, & magni periculi culpæ mortalis vitandi gravem obligationem hic non magis statuo, neque prosequer, quam scilicet omnes communiter fatentur, & ex universalibus regulis part. 1. clare deducitur.

Hinc jam constat, votum castitatis obligare ad studium perfectionis saltem propter periculum violandi ipsum quod inest, nisi illud studium adhibeatur, & Deo, rebusque divinis vacetur oratione, meditatione, lectione, temperantia, mortificatione, custodia sensuum, atque similibus; quæ perfectioni studentes adhibent, & sciuntur.

Hæc conclusio, quæ instituti præsentis propria est, autoritate, & ratione, tam apriori, quam a posteriori, in longum ostendi posset; sed otiosa est disputatio, ubi experientiæ nimis notæ, & frequentes super sunt: quare brevissimè rem expediam. Innegabile nimirum est omni autoritate, ratione, & experientia, materiam servandæ vel virginitatis, vel castitatis esse de se valde arduam, & difficilem. Constat hec ex verbis Domini, *qui potest capere, capiat*; & sanctorum sensu in hunc locum. Constat à priori ex inordinata concupiscentia, & libidine. Constat ab experientia non tot, quin plurium in hac materia peccantium, reincidentium, pereuntium.

In fero immediatissime: Ergo hæc materia secundum se, & seorsim sumpta, est res maximi, gravissimique periculi. Patet hoc ex experientia, & ex Philosophia; nam rerum difficillimarum, ac valde arduarum natura est, quod raro, & in paucioribus contingant, ut quod matres filios oderint, intemperantes abstineant, pigri constanter laborent; & sic est etiam in naturalibus. At ut assumpsimus, materia castitatis secundum se, & se sola, ac seorsim sumpta est valde ardua, & difficillima (scilicet ad custodiendum) Ergo sic sumpta raro, & in paucioribus contingit. Ergo ejus oppositum ut in plurimum contingit. Ergo sic sumpta castitate inest maximum, gravissimumque periculum mali oppositi. Etenim cum pericula omnia vulgato nomine probabilia magna sint, & gravia, illa quasi summa pericula esse Videntur, quæ ut in plurimum cum malo ipso conjunguntur, & raro, ac in paucioribus separantur.

Nemo itaque sanus contendere posse videtur, aut Virginitatem, & castitatem res non esse difficillimas de se; aut rerum difficillimarum hanc naturam, indolemque non esse, quod ut in plurimum deficiant, & in paucioribus accidant. Utrumque enim palpabilis experientiæ convincunt; & quemquam nullæ aliæ experientiæ superessent, quæ in ipsa castitatis materia omnibus adsunt, rem adversus contentiosos quosque manifestant. Ubi superfluum est, quod ex ingemiscente Apostolo, saxoque sese contundente Hieronymo, ex Benedicti repribus, ex Francisci nivibus, sanctorum aliorum Dei dictis, & factis rem meridiana luce ipsa clariorem nitar magis persuadere.

Infero rursus: Ergo omnis Vovens castitatem ipso suo Voto graviter obligatur hoc gravissimum illud violandi periculum devitare. Quod patet ex communi omnium doctrina periculis universim vitandis. At periculum istud solum vitatur, & tollitur studio perfectionis, Deo scilicet vocan-

do, quæ Domini sunt cogitando, & recogitando; novissimorum memoria assidua, atque oratione, meditatione, lectione, mortificatione, sensuumque custodia. Ergo tenetur ad hæc plus minus adhibenda, quicumque castitatem vovet, ipsoque voto ad id obligatur, saltem ratione vitandi periculi.

§. IV.

Declaratur amplius eadem obligatio ex periculo.

Disserui fuse prat. 1. lib. 1. quæst. 2. Explicuique, quo pacto universim lex Dei redderetur suavis, & facilis non tam oblatione, quam sdditione, maxime vero charitatis, quæ est universalis latitudo mandati; eosque frustra laborare dixi quin legem ferè impossibilem, vel etiam omnino impossibilem efficere, qui quodam pietatis prætextu id omne necessarium esse negant, & tollunt quo & possibilitas, & facilitas mandatorum constat; quæ omnia ad præsens opposita consului eo loci possunt.

Hoc quod de universa lege verissimum est, de legibus rerum natura sua difficilium, est magis exploratum, quo lex dilectionis inimicorum, reddendi bonum pro malo, castitatisque pertinent: atque de ista ex Chrysostomo illud memoravi, facilius esse mulierem non aspicere, & non concupiscere utrumque simul, quam solùm aspiciendo non concupiscere, ut egregie etiam Christianorum Tullius Granata ferm. de dilectione inimic. confirmat.

In hac igitur controversia pientiores illi Theologi se esse existimantur, qui ad castitatem solam, pluramque servandam obligant; deobligant vero ab omni alio perfectionis acquirendæ studio. Etenim multitudo molem solam, & quantitatem videt, quemadmodum etiam suffragia numerare, non ponderare solet: unde & mavis quidpiam arbitratur duas obligationes, quam unam, ac magis benignos eos autores, qui unam castitatis servandæ obligationem ponunt, quam qui duas, castitatis scilicet, & Deo vacandi.

At ut dicto loco multipliciter exposui, fallitur multitudo, ficut si duos, vel viginti gregarios Autores plus esse, quam D. Thomam censeret; nam plus fuut mole, & quantitate, non pondere. Eodem plane modo sola castitas plus est difficultate, quam fit ea simul, & rebus simul divinis inhærere. Ergo obligatio ad utrumque non imponit aliquid difficilius, sed facilius. Ais, facilius fore, si quis castitati quidem ex obligatione, perfectioni ex libera voluntate incumbat. Sed contra est: nam vel quis vult perfectioni incumbere? & ita volenti nullum est onus obligari; vel non vult? & hic desistet, nisi obligatione cogatur: & facile; & plerique quæ super erogationis sunt, prætermittimus. Plerique ergo solam castitatem aggredientur, sic autem sumpta castitas est difficillima. Aggredientur ergo rem valde periculosam, & in qua sic accepta plurimi sunt casus. Ergo tenentur eam non sic accipere.

Præterea sumpta multitudine hominum, qui voverunt, & non voverunt, exploratum est, non tot, quin plures esse casus, & raros, paucioresque esse, qui non cadant, ac præceptum ante, vel post non fregeruut. At votum naturas, & inclinationes hominum non mutat. Ergo emisso voto in eodem periculo remanent, qui voverunt, nisi alia addant, quibus hoc imminens periculum avertant. Ergo tenentur illa addere: constat autem, quænam illa sint. Sed vero non esset periculum ut in plurimum conjunctum cum malo ipso, sed toties conjunctum, & toties non conjunctum: Tunc etiam nihilominus tenerentur juxta dicta.

Sapienter nimirum concionator quidam, ut in vita ven. P. Ludovici à Ponte refertur, dixit, omnes debere servare divina consilia, quamquam unus solus esset damnandus; quo quippè majus est malum imminens, eo pluris fit periculum: est autem malum damnationis post malum saltem culpæ summum malum. Sapientis vero Ludovicus ipse subjunxit, oportere illa servare, & si nullus esset damnandus; tantis scilicet titulis Deo obstringimur, ut ob hoc unum esset ipsi inhærendum.

Ecclesia itaque, & Religiones ipsæ supponunt, quod ex Paulo cum D. Thoma constitutum est, ipsas scilicet non constare hac una materia votorum. Est enim hoc quasi genus ad religiones omnes; quæ mox inter se velut specie differunt instituto suo peculiari, regulis & fine: atque in eo cunctis communi sistere, est quasi genus sine specie salvare velle: & religiosus in eo sistens, est quasi religiosus in genere, & in aëre.

Quare omnes religiones supponunt, sibi esse necessariam vitam contemplativam; neque eo generalius differunt, quod aliæ contemplativæ sint, & aliæ secus; sed eo, quod aliæ solùm sint contemplativæ, & aliæ mixtæ ex contemplativa, & activa: vita autem contemplativa non consistit in paupertate, castitate & obedientia, sed hæc sunt media, quibus alii ex toto, alii partim vitam contemplativam sequuntur. Sic autem paupertas, & castitas gravi saltem, frequentique periculo vacant. Sic proinde à religionibus ipsis usurpantur, atque ab Ecclesia probantur. Sic ergo & à professoribus quibusque usurpari debent; periculum enim alioqui suberit, ne urantur magis.

Fallit autem hoc periculum vitæ negligentis & pigræ; quia non ad unum diem, mensem, vel annum cogitur, nec totum simul est, ac menti objicitur, sed est successivum quidpiam, ac fluens, & vix perceptibile: quemadmodum de transitu à parvo ad magnum, & de puero ad juvenem dictum est: nescitur, non percipitur, quando demum is fiat; fit tamen. Sic & hoc periculum sensim crescit, & augetur in aliis citius, in aliis tardius; periculosius quidem de se est duobus annis, quam uno remisse, negligenterque vivere, & non cadere: nescitur tamen quanto demum tempore stare quis possit, & instar mortis res ista est. Periculum itaque in genere certum est: horas autem, & momenta non magis determinare possumus, quam viso puero dicere possimus, eum tali anno, vel mense, aut jam magnum fore, aut eo determinate anno proceræ staturæ esse reddendum.

Atque hic sensus est Augustini in psalm. 39. & in psalm. 66. & aliorum sanctorum dicentium, eos qui minutiora non cavent, mergi demum, & interire: non quod existiment ex multis levibus culpis unam gravem conflari, sed earum admissione enervari sensim vires, & sequi casum in peccata gravia, ut exponemus.

§. V.

§. V.

Proteritur hinc Lutheri stultitia de impossibilitate virginitatis, & castitatis.

HOc unum fuit, ex quo maxime infamis Apostata aliquam multitudinem religiosorum, & virorum, & mulierum, cleriorumque sibi obstrinxit, ac socios etiam in prælio contra populum Dei fecit. Impossibile scilicet sibi visum est, virum sine muliere esse, & vivere perinde, atque vivere sine cibo, & potu: hoc continue effutiit, ac eo magnam partem stellarum in perniciem traxit; monasteria plurima extinxit: & ad ipsum Cardinalem Moguntinum Albertum Natalibus Marchionem Brandeburgensem scribere non erubuit, quo eum in matrimonium induceret: Jam vero (ajebat) opus, ac voluntas Dei est, ut vir habeat mulierem Genes. 1. non est bonum, inquit Deus, virum esse solum; faciamus ei adjutricem, quæ circa eum sit. Ubi igitur Deus non facit miraculum, Angelum ex homine faciens, non possum videre, quomodo vix queat absque ira, & indignatione Dei solus, ac sine muliere manere. Quid quæso lenones prostitutæque ipsæ mulieres, & maxime inverecundæ dicere amplius potuissent.

Hic ergo hominum loquacissimus una, ac impudentissimus vel continentiam consideravit sic solam absque adjutorio orationis, contemplationis, aliisque suis auxiliis, vel eum his? Si cum his consideravit, egregie plane mentitus est; nam plures, & plurimi continentiam illibatam servant, servaruntque, qui in sua oratione, contemplationeque plus multo solatii habuerint, quam in sua adjutrice muliere habuissent. Sin vero cœlibatum, & continentiam humano solùm studio custodiendam existimavit, in Paulum expressum virginitatis, continentiæque consultorem desipuit, qui supponit, Deo vacandum. Oportet vero carnalem hominem, non intellectualibus, sed sensibilibus rebus convenire.

In tot itaque annorum Monachatu quid ipse gesserit, rogandus est, vel castitatem, quam voverat, servavit, vel violavit? si servavit; ergo mentitur, dum eam statuit impossibilem: sin autem læsit; ô plane egregium ex impudicitia compactum Apostolum! scimus quidem ex telonio, non ex meretricio assumptum Apostolum; qui tamen mox pristinam mentem, moresque exuerit; at Lutherus remansit ad mulieres magis in dies conversus. Rursùs non statim post defectionem Catherinam uxorem duxit, sed triennio saltem distulit. Quid hoc tempore fecisset, maxime vero homo, qui rem adeo sibi necessariam mulierem arbitrabatur. Volutatus itaque est in ceno suo porcus, ut usitata sua voce eum compellemus. Continentia denuo non est Monachorum, aut sacris ordinibus initiatorum duntaxat, sed fidelium omnium citra matrimonium ex Dei præcepto. Vixit autem Lutherus annis ferme quadraginta ante sacrilegum matrimonium. Si certe tamdiu continens esse potuisset, continentiam adeo impossibilem, ac uxorem tam sibi necessariam censere non potuisset. Incontinens ergo fuit, & consuetudo sua prava, ex qua plane difficillima, & quodam modo impossibilis redditur conversio, errorem de necessitate mulieris ipsi suasit: in quem errorem facile etiam ei similes labi possunt.

Quid deindè loquacis magis linguæ, quam robustæ mentis Hæresiarcha de matrimonio statuit? Cogitur scilicet hic palam insanire. Ecce fateamur, divinum, ut vocat, matrimonium esse necessarium, hominemque sine adjutrice muliere vivere omnino non posse. Sed vero tempus etiam determinandum est. Num anno ætatis decimo quarto omnes statim nubere obligantur? Si affirmet, Respublica omnis evertitur, & multa nova impossibilia præcipiuntur; alii ea ætate peregrinantur, alii navigant; alii in bello absunt, alii scholas profitentur; dos aliis deest, aliis copia; plurimæ maritum optant, nec inveniunt; atque plurima alia impossibilia subsunt. Quod si non ea ætate omnes obligantur, sed ut est in more, vel tunc, vel postea aliquando demum matrimonium inire licet. Jam ergo mulier non est necessaria, sicut cibus, & potus. Eo præterea tempore ante matrimonium vel licet fornicatio? Et tunc necessitas matrimonii cadit; nam licere eodem jure toto vita poterit: vel non licet? Ergo jam multitudo tota fidelium eo medio tempore ex præcepto tenetur vivere sine uxore. Ratio porrò nulla superest, cur diutius etiam abstinere singuli nequeant, & quemadmodum quatuor, vel sex annos, ita octo, vel decem transigere. Quod autem multitudo sine delectu omni fidelium annos aliquot, & sæpè plures obligatur servare, stultitia est existimare, pauciores aliquos delectos voluntate id sua promittentes servare colereque non posse.

Cogendus rursùs est annos istos, quibus matrimonium ineundum sit, ac differri possit determinare; num post ætatem nubilem liceat differre annos quatuor, & non plures? Et jam tunc anno decimo octavo cunctis fidelibus nubendum erit: quod est stultum, ac multa impossibilia denuo continet, estque contra sensum ipsum communem omnium gentium ab initio mundi. Quod si sex annos indulgeat, si octo, eadem ferme inconvenientia consequuntur. Ecce ergo quot annis viri sine muliere esse possunt, ac se continere obligantur. Dicat jam; non est bonum, hominem esse solum: Dominus scilicet statim Adæ dedit adjutorium simile sibi. Quid ergo facimus, Luthere? Quo remedio his annis, & sanè magis periculosis providemus? Labuntur tunc, & peccant non tot, quin plures, offenduntque gravissimè Deum, multoque sanè frequentius, quam moniales inter, & Monachos similes casus contingant. Damnasti propter hos rariores casus Monasteria, ac in universum statum religiosum debachatus es, utique ut peccata averteres. Quid ergo de eis juventutis annis statuimus? Matrimonia desunt. Unus jam laqueus supererit, quem provideamus.

Sed vero secutæ jam sint optatæ Luthero nuptiæ. *Quid* (Arguit Augustinus lib. 2. de Adult. conjug. Ep. 10.) *Si aliquo diuturno, & insanabili morbo corporis teneatur conjux, quo concubitus impediatur? Quid si captivitas, vel vis aliqua separet ita, ut sciat maritus, vivere uxorem, cujus sibi copia denegatur. censesne admittenda incontinentium murmura, & permittenda adulteria? Quid in hoc ipso, unde interrogatus est Dominus, respondit, fieri non debere, sed ad duritiem cordis eorum Moysem permisisse dari libellum repudii, & quacumque causa dimittere conjugem? Nonne lex Christi incontinentibus displicet, qui uxores litigiosas, injuriosas, imperiosas, fastidiosas, & ad reddendum debitum conjugale difficillimas interposito repudio abjicere volunt; & alias*

ducere? Solvat ista degener filius, qui se mille Cyprianis, mille Augustinis prætulit. Sensibilia valde sunt; non est, unde ad Verbum Dei appellet: Ecce causa fornicationis, quam Dominus probavit, secutum est divortium: *Omnis autem*, inquit Dominus, *qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur*: & Apostolus ait; *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit*; & sola morte dissolvitur matrimonium saltem consummatum. Quid in tot his casibus divortii, morbi, captivitatis, diuturni belli, navigationis longinquæ, ac mille aliis faciendum est? Adde, plurimis odio esse uxores suas, vel quia turpissimæ, vel quia valde fatuæ sunt, aliisque de causis: His autem tam solet esse difficile, alias non amare, & quærere, quam religiosis omnino continere. Num omnes obligemus pulchras, prudentesque uxores ducere? Quid vero remedii fœdis supererit?

Homo itaque, vel porcus iste totus votis, & cælibatui intentus, atque aversus, Legem Dei, qua omnibus aliqua continentia, & sæpe non facilior necessaria est, non consideravit, sed prætermisit. Nam unde ipse, & alii sanctitatem legis, quæ quidem omnes comprehendit, exposuerit, inde sanctitatem voti, cælibatusque, qui pauciorum est, nullo negotio expediemus. Quod si legem ipsam, ut etiam delyravit, impossibilem esse velit, & tamen lex Dei est, & sancta est, delenda non est; ergo totus cæcus, fatuusque est Lutherus, qui cælibatum, vota, professionem reprehendit, & tollit, quia de re impossibili sunt: nam lex etiam de re impossibili est; & tamen sancta, non tollenda, sed retinenda est.

Lex ergo, & Vota sancta sunt, nec impossibilia imponunt. Nam non nostris viribus, sed gratiæ; non humano solum studio, sed oratione, meditatione, mortificatione, æternorumque memoria & lex ab omnibus, & Vota à religiosis servanda sunt, ut superius est ostensum, atque in Apostolo hoc totum expressum est, quem vel in ipso, quasi figurata alium quemque stimulus carnis colaphizabat; qui ter Dominum precatus, non sane audiit, aut matrimonium ineundum esse, aut cedendum in re impossibili, *sed sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur*, non utique peccando, sed obruenti pæne tentationi obluctando; quod cum gratia Dei fieri potest, sine gratia non potest. Lutherus vero parum sane Dominum deprecatus, divinisque rebus minus intentus, viribus quasi suis rem impossibilem expertus, desipuit, eam impossibilem pronunciando. Deinde Apostolus non sic conjugatos, & Virgines distinxit, ut Virgines ex integro Deo vacarent, & quæ Domini sunt, cogitarent; illos vero totos rebus aliis deditos permitteret; sed hos etiam vult esse divisos, ut partim quidem, quæ familiæ, uxoris, & filiorum sunt, tractent; ac partim etiam, quæ Domini sunt recogitent: alioqui tam erit ipsis impossibilis lex, atque religiosis sua vota, ut experientiæ commonstrant, & paulo ante ostensum est.

Quemadmodùm igitur desiperet quis, si quem podagra prorsus impeditum videns, diceret, eum Matrito, Vallisoletum ire non posse; quia & si pedibus suis ire non posset, vehiculo, vel curru posset, pedesque solum ejus considerans vehiculi currusve non meminit, & ineptit, ita planè Lutherus oblitus est gratiæ Dei; qua innumeri castitatem servarunt, & servant; quam gratiam oratione, devotione, aliisque scitis mediis consequuntur. Sed inquit hanc gratiam esse altam quandam gratiam, & paucorum. Sed mentitur, quia plurimi eam consecuti sunt. Deinde alii non consequuntur, sicut nec ipse, quia rebus divinis non vacant. Si rursùs tam paucorum est ista gratia, quid, ut argumentati sumus, faciendum est juvenibus omnibus ante matrimonium? quid in casibus ab Augustino propositis? Quid in aliis innumeris tam frequentibus? Sanè solutio alia non est, quam Vigilandum esse prorsus omnibus, & orandum, ne intremus in tentationem; omniaque esse possibilia in Christo, & cum Christo, si ei adhæreamus; sin minus rem, ut ostendimus, esse valde periculosam castitatem sive præceptam, etiam permisso matrimonio, vel voto integre promissam.

In Luthero tamen in postremo notandum est, degenerem, infamemque filium fuisse, quodammodo similem, Patri Augustino, sed ante conversionem, non post. Inquam *quodammodo*; quia Augustinus nec ante conversionem tam pravus extitit, sed fragilitate quadam potius, non obstinatione peccavit, eminueruntque semper excelsæ mentis, optimæque illius indolis, ac magnæ animæ signa præclara. At Lutherus lucifero similior stolide ferox, superbus, arrogans, seditiosus garrulus, obscenus, vel in loquendo etiam spurcus, fædusque indignus est, qui ullo unquam tempore Augustino conferri possit.

In eo itaque solum dixi similem, quod Augustino etiam ante conversionem valde miserum, impossibileque videretur Vivere sine uxore; quem suum miserandum statum prodit ipse, Lachrimatur etiam, & Vix non miratur in suis confessionibus lib. 7. cap. 12. & sequentibus. Hoc fuit stemma, hæc alta gratia Apostolatus Lutheri: illud in hac materia, ei Judicium, illa cordis dispositio, quæ Augustino peccatori, & nondum Catholico. Ex quo uno discet quisque cætera tam nova novi Apostoli. Atque nos discamus planè, inde demum ductam hujus Apostatæ ruinam omnem, quod religionem quidem professus sanctissimam, non professionem secutus sit, quæ Domini erant, cogitando, & perfectioni studendo, sed scholas sectatus ingenii laude, dicendique illa copia, & loquacitate, falsique nominis scientia inflatus præripuit primum fratri alteri Doctoratum Witembergæ: Vacuus deinde Deo animus, & superbus continentiam, quam voverat, fregit, ut efficaciter commonstratum est, neque enim si tamdiu eam coluisset, rem adeo impossibilem censuisset. Ex homine demum carnali, & superbo obvium fuit hæreticum fieri.

Mirantur quidam tetrum adeo hominem, ac tot visibilibus vitiis infamem tantum valuisse, totque Ecclesiæ Dei Provincias sustulisse. Causantur alii ejus audaciam, alii imperiosam eam loquacitatem, verbi Dei statuendi prætextum alii, & alii alia. Sed causa maxima fuere peccata gentis, & ira Dei; & quemadmodum ipsius misericordia stulta mundi aligendo, confundit sapientes, ac per ea, quæ non sunt, destruit, quæ sunt, atque his mediis Ecclesiam suam erexit; sic ira ejus perstulta, ac fatua, ut ita loquar

Scripturat præterea olim sapienter Tertullianus libro illo aureo cap. 3. *hæreses de quorundam infirmitatibus habent, quod valeant, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant. In pugilum, gladiatorumq́; plerumque*

pleramque non quia fortis est, vincit quis, aut quia non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est, nullu viribus fuit: atque tenerum puerum, ac ægrotum senem facile quisque prosternit. Invenit itaque Lutherus corruptissimas eas gentes, quæ suis magis peccatis, nullo pæne pellente ultro caderent. Erunt forsitam & aliæ nihilo meliores; quas tamen non sua vita, sed Dei misericordia teneat, & custodiat.

§. VI.

Percurruntur motiva alia obligationis religiosorum tendendi ad perfectionem, atque proficiendi.

PLurima vel unus Bernardus cumulat Epist. 254. & ep. 341. quæ tamen adversarii non aliis scripturis, non aliis autoritatibus exponunt, sed more suo eludunt. Ea est propositio principalis Bernardi ep. 254. *O Monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere. Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere, in quo perveni, &c. Hoc ergo vis, quod esse non potest.*

Probat multipliciter conclusionem Bernardus, si tam experti, peretique in arte autoritas non abundat. Primo: *quid enim, inquit, stat in hoc sæculo. Et specialiter de homine dictum est, fugit velut umbra & numquam in eodem statu permanet.* Deindè exemplo Christi, qui numquam stetit, sed pertransiit benefaciendo, &c. Rursùs, quia ipse cucurrit ut gigas: currentem autem non apprehendit, qui pariter non currit: jubemur vero sic currere, ut comprehendamus. Denuo quia si eo currente gradum sistamus, non appropriamus ei, sed elongamur; unde timendum, quod scriptum est; ecce qui elongant se a te, peribunt. Inducit postremo exemplum Angelorum in scala Jacobi; nam omnes ascendebant, vel descendebant, *ut daretur intelligi,* inquit *inter profectum, & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri. Sed quomodo ipsum corpus nostrum continue aut crescere constat, aut decrescere; sic necesse est, & spiritum aut proficere semper, aut deficere.*

Exponunt itaque Bernardum, & aiunt, sententiam illam (quam nos omisimus) *quod non proficere sit deficere, & non progredi, sit regredi*, non posse esse veram formaliter, sed consecutive, & dispositive. Quasi vero Bernardus hoc ignoraverit, probant, quia per omissionem aut nullatenus, aut sub veniali obligantium rerum nullus gradus gratiæ amittitur. Ergo manet quia formaliter in eodem statu. Jam vero loquendo consecutive, & dispositive, inquiunt, licet in aliqua speciali materia propter speciale illius periculum (castitatem opinor, intelligunt) prætererire omnia consilia, & admittere omnia venialia proxime disponat ad mortale; in aliis tamen solum disponere remote. Hoc respondent; & hoc aliud non est, quam Bernardum male dixisse: quia falsum universaliter est, quod non proficere sit deficere, & nolle proficere, sit velle deficere. Sed mirabilius ex his respondent secundo, Bernardum per to *deficere* intellexisse aut imperfectionem moralem, aut peccatum veniale. Hoc, inquam est mirabile; Bernardus scilicet tantus fuit, ut persuaderet Monachis hanc tantam rem, ut sciatur videlicet præterire consilium esse defectum imperfectionis moralis, & violare obligationem venialem esse deficere venialiter, & defectum venialem. Scito o Monache inquit Bernardus, venialiter peccare esse venialiter deficere, & non servare consilia esse defectum imperfectionis moralis. Scimus hoc, respondent Monachi quique, & noli in hoc persuadendo tantopere laborare. Quia deindè est Monachus ille tam stupidus, qui manere se velle respondet, in quo pervenit, si deficere non aliud est, quam admittere imperfectionem moralem, aut peccatum veniale; cum nullus sit tam rusticus Monachus, qui ignoret, se violando consilia, aut peccando venialiter non ita in eodem suo statu persistere, quod nec defectum imperfectionis moralis, aut peccati venialis incurrat. Nugæ itaque istæ videntur, & nihili facere autoritatem sanctorum? Bernardus vero in hac materia profectus, vel defectus Monachorum peritissimus, versatissimus, sapientissimus Magister nequit non maximi fieri a quocumque cordato.

Quod autem aiunt, torporem illum in aliqua materia propter speciale illius periculum disponere proximi ad mortale; in aliis autem remote; ultro, ac sine fundamento, incohærenterque pronunciatur. Numquam enim practice vidimus aliquem in sola castitatis materia satis diligentem, intentum, ac ferventem; in aliis autem remissum, & pigrum; sed vel universim, & in omnibus solet unusquisque esse salutis suæ, perfectionisque studiosus; vel torpere in omnibus, & negligere. Causæ deinde moventes ad hanc diligentiam, ac studiositatem, sive sint amoris, sive timoris Dei, sunt universales; quare si hæ adsint, in omnibus facient diligentem; sin vero desint, in omnibus sequitur remissio, & torpor, ac fortè major in materia castitatis propter vim deordinationis naturæ. Hæc rursùs materiarum distinctio, quasi aliqua una sit valde periculosa; aliæ vero secus, magis ex usu quodam, quam ex Dei libris desumpta videtur; neque enim concupiscentia sola carnis periculosa est, & concupiscentia oculorum periculosa non est; quinimo cum tot propter luxuriam pereant, arbitramur cum viris sapientissimis, legisque Dei valde consciis, plures multo damnari propter avaritiam; neque postremo concupiscentia oculorum periculosa est, & superbia vitæ, pestis illa mortalium ac maxima periculosa non est. Ad omnia igitur opus est magna diligentia, intentione, studiositate, proficiendique consilio; nisi sint, qui arbitrentur solam luxuriam esse peccatum; cum interea Dominus tam perspicue docuerit in parabola ex decem virginibus omnino virginibus damnatas quinque, sive propter elationem, ut Gregorii, aliorumque sententia est, sive propter avaritiam, ut Chrysostomus aptissime colligit.

Quibus ita eversis, arguamus pro Bernardo ex Bernardo sic: in vita corporali (quo ille exemplo rem exponit, & firmat) nolle proficere, seu se reficere est velle deficere, hoc est, velle mori, & perire. Ergo & in vita spirituali. Jam distinguant adversarii antecedens per argutias illas suas formaliter, & consecutive, seu dispositive, hacque subtilitate faciant, ut Monachus non comedat, nec se reficiat, & non deficiat, ac pereat: certe vita nostra formaliter in sumptione cibi, & potus non consistit, & tamen morimur citius, vel tardius juxta complexionem uniuscujusque, ac aëris temperiem, & alia, si vel omnino non comedamus, vel pro mensura necessitatis non comedamus. Ergo idem sequetur in vita spirituali.

Existimamus vero, nullam adversarios redditu-

ros

ros esse tationem antecedentis, quæ salva prorsus fide, & experientia non probet consequens. Nam si causentur debilitationem virium, quæ ex defectu cibi consequitur; profecto hæc debilitatio non minus sequitur in vita animæ, nisi oratione, meditatione, virtutumque exercitio vires reparentur, ac continue restaurentur; & expertus ille Propheta dicebat; *factus sum, sicut uter in pruina*; item *aruit tamquam testa virtus mea*; ac multa hujusmodi, quæ omnium experientia constant. Si deinde causentur continuam illam pugnam quatuor primarum qualitatum, ac perpetuam actionem, & passionem; non fabula est, sed veritas Verissima, in simili pugna esse vitam spiritualem, seu vires ejus cum suis contrariis; nam caro continuè concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; sic & mundus, sic & Dæmom continuè saltem cum Vigilamus, ac sæpe etiam in somniis in nos pugnant, & agunt; & ne hæreamus, non sit continue, sit quasi continue. Est autem periculosior hæc pugna contrariorum animæ quasi continua, quam illa omnino continua quatuor primarum qualitatum propter duo; primuto, quia illæ qualitates non sunt contrariæ vitæ corporis, sed potius necessariæ, & solum contrarietas est inter ipsas; & nocent solum cum mensuram excedunt: at hostes animæ ipsius vitæ illius contrariis sunt, ac omnis eorum actio, & motus est contra vitam Ejus. Secundo quidquid & hoc evertant, verissima est Theologia sanctorum conciliorum, & maxime Augustini, nos in hoc statu naturæ lapsæ esse verissime, ac propriissime infirmos, & gravissimè infirmos, & semivivos relictos quoad vitam animæ, & extinctas quidē non esse, extenuatas tamen esse, ut Concilia pronunciant, vires liberi arbitrii, tantamque esse effrenis concupiscentiæ Vim, ut dicere Apostolo licuerit, *captivantem me in lege peccati*. Ergo quasi citta comparationem plus possunt contraria animæ in vitam animæ, quam conttaria vitæ corporalis in ipsam: & collatio facienda est cum homine graviter ægrotante, qui tam exquisitè, & diligenter curatur, nec de alio ferme ipse, & sui cogitant, ne pereat. Valet ergo à fortiori consequentia à Vita corporali ad spiritualem. Et sic etiam experientia clamat, plures sine numero deficere, & perire peccato mortali quotidie, quam morte cotporali. Labilior igitur est vita animæ, quam corporis. Magis ergo curanda, & colenda est. Ergo nolle proficere, nolle vires reficere, reparare, augereque, est velle perire, sicut in vita corporis.

Scitur itaque Vires vitæ animæ, quibus ipsa servatur, consistere in gratia actuali, & in habitibus virtutum. Gratia autem actualis major, vel minor nobis de lege ordinaria providetur, & continuatur juxta mensuram applicationis, ac boni usus ipsius juxta illud, nam habenti debetur; & non habenti, & quod habet, auferetur ab eo. Sanè profundis Theologis hic opus non est; unusquisque enim experitur, secundum suam remissam, ac tepidam, vel intentam, fervidamque vitam concedi sibi remissam, vel copiosam gratiam actualem, istamque remitti, ac demum debilissimam reddi in vita remissa: similiter etiam virtutum habitus, si qui inerant, remittuntur quoad conferendam facilitatem, & per non usum fit sensim difficilior evitatio malorum imminentium, & tepidis difficillima est quævis occasio, quæ fervidis vix musca est. Ergo Monachus nolens proficere vult suas sibi vires sensim, & quasi continue remitti, & velut evanescere: ergo vult deficere; cum aut nullis viribus, aut remississimis, debilissimisque viribus vita animæ magis, quam corporis superesse diu nequeat.

Atque hæc, omissis reliquis in utraque Epistola, sufficiant in specimen roboris argumentorum Bernardi. Quæ Augustinus confirmat in psalmo 69. Ambulamus angustam viam, &c. *Quantumcumque profecerimus, nemo dicat, sufficit mihi. Qui dixerit, remansit in via; non novit pervenire. Ubi dixit, sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit: fratres, inquit, ego non me arbitror comprehendisse, &c. Confundantur, qui tibi dicunt, euge, euge: confundaris inter illos & tu, quia tu tibi dicis euge, euge.*

Omittimus etiam plurima alia, atque intereà quod Dominus per Joannem Apostolum Apocal. 2. scribit Angelo Ephesi Ecclesiæ, hoc est, summo illi viro Timotheo: *Sed habeo adversum te quod charitatem tuam pristinam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac; sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Disputant, num Timotheus incidisset in mortale? Recentiores quidam negant; & probant; quia quis hoc credat de Timotheo? Ambrosius, & alii affirmant. Profecto tenendum est, vel eum jam incidisse, vel prope esse, ut incideret in mortale, ut multipliciter ex textu, ex forma ejus, ex pœna intimata, & singulis pœne verbis constat. Inquam, *incidisse, vel prope esse*; nam ut supra exposui, gravitas peccati negligentiæ, temissiorisque vitæ non uno momento, aut hora clauditur, ut cernitur etiam in vita corporali, quæ inedia quidem absumitur, sed tempus requirit. Demus ergo magnitudini Thimothei ut nondum incurrisset, & quasi implesset mortale: sed detur Justitiæ Dei, ut nisi pœnitentiam ageret, pristinumque fervorem resumeret, jam ex hoc ipso incurrisset mortale. Resumpsit vero vix Dei, cultoresque Magnæ Dianæ, quæ Ephesi colebatur, fervide reprehendit; eaque de causa illustri Martyrio coronatus obiit. Jam hic Timothei casus est valde apertivus oculorum, & ab hoc ipso Deo, & hac ipsa Theologia judicandi sumus, ubi multa prætereo.

§. VII.

Quomodo hæc omnia, in qua diggressi videmur conferant proxime ad scopum proprium nostrum de inventione veritatis.

His tribus integris quæstionibus satis quidem copiose tractatis longissimo diggressi videmus a proposito, & consilio hujus libri, quod est designis, notisque veritatis moralis, quibus ipsa facile a rusticis etiam dignoscatur. Verum ut ex principio quæstionis 12. satis conspicitur, ipsa primum rerum consequentia in has quæstiones ducti, conjectique sumus.

Deindè vero harum quæstionum salva doctrina, habetur tota intentio libri, & alio opus non est ad inveniendam veritatem moralem. Etenim quæst. 12. eo toti incubuimus, ut ratione, & autoritate ostenderemus fidelium omnium obligationem ad imitandum, sequendumque sapientes, peritos, prudentes, atque expertos, quos ibi produximus, id est, certos sanctos, & alios innumeros, qui eorum modo vixerunt, & vivunt. Sequentes

quentes quæstiones 13. & ista 14. idem ferme sub aliis terminis jam de fidelibus omnibus, jam specialiter de religiosis stabiliunt, & utrosque obligant ad studium, & intentionem perfectionis status proprii, & ad consilium, animumque proficiendi.

Jam autem his acceptis nulla ferme superest quæstio de invenibilitate veritatis moralis. Nam in primis, qui sanctorum more vitam instituunt, & perfectioni comparandæ intendunt, & proficere nituntur, probabilitate opinionum non se regunt. Novimus omnes horum aliquos, qui certe non deliberant, sed horrent id genus rerum agere, quas peccata mortalia esse æque fundata, ac magis etiam fundata opinio statuat; a qua via longissime distant. Deinde his nihil necessariæ videntur hæ opiniones dissentientes, in quarum contradictione veritas lateat; nam ipsi non pecuniam quærunt, non honores, non mundum, sed cœlum; neque viam inquirunt quomodo se ab obedientia excusare possint, aut à jejunio, aut a solutione debiti, nec similia sine fine desiderant.

Rursùs brevissime, quia hi vivere non solent ex libris sic inter se dissidentibus, sed ex consentientibus inter se aliis ut antiquiores omittamus, ex Avila, ex Granata, S. Theresia, Aponte, atque aliis obviis. Hos autem veros esse nemo disputat. Vivunt ergo ex veritate.

Iterum, ut de justo est scriptum, vivunt ex fide, vitamque ordinant per principia ipsa fidei de diligendo Deo, & proximo, de vita & morte Salvatoris; de futuro judicio, de futura gloria, & gehenna, de pœnitentia, mortificatione, ab negatione humilitate, patientia, oratione. In his, ac similibus horum vita tota est, & vivunt quasi in alio prorsùs mundo.

Hæ quasi majores propositiones sunt suæ conscientiæ; & si quando dubitatio occurrit, consulunt eos Doctores, qui vel numquam, vel raro fallant; qui ab Ecclesia, cujus sensu hæ felices animæ insistunt, maximi fiant, ac sui Doctores, vel ferme instar eorum habeantur; quos denique omnium sensus, & consensus eo in loco posuit, ut in ipso, quod expectamus judicio, producere possimus, ut superius explicatum est. Sin vero quandoque veritas, nec certo constat, neque ex iis, quæ ferè semper ita sunt, tutiora sectantur juxta dicta part.1. lib.4. neque hoc onus putant, qui scilicet non coactè, sed libentissime Deo inserviunt, & obediunt; quia amant ipsum, & legem ejus: *Nam ut simus inexcusabiles* (inquit Bernardus ea Epist 341. præc. §. allegata) *in via vitæ quo citius, eo facilius curritur, & leve Salvatoris onus, quo crescit amplius, eo portabilius est*; & mox: *quia portat potius, quam portatur*: & utitur exemplo pennarum avium, sicut Augustinus. serm. 12. de verbis Apostoli, & late tractavimus part.1. lib.1. q.2.

Neque tamen hæ ita libenter, & studiose inservientes Deo animæ habent semper certitudinem honestatis operationum suarum, & omissionum; nam etiam quando ipsas propositiones fidei pro majoribus usurpant, de earum recta applicatione semper certi non sunt; nec item de minoribus, quas subsumunt, ut part.1. lib.3. declaratum est. Et in hac ipsa nostra quæstione sciunt utique, Deo diligenter inserviendum esse, nec hærendum, sed gradiendum, & proficiendum. Et tamen certi non sunt, num satis inserviant, & ambulant; sed quemadmodum S. Thomas hoc lib. quæst. exponebat, per signa, & conjecturas id colligere possunt.

Totus igitur hic liber quartus Dei, & sanctorum dictis contextus, & omnes, & singulæ ejus quæstiones evincunt, instituendam esse vitam diligentem, ac sanctorum Dei, & aliorum eis similium imitatricem. Quod si nos in probando deficimus, ostendenda sunt contraria placita ex eisdem locis scripturæ Dei, sensus Ecclesiæ, & dictis sanctorum, vel etiam ex libris spiritualibus vero talibus, & non ex aliis curiosis magis, & subtilibus, auresque demulcentibus, quam spiritualibus. Sed existimamus, nihil in his libris inveniendum pro securitate oscitanter, tepide, & pro more magis viventium.

Hæc vero, quæ in Theologia ferre aliqui nolunt, ipsi eadem in aliis libris nec ingrate audiunt, nec falsa coram dicunt. Nuper in Hispanam linguam conversus est Curia sancta P. Nicolai Causini & 6. part. in prol. sect. 4. agens de civitate Dei, seu alio nomine la Villa de los buenos, dice, que en ella nopudieron forastero que les embaracava las consciencias resolviendo muchissimos casos muy sutiles, y algunas veces poco honestos; porque ellos temiam mucho en redar innocencia &c. Et paulo inferius: que todas sus leyes estaban fundadas en la doctrina del Salvador particularmente sobre aquella palabra, que nos manda, no hagamos con los otros, lo que no quisieramos se hiciese con nos otros. Hoc sed ut superius diximus, Dominus implevit hoc principium, nec solum jussit, quod tibi non vis alteri ne feceris, sed addidit, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, eadem vos facite illis: quod ut tractavimus, totius moralis Theologiæ ad alterum perfecta summa est. Quod porrò Causinus civitatem Dei, seu bonorum, cujus etiam mores ibi late prosequitur, appellat, hoc idem nos per sapientes, prudentes, peritos &c. atque per studiosos perfectionis, Deoque accurate inservientes intelleximus. Nusquam autem nos capimus, quod alicubi verum est, ubique verum non esse. Quæ ergo in eo vulgaris sermonis libro ex magnorum virorum sensis digesto traduntur, nec respuuntur, sed probantur; & similiter etiam in libris quibusque spiritualibus commendantur, in hoc quoque opere vera esse necesse est.

QUÆSTIO XVI.

Utrum ergo sit exceptio doctrinæ nostræ, an potius confirmatio & novum signum veritatis ejus, quod ex illa sequatur, plures fidelium adultorum damnari, salvarique pauciores?

HÆc velut petra scandali est, & lapis offensionis in universa doctrinæ nostræ serie, quem sæpè incidenter removimus: nunc vero, non solum illum diligentius removere, sed hinc denuo doctrinam statuere, atque quasi nova nota, signoque veritatem moralem cunctis ostendere, ac exponere consilium est.

§. I.

Quomodo hoc ex loco doctrinam nostram refellant. Et contrariam tradant?

QUasi in lege Christi, sacroque Evangelio hoc nobis traditum fuisset principium, eam scilicet

scilicet esse salutis viam, quam non pauciores, sed plures io cedunt; eam item doctrinam veram, rectamque morum, ex qua non pauciores, sed plerique vivunt; & quæ non dura, & difficilia imperat, sed mitiora, & suavia præscribat, plurimæ opiniones morales universim in omni materia constitutæ sunt, dicendo, quia contrarium est valde difficile, & durum, nec quærunt, quibus utrum carnalibus, & mundi sectatoribus, an spiritualibus, & in Christo requiem invenientibus; item dicendo, quia alioqui damnarentur plurimi; ubi subsumere, & probare oportet, noo damnari plurimos; sin minus deficiunt, & peccant probatione similes omnes, & ea pars doctrinæ tota, quæ his fundamentis innititur.

Ut porrò de tota doctrinæ nostræ serie a principio dicam, hoc opponunt, hoc clamant, scilicet ex illa damnari plurimos: Etenim part.1. aliud vix fecimus, quam ut ostenderemus consueta probabilia, nec regulam morum esse, nec excusare à peccato, sed in omni concursu horum probabilium nos teneri ad partem legis, sive magis, sive æque probabilem. At quasi Dominus dixisset videte, nolite errare, ea via ducit ad vitam, per quam non pauci, sed multi ambulant, opponunt fidentissime, plurimos esse, qui ex iis probabilibus vivant; & addunt de suo incredibile esse, durum esse, tot animas damnari. Cum porrò his omnibus, qui sic vivunt, placeat sic vivere, displiceat vero damnari, omnes eos sibi conciliant, qui etiam consequenter doctrinam horrent, & lacerant. Similiter part.1. constituimus, solam, & unicam doctrinam veram, quæ sola de cœlo est, esse rectam, ac regulam secundariam, ac subordinatam morum, & conscientiæ. Jam & hinc exurgunt, & dicunt, hoc constituto damnandos plurimos. Et hinc hærent, & hos plurimos in nos movent. Sed o Deus! probandum esset, non damnari plurimos: quod si probare nusquam possunt quid hoc ex loco conscientias, moresque regunt? *Confundantur*, dicebat Augustinus, *qui tibi dicunt, euge euge*. Hoc ipsum ferme formale punctum fuit controversiæ verorum Prophetarum, & falsorum plurimorum; nam hi placentia annunciabant, & inculcabant p. illud, pax, pax, & non erat pax. Veri e contra prædicabant tristia; *a majori usque ad minorem omnes avaritiæ student: popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*; & similia molesta, & dura sexcenta, quæ plurimum plerisque displicerent: atque ea de causa veros Prophetas persecuti sunt.

Jam ut ad part. 2. veniam quidquid de ignorantiis ingenere lib.1.& de Magistr. obligat.lib.2. & de invecibilitate veritatis moralis in 3. quid quid demum hoc lib.4. de signis, & notis veritatis moralis disseruimus, eam consequentiam habet ansam de interitu plurium, & salute paucioum. Hinc ergo dicent totam doctrinam absurdam, & falsam, nec ferre eam volent. Sed utinam verum non esset, & sæpè ex Augustino resumpsimus, *nemo optando facit, ut verum sit, quod verum non est*; nemo item opinando, aut non audiendo, aut aures avertendo, aut doctrinam aliquam exhorrescendo faciet, ut vel unus amplius salvetur, aut si pauci sunt, tant illo plures fiant.

§. II.

Hoc idem objectum fuit doctrinæ Salvatoris.

Extat Matth. 19. Domini cum eo pravo adolescente collocutio, qui Dominum non discendi, sed tentandi animo rogavit, quid faciendo vitam æternam consequeretur. Respondit Dominus, & jussit servare mandata, eaque commemorat. Tum vero superbus adolescens, *omnia hæc*, inquit, *custodivi a juventutem ea. Mentitur adolescens*, inquit Hieronymus; *si enim hoc, quod positum est in mandatis diliges proximum tuum, sicut te ipsum, opere complesset, quomodo postea audiens, vade, & vende, &c. tristis recessit?* Et consentiunt Ambrosius, Augustinus & alii, eum plane mentitum, & si alii dissentiant. Abiit itaque tristis, ex quo Dominus, si vellet perfectus esse, omnia vendere jussit, dareque pauperibus. Etenim ut quæst. præc. visum est, & si cum actuali possessione divitiarum, & vitam æternam consequi quis possit, & perfectionem etiam status sui propriam comparare; at de se possessio illa impeditiva est, statumq; ipsum actu possidentium imperfectiorem efficit; & si extraordinaria gratia non repugnet, duos esse perfectos, alterum bona possidentem, alterum, quia omnia sua reliquerit, & tamen esse pares, vel etiam meliorem eum, qui voluntatem Dei in eo sectatus nihil actu reliquit, ut Abraham, Job, & alii.

Hujus divitis adolescentis occasione Dominus eam de divitibus universim doctrinam tradidit, quam nondum multitudo credere velle videtur. *Jesus autem dixit discipulis suis*, & verum utique dixit: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum cælorum. Et iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acûs transire, quam divitem intrare in Regnum cælorum.* O Domine hæc dixisti, & hæc nobis consignasti; pro quorum veritate, si rite Catholici sumus, vitam etiam dare parati sumus; & tamen quid plerique cogitant, agunt, tractant aliud, quam quomodo divites esse possint?

Nunc ad quæstionem: *auditis autem his, discipuli mirabantur valde dicentes; quis ergo poterit salvus esse?* Ecce quæ sit illatio doctrinæ Salvatoris Nec enim ipse tamquam ineptam, aut calumniosam illationem repulit, aut rei magnam difficultatem, quam ipse immediate omni expressione statuerat, diffisus est, aut diffiteri potuerat: sed inquit: *apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia sunt possibilia*: cujus scilicet virtute, & gratia difficultas hæc tanta superari, unicuique possit. Ubi sunt ergo, qui quasi ista in ipso Dei Evangelio scripta non essent, doctrinam aliquam ex hoc horrent, & respuunt, dicentes, *quis ergo poterit salvus esse*? Cum hoc ipsum objectum sciant doctrinæ Salvatoris? Nos porro idem, quod Dominus respondit, respondemus, ea, quæ tradidimus, apud homines esse impossibilia; hoc est, viribus nostris, industria humana, prudentia sæculi, sapientia carnis, conformandoque nos huic sæculo esse impossibilia; at in Deo, virtuteque ejus, & gratia possibilia esse, & in actum reducta à paucioribus illis, quos ad imitationem dedimus, qui Deo adhæserunt, atque in ipso metam transgressi sunt, quorum brachia, ut arcus æreus, & pedes quasi cervorum facti sunt.

Dominus itaque in hoc uno adolescente divite

divitum

divitum plerumque conditionem, naturamque expressit, qui ubi Thesaurum, ibi & cor suum habere solent, indeque universalem de divitibus doctrinam deduxit. Inferius vero hoc etiam ex loco usuri sumus pro paucitate salvandorum colligendo, & statuendo.

Nunc autem hoc §. non aliud est consilium, quam ostendere, admirationes illas, & oppositiones, quod plurimi damnentur, & pridem factas fuisse Domino, esse prorsùs vanas, & miserandas, cum statui, probarique numquam possit, plures esse, & non comparative pauciores, qui salvi fiant. Quinimo ex insinuatis modo, & ex dicendis hæc consecutio valet: doctrinam istam sequendo, & juxta eam vivendo fieret, plerosque salvari, & pauciores damnari; ergo falsa ea est, & doctrinæ Christi contraria: nisi saltem modum vivendi communem homines communiter mutarent. Neque tamen valet e contrario, doctrinam aliquam esse veram, quia ex illa sequitur, damnari plurimos, salvarique pauciores; quia ex circumcellionum, Cataphygarum, Eustathianorum, aliorumque hæreticorum erroribus etiam hoc sequebatur. Sed inferius ista magis exponentur.

§. III.

Consultum ergo est, ac valde oporteret fidelibus omnibus hanc de paucitate salvandorum doctrinam sæpè denunciare, & bene persuadere.

Sunt sanè, & quidem plurimi sunt, qui hanc de paucitate salvandorum doctrinam, aut discuti, aut audire prorsùs nolint; quemadmodùm alii aut mortuos videre, aut de morte loqui, tractareque recusant, quia tristari nolunt, nec male dormire. Sed hæc est dispositio, pravaque affectio hoc mundo, & vita læte per frui volentium, & salutem futuram, & mortem vel vix credentium, vel parum certe curantium. Quin hoc suo facto fatentur tacite, se parum momenti habere, unde salutem sperent, hocque fidelis conscientia sibi suggerit: nam omnis anima naturaliter gaudet, lætaturque spe bene fundata suæ futuræ salutis, æternæque gloriæ. Ergo si causam suam rectè fundatam corde crederent, non detrectarent, quin amarent, eam rite discuti, beneque examinari, & audire, ex quo quippe materiam magis gaudii, & consolationis, quam tristitiæ, mærorisque putarent sibi obventuram. Et ergo hæc tergiversatio, & recusatio, auriumque obturatio quædam, quasi tacita suæ malæ causæ, damnationisque confessio.

His vero dimissis adeo prave affectis, sunt quidam, qui specie quadam pietatis arbitrantur, ista non esse fidelibus, & populo inculcanda. Primum quidem, quia terrerentur nimium: & deindè quia periculum erit desperationis; ex quo demum projecta omni spe salutis, homines deteriores fient, quia multi modo sua quali quali spe salutis si non ab omnibus, a multis tamen, & quidem gravioribus sceleribus abstinent.

Secundo quia Dominus lucæ 13. interrogatus de hoc ipso puncto, noluit directè respondere, sed quæstionem potius divertit: *ait autem illi quidam, Domine, si pauci sunt, qui salvantur? ipse autem dixit ad illos: contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis quærent intrare, & non poterunt.* Ecce Dominus nihil vult respondere, utrum pauci, vel multi salventur, sed velut quæstionem inutilem præterit; cujus sensus est Cyril. in cat. S. Thomæ.

Addent hoc esse punctum mere speculativum, nihilque conferens ad morum, conscientiæque rectitudinem, ac sanctitatem. Addent postremo, quæ est aliquotum Theologorum opinio, rem esse nobis imperviam, & inaccessam; quemadmodùm si quæreremus, quot omnino sint arenæ maris. Res nimirum hæc tota pendet ex abdito divinæ prædestinationis, & occultis judiciis Dei; quis enim, vel unde sciat quot, & quos ipse prædestinaverit? Quare ut Theologi statuunt, in certus est quoad nos numerus prædestinatorum. Qui autem nescit, quot sint, scire videtur non posse, num pauciores sint, vel plures. Atque hæc in summa sunt, quæ pro quæstione ista releganda, vel tenebris omnibus obvolvenda movere solent, vel possunt.

Dicimus nihilominus, consultum esse, valdeque oportere fidelibus omnibus inculcare hanc doctrinam de paucitate salvandorum. In primis enim Theologi aperte de ea tractant 1. part. ut videbimus; sancti Patres in ipsis concionibus, & homiliis eam denunciarunt: nunc etiam imitantur Missionarii Apostolici, & non ad desperationem, sed ad contritionem, & timorem Domini, qui initium est sapientiæ populos movent. Sed quod maximum est, Dominus ipse hanc doctrinam, & sub ipsis terminis de paucitate salvandorum, hoc est, viam vitæ ambulantium, & sub aliis æquivalentibus sententiis palam intimavit; nec umquam eam aut occultavit, aut tergiversatus est; sed in hoc etiam nuper ex Luca allato expressit: nam ut inquit Augustinus, & probat serm. 32. de verbis Domini, *confirmavit Dominus, quod audivit, scilicet quod pauci sint, qui salvantur: quia per angustam portam pauci intrant: alio autem loco hoc idem ipse ait: arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui ingrediuntur per eam.* Nec alicubi excidere Domino potuit, quod reticere, occultareque oporteret. Quin omnes ferme Evangelicæ, Apostolicæque paginæ collatæ cum vita, studiisque hominum hanc paucitatem miserandam sanè probant.

Jam ergo ne populi terrerentur, oportuisset Evangelium occultare; & quorsum Dominus §. præc. adeo conterruit divites, tamque difficilem eorum salutem expressis adeo verbis declaravit? Num nibil refert, utrum divites perterrefiant; refert autem, ut læte vivant cæteri? Sed vero ut videbimus, in divitibus pauperes etiam conterruit, & eorum periculum demonstravit. Et quorsum Dominus teneris etiam Virginibus non pepercit, sed ex decem damnatas quinque perhibuit? Et sic de aliis, quorum aliqua inferius damus. Certe prætextus illi allegati, ut hæc de paucitate salvandorum doctrina prætereatur, sapientiam carnis, & sæculi redolent; nam eodem modo, quod ne fas dictu est, suadent, consultius futurum, si Dominus non totam legem, qua homines conterrerentur, servareque desperatent, & sic deteriores fierent, sed benigniorem aliquam partem tradidisset: tacuisset vero illa: *diliges proximum tuum sicut te ipsum: Ergo autem dico vobis, diligite inimicos vestros: qui autem dixerit fratri suo, fatue: reus erit gehennæ ignis:* ac hoc genus cætera innumera: quibus auditis, quia omnia exequi non audent, omnia omittet, pessimiq; fient. Num ergo placeat ludere etiam cum Evangelio, desperéq; utrum satius fuisset futurũ plurima in illo supprimere, atque dissimulare, ne mundus conterreretur, tergaquo verteret, & præcipitantet desperata salute ad vitia ruerent?

Itaque hujus præsentis causæ, num scilicet evulganda sit, vel non sit paucitas salvandorum, atque Evangelii una est ratio. Nam vel quis sequitur, ac perficit, quæ Evangelium jubet? Et his nihil audiet, unde nimium terreatur, vel diffidat, sed magis, unde spem hauriat suæ salutis, sive multi, sive pauci salventur. Vel non sequitur, neque exequitur, qua Evangelium præscribit? Et tunc Evangelium potius esset occultandum: nam doctrina de pauciratc salvandorum quasi consequentia quædam ex Evangelio; imò nec consequentia quidem remorior, aut latentior, sed in ipsomet etiam Evangelio conrestata.

Unde sic argumentamur; oportet, quin maxime oportet, sanctum Evangelium, omnesque sententias ejus, & clausulas omnibus continuo inculcare, & ingerere. Sed hujus de paucitate salvandorum doctrinæ una, eademque est ratio. Ergo oportet, quin maxime oportet eam omnibus continuo inculcare, & in gerete. Si scilicet quisque Deum, & proximum v.gr. ut jubetur, diligit, legem implevit, nihilque diffidet; si non diligit, valde oportet, ut rerreatur, & concutiatur, non ad desperationem, sed ad salutem, & pœnitentiam.

Quinimo hæc paucitas salvandorum doctrina, hoc saluris uniuscujusq; in tanta pereuntium multitudine in gens periculum velut constantia, & robur est omnium motivorum inducentium ad timorem sanctum Dei, sine quo salus obtineri nequit: *Ubi enim timor est*, ait, Nazianz. orat. 39. *illic quoque mandatorum observatio*; & Tertul. supra, ubi non timetur, Deus non est. Etenim mors, Infernus, extremumque judicium parum movent sine illius periculi cognitione. Videt enim unusquisque, horrendas quidem esse pœnas Inferni; at si eas quasi pro aliis futuras arbitretur, se autem amore proprio, vanisque pollicitationibus tutum credat, non magis movetur, aut timet, quam timet, aut movetur, quando non ipse, sed alius quispiam vel suspendendus est, vel comburendus. Fatetur itaque, summum malum esse damnari; at non credit, aut levissime, aut nescio, quo pacto credit, se tantum malum incurrere posse.

Sed magis practice hoc ob oculos ponamus. Sint in hac urbe v.gr. Centum mille fideles adulti: credant vero, ex tanta multitudine damnari paucissimos, puta, eos solos, qui cum luxuriæ dediti sint, vel homicidia perpetrent, subitanea morte, Sacramentique vel nullatenus, vel valde tumultuarie susceptis, obeunt; & utinam plerique a motis proprii fucis aliorumque adulationibus non exiltant ita persussi, paucissimos quippè offendimus, qui practice, & corde, vereque de se ipsis timere videantur. Jam hac posita persuasione, multitudo metu inferni, aut judicii non multum movetur; nam se primum vident non ita in sensibilibus his vitiis scelestos, & si forte scelestiores re ipsa sint: & in tanta paucitate pereuntium, eorumque nequissimorum exiguum, & vix ullum periculum practice plerique apprehendunt: unde nec timent, nec soliciti sunt in salutis negotio, sed oscitantur, torpentque: & propterea pereunt.

Navigaremus hiuc in Indiam, & ingenti tempestate periclitaremur: crederemus vero, nullum, vel exiguum esse periculum, & in quo scaphæ solum aliquæ, non autem magna navigia mergi possent. Negligerent sanè nautæ, & hæc negligentia causa esset naufragii totius Classis. Quis ergo tam Vesanus ille est, humanique generis tam atrox hostis, qui asserat, qui disputet, qui nolit navigantes moneri ingentis periculi. Terrebuntur, inquis, affligentur, conterentur? Quid verò erit terror ad salutem: vigilabunt, laborabunt, niteuturque ne tempestare obruantur; & si alioqui omnes perituri erant, diligentia sua, laboreque facient, ut pereant pauciores. At nisi sancti Dei desipuerint, sumus in simili periculo. Ergo crudelitas quædam est nolle tanti periculi certiores reddere homines; pietas vero, & benignitas admonere, arguere, obsecrare, increpare in omni patientia, & doctrina. Sapienter scilicet Apostolus ad Corinth. Epist. 2. cap. 7. scribit: *quoniam, & si contristavi vos in Epistola, non me pœnitet: & si pœniteret videns, quod Epistola illa, & si ad horam vos contristavit: nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.*

Vanum vero est, quod de nimio timore, desperationeque obtenditur. Nam videmus primum, ista inculcari in missionibus, nec desperare fideles, sed compungi. Deinde à sapientissimo Autore injectum est hominibus naturale desiderium suæ beatitudinis; contra quod est, & ideo violenta, & rata est desperatio totalis, & expressa; quare si sui maximi periculi certiores fiant, magis naturale erit, & frequentius, quod periculum evadere nitantur. Postremo videmus, raros eos esse, qui omnem suæ beatitudinis spem prorsùs abjiciant, & ipsi illi, de quibus paulo ante dicebam, qui causam suam evolvi nolint, & hinc quasi desperare videantur, aliunde simul magnam quamdam salutis confidentiam admiscent, & contraria simul implicant: sunt autem plurimi, qui timoris Dei expertes dissolutissime vivant. Et absolute manibus ipsis palpamus, mundum non excedere, sed plurimum deficere in timore. Non ergo quasi nimium timenti motiva, doctrinæque timoris occultandæ sunt, sed magis tamquam parum, vel nihil timenti ingerendæ, inculcandæque: sicut a contrario propter causam contrariam agimus cum scrupulosis vero talibus, qui paucissimi sunt, sed stultus mundus timorem Domini scrupulos vocat, & conscientias fascinat.

Illud vero magis necessariam reddit hujus doctrinæ divulgationem, & inculcationem; quod multæ opiniones morales contrariam persuasionem, eamque omnino falsem sensim fidelibus ingesserint. Sunt enim assumptiones illæ frequentes, quibus dicunt, hoc, aut illud non esse obligatorium, quia est durum, & difficile; & quia si ita esset, peccarent plurimi, pauciores essent in statu gratiæ, & pauci salvi fierent. Dum ergo hæc tamquam absurda ingerunt, & repetunt, & diffundunt, supponunt, legem Christi esse rerum facilium, & suavium; non peccare, existereque in gratia, & salvari non esse paucorum, sed plurimorum. Cum ergo ista tam falsa quidam latissime propagaverint, plurimisque persuaserint, non tam consultum, quam necessarium est, falsam istam, & valde noxiam persuasionem evellere, fidelesque veritatis, suique, nisi vigilent, maximi sanè periculi commonere.

Disserat hæc circa Chrysostomus lib. 1. de compunct. cordis sub initium. *Lugendum est enim, & vere lugendum, &c. Sic enim omnia confusa, sic sunt cuncta resoluta, ut ne vestigium quidem virtutis usquam videas, & quod est infelicius, perurgentium nos malorum jam nec ipsi sensum capimus, nec aliis præbemus, nec alios*

monemus &c. Et contingit nobis. quod illis solet, qui vel phrenesim patiuntur, vel mente capti sunt; a quibus cum multa turpia, & periculosa vel dicantur, vel etiam geruntur, nec pudoris tamen aliquid, nec pœnitudinis capiunt; quinimo magnifici sibi, sapientioresq; sanis videntur.

Atque multa hujusmodi prosecutus: *ob hoc enim,* subdit, *tales diabolus suggerit sensus, & intelligentias hujusmodi ignavas animas docet, ut præsentis interim temporis resolvat vigorem, arguendas sine dubio in die judicij, ubi jam pœnitentia nihil proderit. Quid enim utilitatis erit huic, qui nunc seducitur, si tunc intellexerit errorem suum? Non ergo inaniter decipiamus nosmet ipsos,* &c. Quid, inquam ego, nobis proderit, nunc credere, omnes salvari, aut scire nulle, si demum post inertem vitam judicium subituri sumus, experturique, utrum plurimurum vita sufficiat, an potius pauciorum omnino requireretur.

Sed vero nec viriliter agere volumus, nec stimulos conscientiæ pati, sed magis quoquomodo nosmet decipere: & ne forte rei videamur contemptus, inquit Chrysostomus, *& conscientia pondere prægravemur, ad abjiciendum prævaricationis metum aliis nosmet prava intelligentia laqueis irretimus, &c. Ex hoc enim necessario quasi jam licite peccamus.*

§. IV.

Opiniones Theologorum de paucitate, vel multitudine salvandorum breviter indicantur.

SUpponunt primum omnes ex Apocal.7. aliisque ex locis maximum esse numerum prædestinatorum; *vidi turbam magnam, &c.* Et Augustinus Serm. 32. de verb. Domini egregie declarat: *Multi certe, & pauci, qui multi, pauci in comparatione multorum perditorum; multi in societate Angelorum;* & vel numerus ipse sanctorum Martyrum quodammodo innumerabilis est, & incredibilis pœne videtur ea Martyrum duntaxat supputatio pro unoquoque die, quam vix in primis Theologus Franciscus Arias facit. Supponunt similiter loquendo de omnibus omnino hominibus plures sine comparatione damnari, cum plures multo sint extra Ecclesiam infideles, hæretici, & alii, qui unà omnes nullo excepto pereunt, ut lib.3. constitutum fuit.

Quæstio ergo est de fidelibus Ecclesiæ filiis; de quibus opinio est, Vazqois incertum esse, utrum plures, vel pauciores salventur. Atque hæc sola incertitudo sufficeret, ut omnes ad exactissimam quandam diligentiam obligaret, ut superius ex magnitudine periculi argumentati sumus.

Altera opinio Suarez lib.6. de prædestinatione cap.3. Cartagenæ, Granadi, & aliorum statuit, ex fidelibus plures salvari, quam damnari: nihil vero de parvulis, & adultis distinguere, sed omnes comprehendere videtur; maxime vero Suarez: & si de adultis solum opinio agit, verissimam puto censuram Didaci Ruiz de Montoia tomo de Prædest. d.p.54. sect.1. Hæc opinio, inquit, magis optabilis, quam probabilis, suos Autores invitavit affectu voluntatis, quam traxit rationis, & autoritatis pondere. Sed quod sæpè dico, optando non facimus, ut salvetur vel unus, quin id causa erit, ut dormiant profundius homines.

Vera & communis opinio est parvulos non computando, & de adultis fidelibus loquendo damnari plures. Est D. Thomæ 1. part. quæst.53. art.7. ad 3. Cajetani in parab. de virginibus, Carthusiani, Lyrani, & aliorum apud Muntoiam; sc ejusdem Muntoiæ, & Maldonati in cap. 22. Matth. Molinæ 1. part. quæst. 53. art.7. Cornelii Alapide in cap.2. Epist. Jacobi, & apud ipsum Alfonsi de Mendoia, & Benedicti Justiniani, qui cum prius contrarium docuisset, rationum pondere coactus fuit sententiam retractare: & aliorum, quorum longas terere catenas non consuevimus; cum non eorum numero, sed pondere fundamentorum causæ definiendæ sint: in præsenti autem ea supperunt paucitatis fundamenta, ut dubitare non sinant, & Montoia, Alfonsus de Mendoia, & Alapide rem prorsus evicisse videtur.

Sed enim, ut paulo ante animadvertebam, hæc ipsa lis, & quæstio, controversiaque summa rerum aperte probat obligationem gravissimam omnium ad vitam diligentissimam, & ex hoc ipso merebuntur damnari, qui obstupescunt, languentque in tanto salutis uniuscujusque discrimine. Rectè autem post exactam a se adhibitam Hispali diligentiam de numero puerorum ante usum rationis obeuntium tradit Montoia, iis comprehensis, & numero adultorum adjunctis, plures salvari.

§. VI.

Opinionis plures salvantis fundamenta magis videntur bona desideria, sed inutilia, quam fundamenta.

INcidit sæpè in similia desideria Augustinus agendo jam cum Pelagianis, qui nescio qua beatitudine pueros non baptizatus donabant; jam cum Origenistis, qui ex inferno etiam ipso aliquos demum eripiendus desipiebant; hancque non pro futuram indulgentiam vocat, illudque realis ingenii Doctor vidit, neminem oprando facere, ut verum sit, quod verum non est.

Hæc ergo opinio similibus desideriis connititur. Primum inquit, juxta Gregorium tot salvos fore homines, quot Angeli ceciderunt: at horum numerus fuit maximus, & de numero Angelorum extant sanè opinione raræ, & aliqua adeo eos multiplicat, ut omnes etiam homines vix suffecturi videantur æquando numero Angelorum, qui lapsi sunt, & perierunt: unde paganos quosque, & scelestos salvare cogemur.

Respondemus, hoc fundamentum esse a longinquo petitum, & lubricum. Nam primo S. Thomas eo art.7. incertum relinquit, num numero eorum Angelorum par futurus sit numerus electorum. Nescitur deindè, quantus is numerus Angelorum fuerit, & utrum adæquandum necessaria sit major pars fidelium adultorum. Numerus denuo parvulis suppleri potest; item diutius conservato mundo: item permissis à Deo pluribus persecutionibus; quo tempore ex perseverantibus in fide plures sanè salvantur, ut tribus primis sæculis Ecclesiæ: non ita in extrema tribulatione; nam pleriq; deficient, ut in Evangelio, & Isai.24. & Mich. 7. prædicitur. Ne vero ullo autoritatis robore opinio ista communiri videatur, Gregorius quidem posuit eam numerorum proportionem; at non ideo inde deduxit, plures fideles salvari, sed contrarium docuit hom.19. in Evang. ut referemus.

Arguunt deindè autoritate S. Damasceni in oratione de fidelibus defunctis. Sed Respondeo cum Montoia sect.5. & aliis eam orationem non esse Damasceni, nec sanæ doctrinæ. Prætereà arguunt ex Parabola de convivio, in quo ex invi-

tatis unus solus petiit? Inferant jam ex fidelibus unum solum perire. Deinde ex parabolis seminis, ex invitatis sese excusantibus; & virginum non tam ex numero designato, quam ex doctrina ipsa parabolarum longe fortius contrarium deducitur. Quin ex hoc uno invitato damnato probatur contrarium juxta argumentationem Augustini lib. I. contra Advers. legis cap. 16. *Sed hoc dico, inquit, quantum iste existimet fuisse peccatum, quod in convivio nuptiali inventus est homo vestem non habens nuptialem? Puto, si humana consideratione ista metiamur, huic aliquantulum sufficere debuit erubescere, & ut plurimum invitantis indignatio protenderetur, vestem mutare compelli: & tamen dictum est; ligate illi manus, & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Si ergo hoc, & similia, quæ si humana ratione metiamur, vix culpas, aut levissimas censeremus, ad damnationem tamen justo Dei judicio sufficiunt, certe sequitur, non damnari paucos, sed plurimos: atque in parabolis Domini non tam leviter in numero, quam in doctrina ipsa, salutisque, vel damnationis causa, & ratione esse insistendum. Tu hic hære, & vide, num in prophanis adeo vestibus, ac semi nudę fœminæ vestem nuptialem afferant ad cænam agni Dei pro nobis crucifixi, in cujus passionis memoriam communicamus.

Quarto arguunt ex loco communi bonitatis, ac misericordiæ Dei. Sed in hoc non est immorandum; nam pariter inde argui potest pro salute vel omnium prorsùs hominum, vel fere omnium: cum pro omnibus mortuus sit Dominus, omnesque voluerit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quin nisi experientia contrarium constaret, ex eodem loco, & jure, argui posset, omnes ad agnitionem veritatis venisse. Imò fideles, nisi sanctè vixerint, eo minus digni sunt misericordiæ Dei. Consecutio itaque ista, misericordiæ Dei non est numerus; ergo plures fideles salvantur, tam est vana, atque ista; ergo plures absolute homines salvantur, aut Sacerdotes salvantur, aut Petrus salvabitur. Sunt infinita in sanctis de hoc abusu misericordiæ Dei: & scriptum est, ne dicas, miseratio Domini magna est, &c. Eccles. 5.

Quinto arguunt fere omnes fideles adultos obire susceptis Sacramentis: Ergo fere omnes salvantur. Consecutio est prorsùs nulla, ut copiose efficacissimeque autoritate, & ratione commonstrat Montoia, & Alapide, & nos etiam dicemus. Imò constabit consequentiam esse absurdam: nam regula Dei, & sanctorum est divinæ providentiæ valde consentanea, male viventium malam esse mortem, nam mors peccatorum pessima; quæ proindè non in pluribus, sed in paucioribus, raroque fallit: plurimi autem male vivunt: Ergo etiam suscipiendo Sacramenta male obeunt, quia male suscipiunt. Quod mirum esse nequit, cum sub ipsis etiam Apostolis, eorumque lacte, primitusque spiritus educati fideles multi indigne communicarent: *ideo inter vos*, scribit Apostolus 1. ad Corinth. 11. *multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmet ipsos judicaremus, non utique judicaremur, &c.*

Atque hæc ferme sunt, & plane nulla sunt, quibus eam suam opinionem, vel magis desiderium stabilire conati sunt contra tot Evangelii, & scripturæ sententias, sanctorumque Patrum fidem inconcussam. Sed prohibiti à Domino sumus linire parietes absque paleis sine temperatura Ezech. 13.

§. VI.

Sanctorum Patrum constans sententia fuit plures fideles adultos damnari.

ORdiamur à Præceptore Scholarum S. Thoma 1. part. q. 23. art. 7. objicit sibi in argumento 3. plures salvari, quam damnari. Et subdit: *cujus contrarium ostenditur* Matth. 7. *Ubi dicitur, lata, & spatiosa est via, &c.* Ad 3. *dicendum*, inquit, *quod bonum proportionatum communi statui naturæ accidit ut in pluribus, & deficit ab hoc bono ut in paucioribus: sed bonum quod excedit communem statum, invenitur ut in paucioribus, & deficit ut in pluribus: sicut patet, quod plures homines habent sufficientem scientiam ad regimen vitæ suæ; pauciores autem, qui hac scientia carent v. g. stulti: sed paucissimi sunt, qui attingunt ad habendam profundam scientiam intelligibilium rerum. Cum igitur beatitudo æterna in visione Dei consistens excedat communem statum naturæ præcipue secundum quod est gratia destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt, qui salvantur. Et in hoc etiam maxime misericordia Dei apparet, quod aliquos in salutem illam erigit, a qua plurimi deficiunt.* Salus ergo æterna est res ut in paucioribus contingens, sicut profunda scientia, etiam respectu eorum, qui scholam sequuntur.

Hieronymus moribundus in exhortatione ad suos de divitibus & potentibus, *si Christus verax est*, inquit, *hujusmodi hominum vix unus aptus regno Dei invenitur de mille.* At horum, & cæterorum salutis par plus minus est existimatio in mundo. Matth. 20. de divitum salvandorum difficultate: *ubi difficile*, ait, *ponitur; non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur.*

Augustinus frequenter hanc veritatem tradit. Serm. 18. de verb. Dom. cap. 19. & lib. 10. contra Faustum Manichæum cap. 16 bonos paucos esse censet in comparatione multitudinis malorum & in psalm. 25. enarrat 1. tam paucos putat, ut inter paleas non se tangant, neque norint, indeque cavet, ne bono cuique cogitatio illa obrepat, quæ Heliam tentavit, quod solus sit. Item lib. 1. contra Donat. cap. 20. & serm. 32. de verb. Domini & aliàs.

Copiosius vero in psalmo 47. rem totam, & irrepentes malas cogitationes notat, atque declarat. *Jam hinc occurrit cuique cogitanti. Et quid? Iste populus qui in medio populi suscipit misericordiam, quantum numerum habet? Quam pauci sunt? Vix invenitur aliquis. Illam contemnens erit Deus, & perdet tantam multitudinem? Dicunt hoc, qui sibi promittunt hoc, quod à Deo promittente non audierunt.* Sic & in ista quæstione bonam mortem plerisque male viventibus promittunt, quod à Deo promittente non audierunt.

Prosequitur: *quot enim sunt illi, qui videntur servare præcepta Dei? vix invenitur unus, vel duo, vel paucissimi.* Hinc pravi inferunt, tantæ multitudinis Deum misertorum in judicio. Hæresis ista est, quam modo nulli inferunt; at vel inferunt, vel ponunt misertorum Deum in morte, & promittunt hominibus, nequaquam se morituros, perituros que.

Hoc plane, subdit Augustinus, *serpens etiam promisit primo homini, &c. absit*, inquit, *non morte moriemini. Crediderunt serpenti; invenerunt verum esse,*

quod

quod minatus est Deus; falsum, quod promiserat diabolus. Ita & nunc, fratres, ponite vobis Ecclesiam ante oculos ad instar, similitudinemq; paradisi; non cessat serpens suggerere, quod tunc suggessit. Sed casus primi hominis ad experimentum nobis debet valere, non ad imitationem peccandi. Respondeamus talibus suggestionibus, quod respondit Job, &c.

Ergo non audiamus tales voces, nec putemus, paucos esse istos: multi sunt, sed inter plures latent. Non possumus enim negare, plures esse malos, & tam plures, ut inter eos boni prorsùs non appareant: quomodo non apparent grana in area. Nam quiquis aream videt potest putare, quod palea sola sit, &c. Ita sanctis Dei Doctoribus Ecclesiæ sentientibus, ludant, & illudant, qui volunt; dicantque nequaquam moriemini.

Ambrosius lib. de Noe cap.11. *quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. Multi hominibus justi videntur; pauci Deo; aliter hominibus, aliter Deo; hominibus secundum vitæ speciem; Deo secundum puritatem animi, & virtutis veritatem.* Certe si Noemi tempore hoc, quod Deus dixit, quisquam nostrum dixisset, *quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus*, & solum Noemum cum septem aliis animabus ex universo genere humano justum esse desipere, ac furere visus fuisset.

Ruraùs Ambros. in psalm.1. de via justorum, peccatorumque, & de utriusque differentia, ex qua paucitas justorum constet, multa disserit, inter quæ: hic, ait; *convivium: illic jejunium. Hic in temperantia gaudiorum: illic perseverantia lachrymarum. Hic cantus dulces: illic gemitus graves. Scriptum est quidem cor sapientium in domo luctus; cor stultorum in domo epularum, &c. Sed pauci hæc audiunt; pauciores sequuntur.*

Magnus Gregorius homil. 19. in Evang. *Sed post hæc terribile est valde, quod sequitur; multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Quia & ad fidem plures veniunt, & ad cœleste regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam festivitatem, quam multi convenimus: Ecclesiæ parietes implemus: sed tamen quis sciat, quam pauci sunt, qui in illo electorum grege numerantur. Ecce enim vox omnium Christum clamat; sed vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus sequuntur, non moribus.* Sed hi plerique, ais, in morte convertuntur. Verum hæc non est doctrina sanctorum, sed tua, & contraria; non vera, sed falsissima, & quæ plurimos perdere sufficiat. Rursùs lib.27. in Job cap.22. describit angustias, & arctitudinem viæ, semitæque justorum; ex qua descriptione constat, quam sit paucorum.: & Dialog. lib.4.cap.36. valde angustam dicit semitam, quæ ducit ad vitam.

Ex Chrysostomo pauca illa, & trita proferamus ex hom.40. ad popul. Antioch. urbem tunc temporis amplissimam, & in qua primum Christiani vocari cæperunt. *Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? Infestum est, quod dicturus sum, dicam tamen: non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur; quin de his dubito. Quanta enim in juvenibus malitia? Quantus in senibus torpor? &c.* Ajunt quidam satis quidem irreverentur, eum hyperbolice locutum. Respondemus noa, ipsos Joco locutos. Jam ergo & Hieronymus, & Augustinus, & cæteri sancti Dei hyperbolice locuti sunt; & ipsi soli sapiunt, qui sine scripturis, & sanctis in summa rerum decernunt. Jam rursùs totus quantus divinissimus Chrysostomua deleri poterit, & semper hyperbolicus haberi; nam in omnibus ferme paginis eam salutis viam designat, ut paucitas salvandorum consequatur. Jam iterum hoc idem fieri poterit cum sanctis omnibus. Denuo quia Chrysostomum peccati mortalis excusaret, si in re tanta tantopere scienter excessisset? Scripturæ ajunt, aliquando hyperbolice loquuntur. Scimus sanè hoc. Jam hinc explicent scripturas semper dicendo sensum esse hyperbolicum, sive cum Dominus divitum salvandorum difficultatem adstruit, sive arctam viam, & paucorum viam vitæ dicit. *Ergo non audiamus tales voces*, monebat nos Augustinus. Iterum Chrysostomus hom. 34. ad Hebræ. *Miror, si potest salvari aliquis Rectorum:* & homil.3. in acta Apostolor. cap.1. *Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant.* Excessit, inquis, Chrysostomus. Et ita etiam D. Petrus, cum ait *si justus vix salvabitur:* Deus quoque ipse, cum ait: *quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus*: item cum dixit: *omnes declinaverunt, &c.* Nobis itaque firmum est cum his Doctoribus sapere, quoa Ecclesiæ etiam infallibili judicio constat, viam salutis scivisse, & peregisse, scientiamque sanctorum habuisse. Gregorius Nazianzenus orat.33. *Quid igitur? cum audis viam unam esse, eamque perangustam, quid his verbis significari putas? Unam sane esse, si virtutem spectes; hæc enim unica est, licet in multas partes secetur; verum angustam propter sudores, & quia non a multis teritur, siquidem multitudinem eorum cogites, qui contrario itinere per vitium gradiuntur, ita mihi quoque videtur.*

Basilius in psalm.1. eodem prorsùa modo, quo Ambrosius, viam justorum, peccatorumque distinguit, ex quo aperte paucitas justorum non tam colligitur, quam conspicitur: & in cap.10. Isaiæ: *nemo obstupescat nemo miretur si tantus numerus Israeliticus populi ad paucos redigatur. Ne tu mentem intendito istis numerosæ multitudini eorum, qui nomine tenus dicuntur religiosi, Deivè cultores. Christi enim nomine multi admodum insigniuntur; per quam pauci vero, qui veraci testimonio operum eam constabiliant, & confirment nomen datum. Si igitur fuerit populus Israel quasi arena maris, reliquiæ ipsorum salva erunt.*

Athanasiua, ut omnes octo Doctores Ecclesiæ conferrem, dum hæc scribo, de fuit; quem tamen fidelissimus sanctorum, Theologorumque, allegator Montoia refert in disceptatione adversus eos, qui in veritate dijudicanda solius multitudinis judicio feruntur.

Nisi vero istam de paucitate salvandorum doctrinam velut incidentem quandam consecutionem tractaremus, & instituto consilio scribendum de ea esset, liber profecto integer teri posset unanimi contestatione sanctorũ, sive cum rem istam sub ipsis paucitatis, & multitudinis terminis definiũt; sive cum ipsam moralem doctrinam ad salutem necessariam tradunt; sive cum de via arcta, & spatiosa; de mala item peccatorum morte: de pœnitentia, ac similibus scribunt. Videri præterea possunt super iis scripturę locis, quæ statim producemus. Toto deindè opere multa testimonia contulimus. Si qui nihilominus erunt, qui dissentiant, precamur, ut rem autoritate agant, sanctorumque aliquorum, qui multitudinibus salotem promiserint, doctrinis nos consolentur; miserandum enim alioqui est, ac valde miserandum existimare, sanctos Dei, Ecclesiæque Doctores in via ipsa salutis scienda, quam eos scivisse certissime credimus, aberrasse.

§. VII.

Perpetuis scripturis eadem veritas commonstratur.

EX iis ordiamur, quæ velut prima principia suæ morum doctrinæ Dominus jecit, & sunt beatitudines; in quibus universo mundo, & sapientia carnis, & sanguinis repugnantia ex diametro, adversantiaque præcepta dedit; atque rectè Maldonatus existimat, non tam ex parabola ipsa operariorum, quam ex hac beatitudinum doctrina Dominum eam consecutionem adstruxisse; *multi ergo sunt vocati; pauci verò electi.*

Jam ii, credo, Domino beati dicuntur, vereque sunt in hac vita beatitudine hic possibili, qui adfuturam, æternamque beatitudinem sunt spee dispositi, dignique; idest, Justi, & filii Dei, hæredes ejus, cohæredesque Christi.

Dicat ergo, designetque palam Dominus ipse, qui certè non fallit, quinam sint hi beati, exquo, utrum multi vel pauci sint, apertè quisque colligat. Apertius Ergo os suum Matth.5. inquit: *beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* At sive paupertas ipsa, sive humilitas intelligatur, hi corde, spirituque pauperes non plurimi, non plerique esse videntur. *Beati*, etiam inquit, *qui esuriunt, & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* At neque hi plurimi esse videntur, sed multo plures, qui nauseant, fastidiuntque virtutem, quam esuriant, & sitiant. Dominus verò non dixit, neque ejus sententiæ congruit, beatos etiam esse corde, & spiritu divites; item fastidientes, nauseantesque, & horrentes vetam justitiam, quæ virtutes omnes complectitur.

Rursum Dominus Matth.19. discrte tradit: *si quis vult venire post me abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: quod non ad Monachos solum dictum, sed ad omnes, sancti superius annotabant. At plurimi esse non videntur, qui non modo de propria abnegatione tractent, sed qui vel hoc propriæ ab negationis negotium ad se pertinere, aut secum loqui arbitrentur. Plurimi sunt, inquis. Respondeo, si plurimi sunt, plurimi salvi fiunt.

Item dicit Matth.11. *a diebus* &c. *regnum celorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Violentorum vero ea natura videtur experientia constare, quod in paucioribus contingant, deficiantque ut inpluribus. Certè multitudo fidelium hanc sibi Vim, violentiamque non videtur inferre. Inquis, contra Luxuriam pugnare, Vimque sibi inferre plurimos. Utinam non multo plures cedant. Deinde magna hæc virtutis castitas sola non sufficit ad salutem.

Præterea de salute divitum, & pauperum consimilis videtur esse in mundo persuasio, & plerique etiam divitum condito suo testamento, susceptisque sacramentis obeunt. Et tamen fallitur mundus existimando, plerosque horum divitum salvari; nam Dominus non fallitur, qui Matth.12. contestatur: *dives difficile intrabit ut regnum celorum*: difficilia autem in paucioribus contingunt; sanctique Patres ita intelligunt ex divitibus raros salvari. Et expono; nam vel fere omnes, vel valde pauci salvantur; nam eodem ferme modo fere omnes disponuntur, quantum videre, conticereque possumus & conversiones quædam raræ rato cernuntur eorum, qui in morte saltem a divitiarum amore cor suum prorsus avellant, Zachæumque imitentur. At absurdum est, fere omnes salvari. Ergo Verum, paucos salvari. Minor, constat ex toto contextu Evangelii.

Quin hæc divitibus doctrina, non ad divites solum re, sed affectu etiam, & desiderio tales pertinet. Nam sapientissimè notat Augostinus quæstion. Evang. lib.1. quæst. 26. *Quod ait Dominus, divitem non intrare in regnum, & discipuli dicunt, quis potest salvus fieri, cum pauci sint divites, in comparatione multitudinis pauperum, ita intelligendum est, quod omnes, qui talia cupiunt, in eorum numero haberi animadvertebant*: quia scilicet ut dictum est, beati sunt non re, qui plurimi sunt, sed spiritu pauperes; nec in divitiis est malum, sed in affectu inordinato, & nimio. At quot sunt, qui similia non concupiscunt? Quot qui dara optione, & addita etiam magna diligentia ditescere nolint: quin plerique vix aliud agere videntur, quam ut habeant, & magis habeant insatiabili quadam fame, & æstu quodam habendi videntur quodammodo furere. Hos etiam comprehendi animadvertentes discipuli in tulerunt, *quis ergo poterit salvus esse?*

Idem colligitur ex regula salvatoris Matth.6. *nemo potest duobus Dominis servire*, hos est quasi disparare &c. Er ex conclusione: *non potestis Deo servire, & mammonæ.* Sed qui Deo non serviunt non salvantur: multo autem plures aut mammonæ, aut honoribus, aut delitiis, Voluptatique inservire videntur. Ubi denuo, quia plerique, non quod Dominus, sed contrarium exhac doctrina Inferunt, seu potius doctrinam, & ejus consequentiam prætereunt, quasi nihil fuisset dictum: nam Dominus infert: *ideo dico vobis, ne solliciti sitie animæ vestræ, quid manducetis, &c.* Er inferius; hæc enim omnia gentes inquirunt. At plerique seu plurimi valdè existunt soliciti, quin hoc est suum vel rotum vel maximum negotium. Et expono; nam non apparet, quod soliciriores esse possent, si non crederent, aut quid avidiores, magisque solicitiexititerint gentes. Ergo in viam gentium abeunt, in mortemque. Concludit postremo Dominus: *Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus*: atque hoc sub obligationem gravem cadere animæ salvandæ, æternitatisque momentum, & permulta alia concludunt. Sed plerique non hoc ptimum negotium esse videtur; cui scilicet minimum cordis, affectus, memoriæ, cogitationis, diligentiæ, temporisque partem impendunt. Invertunt ergo rerum summam. Confirmo; quia plurimi sunt, quibus satis videtur, si Deum non offendaut: hoc rursus suo modo intelligunt, & præcepta charitatis, & alia prætereunr; nec denique se meminerunt servos, & servos qo idem emptitios, magno, que pretio emptos; quorum magnom crimen sit, non servire diligentissime. Facerent hoc servi hominum. Er omnia confunderentur, & caderent. Nom ergo disputandom est, otrum servi Dei simus servireque teneamur. At utre deamus ad principium, plerique aliis magis rebus servire videntur, idque separatim, & disparate, non tamquam Christo servientes, ut Paulus monet; non enim repugnat doobus servire ordinate. Si ergo paucorum est Deum non solum non offendendi, sed ipsi in primis io serviendi cura, pauci plane salvantur.

Item Dominus de hac ipsa quæstione rogatus Luc. 13. *Si pauci sunt, qui salvantur?* respondit: contendite

contendite intrare per angustam portam &c. *Confirmavit Dominus* ajebat Augustinus §. 3. *quod audivit, quod pauci sunt, qui salvantur.* Hoc aperte constat ex ipsis termihis respunsionis *angusta porta, & contendite.* Primo, *quia*, ut inquie Augustinus, *per angustam portam pauci intrant.* Deinda nisi de contentione ipsa sit contendendum, omnes intelligimus, quid sit contendere in lite, bello, in schola; & quæ sit contentio, & quid contentiosè agere. Certe haud plurimi esse videntur, qui contendant intrare per angustam portam, & quibus hæc sit non solùm cura, sed contentio; quemadmodum de meo, & de tuo contendimus; & plerisque contentio potius esse videtur, noo quomodo ad angustam portam redigantur, sed quumodo nihil patiautur, & amplificentur. Videamus sane hos vere contendentes, sau contentiosos in bono sensu, & ut supra dicebat Dominus, violentos, qui per angustam portam contendunt intrare; & si plerique sunt, plerique salvantur; at si veracs conscienciæ nostræ testimonio pauciores sint, plures utique peribunt.

Sed quid moramur? nam hæc quæstio definita est à Domino Matth. 7. *Intrate per angustam portam; quia lata porta, & spatiosa via est, qua ducit ad perditionem: & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est* (Dominus ipse specimen præfert admirantia) *quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* O si totum caput legeretur: de moribus est totum. præmiserat verò immediate illam totius legis summam, & compendium, de quo tractatum est supra: *Omnia ergo, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est lex, & Propheta:* & continenter subdit: *Intrate per angustam portam, &c.* Hæc angusta porta aliud est, quam illud ipsum, quod dixerat, nam *hæc est Lex, & Propheta.*

Jam hic nobis infidelea, & hæreticos, & tenebras offundunt. Sed non de hoc agit Dominus; sed de moribus: atque in hoc totus ibi est, & credentes, & credituros instituit. Deinde infideles, & hærerici extra viam magis sunt, & aberrant. Prorsus præterea ab re fuisset hæc ad infideles saltatio. Rursus hæ duæ viæ spatiosa, & arcta non differunt; alioqui fideles omnes viam arctam incederent, ac proinde ducerentur ad vitam. Ergo post fidem & morum una via spatiosa, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam; & est alia via morum arcta, cujus arctitudinem Dominus ipse mirari videatur, quamque pauci inveniant. Atque hæc Domini quasi admiratio illud ipsum est, *quis ergo potest salvus esse?* Ipsi item termini doctrinæ *angusta, & lata*; arcta, & spatiosa rem demonstrant; si contendere non placeat; nam coangustari, & arctari plerique non solum non amaot, sed horrent; & spatiosa, jucundaque sectantut. Denuo sancti, ut Ambrosius, & Basilius supra; Hieronymus in commentario adhunc locum, & cæteri per hæc angusta, & arcta labores, jejunia, vigilias, orationem, murtificationem, & similia, per quæ sancti, & servi Dei, quos imitandos, sequendosque proposuimus, gradiuntur, & cæteri gradi non solent, intelligunt: sunt autem hi sapientes nostri, & experti, ac in hac máxime scientia periti, quibus sine tergiversatione est standum. Abs re ergo hæreticos hic obtrudunt.

Atque postremo paulo ante dictum est, angustam portam, & arctam viam, & illud, *omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, scilicet tam cogitatione, & verbo, quam opere, esse idem: nam qui hoc implent, legem, & Prophetas implent; sunt ergo in via arcta, & vitæ. At plerique non videntur hoc modo erga proximos esse affecti, non ementes, non vendentes, non contrahentes, non debitores plerique; & contentionibus, dissensionibus, litibus, & sua quærentibus mundus exundat, ut eloquentissima una illa Cypriani epistola ad Donatum ob oculos ponit; nosque superius tractavimus. Concludamus ergo cum Domino: *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt*, ubi Hieronymus, *si pauci inveniunt, pauciores ingrediuntur.* Atque hoc ita intelligentes Sancti Dei, quibus oculi erant aperti, com timore, & tremore salutem operati sunt.

Totius plane Evangelii unus est scopus, & sententia, à convertibilibusque maximis, & principiis morum, totum contextum est, quibus admissis plurimæ opiniones, & consuetudines cessent, sintque quæstiones de subjecto non supponente; quemadmodum de diligente Deum, & proximum supra tractatum est. Huc scilicet pertinet gladius ille missus in terram à Salvatore; huc odium illud Patris, & Matris, &c. In super & animæ suæ, huc ille mundi totius contemptus: *quid prodest homini, &c.* Huc servus inutilis, & arbores steriles. Huc terribilia illa, quæ de scribarum, Pharisæorumque avaritia, & ambitu, hypochrisique Dominus prosecutus est. Non ea illis superbia objicieur, quam quidam, ut mortalis sit, hæresim aliquam involvere debere arbitrari videntur. Non hoc eis objecit, sed quod facerent omnia, ut viderentur ab hominibus, averent primos accubitos, & primas cathedras, & salutationes in foro, ac vocari ab homioibus Rabbi. Hæc nobis melior Theologus Dominus exprubavit: *& væ nobis*, inquit Hieronymus, *ad quos vitia Pharisæorum transierunt: nec enim sibi* (idest in cœlu) *locus est* inquit orat. 40. Nazianzenus, *cuiquam superbo, & arroganti, nec segni, & inerti, nec sordida, nuptiisque indigna veste contecto, etiam si in hac vita splendore illo dignum se censuerit.* Necessitatem dilectionis Dei, & proximi non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate toties inculcavit. Nam plurimi sunt, qoi proximos instar sui ament, qui eos juvent, qui de bonis lætentur, de malis doleant, & alia, quæ a vero amore inseparabilia sunt, peragant? Humilitatem etiam necessariam decrevit, & ut superiua diximus, nullus superbus cœlo potitur. Num ergo plurimi sunt vere humiles, quod a se ut disceremus Dominus in primis jussit? Omitto alia, & quæ de novissimia temporibus, & raritate fidei Dominus præmonuit. De parabolis etiam Evangelij nonnihil inferius disseremus.

Non itaque nobia exploratum est, non libris aliis, sed Evangelio, libroque Dei isto nos esse utique judicandus, & os ille absolvet, absolutos fore; quos damnat, perituros. At non plurimi esse fidentur, qui ex Evangelio vivant, quique ejus maximis, & principiis vitam regant, ad illaque mores suos exigant, & forment. Noo ergo plurimi esse videntur, qui salventur.

§. VIII.

Aliis scripturis eadem paucitas conficitur.

Apostolus ad Galat.5. perspicue tradit: *qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*: qui autem Christi non sunt, salvi non sunt, salvi non fiunt. At non plerique, sed pauciores esse videntur, qui de hac carnis suæ crucifixione cum vitiis, & concupiscentiis tractent. Apostolus sane non mentitur. Colligat ergo consequentiam quisque.

Ibidem describit carnis, & spiritus luctam, & carnis, & spiritus quasi duplicem viam; & utriusque facta, & fructus prosequitur: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, &c. inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, comessationes, & his similia, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Videtur autem plurimos esse, qui hanc viam consequantur: pauciores vero illam spiritus, cujus fructus sunt *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, &c.* Quibus congruit, & terret, quod t. ad Corinth.3. scribit: *cum enim sit inter vos Zelus, & contentio, nonne carnales estis?* ubi ululat plane Chrysostomus.

Idem est contextus de charitatis necessitate, cæterorumque omnium citra illam inutilitate 1. ad Corinth. 3. Describit vero mox quæsit ista charitas dicendo, *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, &c.* Nec est dicendum Apostolum, ubi cæteris sine charitate nihil esse statuit, de una charitate esse locutum; & continenter declarando charitatem ad aliam charitatem faltasse. Eam ergo necessariam posuit, quam ex effectibus suis statim manifestat: at hæc sive perfecta, sive solum incepta pauciorum, atque de hoc negotio pro virili trastantium esse videtur.

Consequens his est, quod ad Roman. cap.8. scribit: *ergo fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis,* (quæ scilicet paulo ante memoravimus) *vivetis.* Causalis vero magis urget, & stringit; *quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Hoc agi est, sicut aliis amoribus divitiarum, honorum, voluptatisque agi, trahique homines solent, ut habemus explicatum ab Augustino in Breviario. Si ergo, qui aguntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei, & cæteri non sunt, unusquisque colligat, quot sint hi, qui sic aguntur, & trahuntur spiritu Dei, & dilectionis. Ubi, ut supra animadvertimus, omnes tres incipientium, proficientium, perfectorumque clauduntur. Hic porro Dei spiritus, & dilectionis est gratia Evangelii, & filiorum, ut ibidem Paulus constituit sine qua litera occidit. Alterum item signum præbet secundùm carnem, & secundùm spiritum ambulantium, id est, per viam, per viam spatiosam, & arctam: *qui enim secundum carnem sunt, aut, quæ carnis sunt, sapiunt: qui verò secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt.* Hic spiritualium rerum sensus, & sapor pauciorum esse videtur, & plurimis illæ tam videntur insipidæ, atque insipidæ nobis sunt, & displicent incomestibilia, ut lapides, & terra, vel etiam potiones amaræ.

Prudentia etiam carnis, & sæculi latissime dominari videtur; nam ejus scopus, & finis est medis conquirere ad ea, quæ carnis, & mundi sunt, consequenda, honores, delitias, voluptates, divitias, &c. Quæ sanè prudentia satis in consueto, & multorum esse videtur: *prudentia autem carnis mors est*, inquit ibi Apostolus: item Jacobus: *amicitia hujus sæculi inimica est Deo.* Plurimi autem videntur hi sæculi amici, & amicissimi.

Sic præterea disserit ex verbis Apostolicis eximiis ille Doctor Simon de Cassia lib.6. de parab. Salvatoris cap.21. Verum tamen nimis terret sententia ista, quod *multi sunt vocati; pauci verò electi.* Sed nec in vocatorem culpa jaculetur, sed in eum qui renuit juxta Salomonis verbum, &c. Nec non & ad illos, qui ad fidem venerunt, sed non ambulaverunt digne ad vocationem Cælestem; neque suos mores Sancto Evangelio coaptaverunt, quæ sua sunt, quærentes; non quæ Jesu Christi; nec renovantes se in spiritu interiori, aut plene veterem hominem spoliantes, & induentes novum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & veritate, & sanctitate; nec carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifixerunt; fructus dignos pœnitentiæ facientes aptos vocationi Deiferæ. Ideo pauci electi.

Unde Isaiam inducit prædicentem cap.17. *& erit sicut congregans in messe, quod restiterit, & brachium ejus spicas leget, & erit sicut quærens spicas in valle Rapham, & relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum, vel trium olivarum in summitate rami, &c.* Et alia ex cap.24. Ejusdem Isaiæ; & ex Michæa cap.7. *Væ mihi, quia factus sum, velut qui colligit in autumno racemos Vindemiæ.* Sic erit, concludit ille paucitas salvandorum.

Hæc iterum planissime ab eodem Apostolo audiamus 1. ad Corinth.15. qui duplex genus hominum, quo omnes homines comprehendat, distinguit, & quivis facile videat utri plures existant. *Primus homo, inquit, de terrena terrenus: Secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni portemus & imaginem cælestis. Hoc autem dico, Fratres, quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* At plurimi esse non videntur hi homines cœlestes, si de plano loquamur; hi tales, qualis Christus: Hi imaginem, vitamque ejus, ac mores præseferentes, qui terreni non sint, qui veterem hominem, ejusque imaginem, non portent, sed exierunt: qui denique secundum carnem, & sanguinem non vivant: & tamen caro, & sanguis, & terreni regnum Dei non possidebunt. Non dicit, perfectionem non consequentur, sed de regno ipso loquitur.

Hoc pacto Epistolæ omnes Apostolicæ percurrere, possunt; nam & hæ, & Evangelium, atque Scriptura omnis uno, eodemque spiritu contexta eamdem formam vivendi, eadem morum principia, viamque eamdem ostendit, & præscribit; quibus admissis, cessent plurima: & quicumque ex scriptura vitam suam instituere constanter decernit, haud sane plurimorum, sed pauciorum capesset viam, ut sancti una omnes preterierunt. Si vero Prophetas etiam evolvere placeat, profecto sicut in populo illo, idolatriam quidem inter fideles haud inveniet: uti neque Christus invenit, quando venit: at in injustitiis, in avaritia, immunditiis, superbia, rerumque terrenarum cupidine similiores nos populo, quam Sanctis Apostolis plane reperiat. Quare passim sacri concionatores

natores ex Prophetis etiam populos fidelium reprehendunt; nec respondent, ea ad se non permittere. Qui non declinaverint, qui corde recogitent, quotum portio sit custodire legem Dei, quibus illa in medio cordis sit, & hoc genus innumera quantæ multitudini congruant?

§. IX.

De Parabolis Salvatoris in Idem.

CUm in his parabolis Domini numerus numero non correspondeat, & ex convivio unus dumtaxat, & ex decem virginibus quinque damnatæ perhibeantur, non tam numero, quam doctrinæ, damnationisque causæ insistendum est, ut hoc ex loco fundate arguatur. Et primum quidem de hoc damnato ex convivio, quia vestem nuptialem non habebat, jam §. 5. Augustinus argumentatus est: ea etenim causa, si humana consideratione res agererur, damnatione digna videri non potuisset. Suffecissetque vel erubescere, vel vestem mutare compelli. Sed verò in hac parabola adsunt alia, unde pereuntium multitudo colligatur.

Etenim excusationes illæ, quibus venire recusarunt, satis frequentes esse videntur, ne plerique Deo servire, & ad nuptias æternæ beatitudinis pervenire studeant: *Illi autem*, inquit Matth. 22. *Neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam; alius vero ad negotiationem suam*: & Dominus ex tota serie intulit; *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Significantius porro Luc. 12. & cœperunt omnes simul excusare. *Primus dixit, villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum*: quæ certe voces infidelium non sunt, sed credentium. *Et alter dixit: Juga boum emi quinque, &c. Et alius dixit: Uxorem duxi, &c.* Hæc certe & similia plerorumque esse videntur, ideoque Evangelium dixit; *& cœperunt omnes simul excusare*. Dominus autem conclusit; *Quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*

Videtur autem, Dominum nobis exprimere voluisse, & ostendere, curas etiam illas, & solicitudines, quibus plurimi mundo immersi divina negligunt, quæque apud homines culpæ vix esse videntur, excludere tamen à cœna sua. Propterea non dixit, *neglexerunt, & abierunt*, alius ad furandum, alius verò ad mœchandum, sed dixit, *alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam*. Nec item dixit; villam furatus sum, & necesse habeo exire, & videre illam: aut concubinam habeo &c. Sed dixerunt; villam emi, juga boum emi: uxorem duxi, &c. & crimen illud fuit, quod his de causis sese excusarent; non quidem ab ipsa beatitudine, à qua certe nemo se excusat, sed à cura, & solicitudine illius acquirendæ, rerumque animæ, & divinarum serio, cordeque præcipuo tractandarũ.

Idem sensus est parabolæ seminis Matth. 13. & Luc. 8. ubi ea dicens, docensque *filius Dei clamabat, qui habet aures audiendi, audiat*. Parabola est, alterum semen cecidisse secus viam, & ab hominibus conculcatum; aliud super petram, & aruisse, quia non habebat humorem; alterum in spinas ab exortis spinis suffocatum: postremum in terram bonam, quod fructum fecit centuplum.

Explicatio Domini est: Semen est verbum Dei: *Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt: deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Haud opinor, de illa fide agit, qua Catholici sumus, sed de ea, qua hæc Evangelii motum decreta audimus quidem, atque de eis etiam impigre exequendis cogitamus; sed venit Diabolus, & tollit verbum hoc de corde nostro, & sæculo conformamur. Prosequitur explicationem Dominus: *Qui supra petram, qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, & in tempore tentationis recedunt.* Quod certe non infidelibus, & hæreticis, sed iis maximè videtur congruere, qui Verba vitæ æternæ audientes, & cum gaudio suscipientes, incipiunt quidem Deo strenue servire; sed radices non habent, & tentatione, tribulationeque adveniente recedunt, & ut erant, steriles petræ esse pergunt. Sed hæc omittamus; nam quæ consequuntur, nimis multos comprehendere videntur. *Quod autem* inquit, *in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Utinam desipiamus nos, si hos plurimos esse arbitremur; pauciores autem illos, *qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Quin plurimorum, ut supra disputatum est, ea persuasio esse videtur, satis esse si fructus malos non referant, neque Deum offendant; nihil autem ad se pertinere proficiendi, bonosque fructus reddendi studium. Sed certe si hoc necessarium non esset, hoc dicens filius Dei non clamaret; & scimus deindè ex ipso regulam, quod omnis arbor bona bonos fructus facit, & similia de quibus supra dictum est.

Habemus præterea parabolam decem Virginum Matth. 25. ubi ut dixi, numero non insisto, sed doctrinæ: hæ scilicet. Impudicæ non erant; nam Virgines erant; non de furto, non de negotiationibus, aut injustitia, aut de simili accusantur. Earum crimen juxta Gregorium, & alios fuit elatio: juxta Chrysostomum avaritia; habentes enim unde emerent (nam postea ad vendentes iverunt) non emerant, imo à sociis oleum sibi dari volebant, quin expendere cogerentur. Quis nostrum, si Dominus tacuisset, damnandas has quinque Virgines judicasset? Aut quid virtutis præ his fatuis virginibus in multitudine cernimus? Negligentia, elatio, avaritiave fuerit crimen! Quot verò meliores.

Dixit etiam Luc. 18. ad quosdam, qui in se confidebant; cæterosque aspernabantur; eorumque unum sic orantem inducit; *gratias tibi ago Domine, quia non sum; sicut cæteri homines, raptores injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in sabbato. decimas do omnium, quæ possideo.* Vera hæc erant; non enim mendacii in his arguitur; neque quod aliqui, nescio plane undè ad superbiam mortalem requirunt, sibi, viribusque suis tribuit suam Justitiam, sed Deo refert acceptam, & gratias agit. Hanc ergo hujus, & similium prodit culpam Evangelium, nimiam scilicet confidentiam, indeque ortam superbiam, & cæterorum contemptum. At nos non his Evangelii præceptis, sed humana consideratione hæc metientes, & justos, peccatoresque dijudicantes, si apud nos videremus, aut videmus similes homines non raptores, neque injustos, neque adulteros, quin bis in hebdomada jejunantes, decimasque persolventes, mox justos, & justissimos, quin etiam sanctos, quo nomine

mine excellentiorem quamdam justitiam intelligimus, mox pronunciamus. Fallimur ergo in hoc judicio, plurimumque deficimus. Sed forte illi aut debita non solvebant, aut avari erant, vel quid simile. Cæterum Evangelium nihil simile memorat, nec de injustitia, aut avaritia hoc loco instituit, sed de nimia confidentia superbiaque.

De servo, etiam pigro, & inutili superius tractatum est. Quot verò in multitudine illi sunt, quorum hoc unum sit crimen, scilicet pigritia, & inutilitas, & non præterea etiam offendant, & peccent? omitto quam plura alia, & concludat Alfonsus à Mendoza quæst. 1. posit. conclus. 4. adi aulas, tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, naves, cursus, &c. Et ibi puerorum, adolescentium, virorum, senumque corruptissimos mores intuere perjuria, invidias, detractionea, fraudes, convicia, rixas, obscenitates, corrupta desideria, superbiam, avaritiam, edacitatem, &c. profecto mecum senties, dicesque: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, in studiis suis, &c.* & Micheæ 7. *Periit Sanctus de terra, & rectum in hominibus non est.* Hactenus Mendoza.

§. X.

Ratiocinationes in idem.

EX hac ipsa inprimis Quæstione, ut superius insinuatum est, sumitur multitudo pereuntium, & paucitaa salutem consequentium. Tres nimirum sunt in ea opiniones, altera utri plures sint, dicit incertum; altera citra scripturaa & sanctos, quin contra ait, plures salvari, sed non negat, plurimoa etiam damnati. Tertia vera statuit, plures damnari. Eligatur porro earum quælibet. Profecto sequitur, nos in tanto periculo teneri gravissime, vigilare, oculos aperire, salutique nostræ diligentissime intendere; quemadmodum navigantes, qui magna tempestate jactantur; & milites, qui periculorum prælium committunt; & infirmi, qui gravi morbo, quo plerique, vel saltem plurimi obeunt, labòrant, &c. sicut superius de periculo in genere ostensum est. At plerique non ita vigilant, sed velut in tutissimis rebus dormiunt somnum suum, & omnia alia magis curant. Ergo hoc solo gravis criminis rei existunt, & convincuntur, se pluris facere mundum, quam Deum; corpus quam animam, invertereque prorsus omnia.

Poneremus materialissime numerum illum, qui Matth. 24. de novissimo tempore prædicitur: *tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur: duæ molentes in mola; una assumetur, & una relinquetur: duo in lecto; unus assumetur, & unus relinquetur. Vigilate ergo*; infert Dominus, & evidentissima est consecutio. Non est certe intentio Domini, eo tempore parem fore numerum; nam paucitatem bonorum satis alias explicavit, sed ipsummet etiam locum, & quasi vitæ institutum, in quo supererunt electi, futurum periculosissimum, & ex quo unus assumatur, & alter relinquatur. Sed ponamus, ut dixi, hanc numeri parilitatem. Certe vel anima, & salus, & Deus nihil sunt, vel tenemur gravissime quasi in maximo summæ rerum periculo vigilare, attendere, intendere, & huic negotio potissima, cura incumbere. At multitudo videtur hoc prætermittere. Ergo.

Rursus sic dissero. Hæc quæstio universa eo revocari videtur, ut statuatur, utrum vita communis, & fere omnium sufficiat ad salutem? In qua sanè vita de imitatione sanctorum non tractatur, & præcipua studia sunt rerum mundi, & non propter Deum; & plurimi conjugati adulteria, & fornicationem, aperta furta, & similia cavent; alii labuntur, sed confitentur plerique peccata sua aliquoties in anno; & postremo susceptis Sacramentis decedunt.

Hæc, inquam, de paucitate, vel non paucitate salvandorum quæstio ad istam aliam revocatur, num scilicet hæc vita communis dicentium, *Nolo meritis Apostolorum, sed sufficit mihi vita communis*, sufficiat ad salutem? Nam si sufficit, plerique salvantur; sin minus, plerique pereunt, & comparatio ferme superest rerum vel ut in plurimum, & plerumque, vel raro, & in paucioribus contingentium. Unde necesse videtur, ut vel numerus salvandorum, vel numerus pereuntium valde, ac notabilissime, manifestissimeque major sit, & excedat.

At numerus salvandorum non ita major est, & excedit. Nam primum in quæstionibus superioribus ostensum est, vitam communem non sufficere. Deindè desipuissent sancti Dei, & Doctores Ecclesiæ, qui in re tam manifesta cæcutierunt, & tam paucos salvandos tradiderunt. Sancti rursus omnes, & servi Dei vigilantissimi obstupuissent; quia si hanc vitam communem sufficere arbitrati fuissent, fatuitaa ferme erat, ipsoa timere: nam inter ipsos, & hoa alios est comparatio quasi facientium ut octo, & facientium ut unum, vel nihil: & stultus esset, qui velociter currens eò pervenire timeret, quo claudos, & pigritantes, & vix ambulantes alioa, vel omnes, vel plerosque censeret perventuros. Timor etiam ille Apostoli vanus, affectatus, prorsuaque ineptus videretur; *nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me Dominus est*: ac hoc genua innumera, & quæcumque ex Evangelio, & Apostolis adduximus, caderent, fucusque quidam, & inanes terrores viderentur.

Hinc denuò argumentor; quia plurimi sunt tam sibi sperantes, quam aliis promittentes salutem, qui regula omnino diminuta, inadæquataque ad salutem necessaria demetiuntur. Etenim inprimis lege solùm negativa videntur uti, & siquidem quia non mœchatur, non furtum facit, non occidit, neque Deum, neque proximum odio habet, eum justum, salvandumque pronunciant. Cæterum lex Dei non sola negativa est, sed etiam affirmativa declinandi à malo, & faciendi bonum; quin lex omnis etiam humana, ut Aristoteles in Ethicis, & Politicis tamquam exploratum supponit, non eo solum tendit, ne cives sint mali, sed ad reddendum etiam cives bonos cives. Quanto ergo magis lex Dei? omittunt igitur in mensurando maxima mandatorum dilectionis Dei super omnia, & proximi instar sui: Humilitatem, vigilantiam, mortificationem, studium æternorum, &c. Quæ ex dictia clara sunt. Sunt ergo, qui loco ulnæ palmo pannum mensuraret, aut loco libræ uncia aurum ponderaret, falleretur maxime, ac multo plures ulnas panni, & libras auri esse diceret, quæ plane non sunt, in præsentia accidere videtur. Quinimo nec ipsa lege negativa adæquata utuntur, &

peccata

peccata ſpiritualia, quæ majora quidem, ſed tamquam ſpiritualia minus nota ſunt, nec ſenſu, ſed intellectu capiuntur, prætetite videntur ſuperbiam, invidiam, avaritiam, contentiones, rixas; reliquoſque affectus in ordinatos pravos animæ, & opera carnis.

Undè denuo quia vera Chriſtianitas veraque juſtitia non in opere, ſed in corde conſiſtit, ut ſæpe, ac diſertè Dominus tradit: *Phariſæe cæce munda prius, quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat & id, quod deforis eſt, mundum Matth. 23.* Daremus, & fingeremus, fideles opere, externoque cultu, ac vitæ inſtituto diſſimillimos gentilibus, aut hæreticis; corde tamen pares, & ſimillimos. Viderentur certè boni Chriſtiani, & juſti; at non eſſent, ſed velut monumenta dealbata, quæ parent hominibus ſpecioſa, ſi idem amor eſſet pecuniæ, honorum, filiorum, ſtirpis, gloriæ, & mundi. Oſtenſumque eſt ſuperius, hæc exteriora ſine corde ad veſtimenta ovium pertinere, nec oves facere. Videtur autem, quod multi ad judicandum parum corda diſcutiant, ſoloque judicio operis exteriores definiant, juſtoſque, & ſalvandos pronuncient; Dominus autem intuetur cor, nec ſecundum faciem judicat. Deficiunt ergo maximè in hoc judicio; & ſancti Dei, quorum aperti erant oculi, hoc ex loco timebant; ſciebant quidem, ſe non mæchari, non occidere, non furari, &c. Sed utrum nimio amore proprio, aut occulta aliqua ſuperbia, aut ſimili vitio maximè ſpirituali laborarent, anxii, ſolicitique erant. Patet ergo diminutam valdè eſſe iſtam regulam.

Sed & ex operibus exterioribus corda diſcutiamus, deprehendamuſque ex regula ejuſdem Domini, *à fructibus eorum cognoſcetis eos*, arbores ſcilicet bonas, & malas, ut ſupra in alium ſcopum tractatum fuit. Occurrunt hæreticorum, Infideliumque urbes, & curiæ, Londinum, Conſtantinopolis, Ambſterodamum, Wiremberga, & aliæ: occurrunt etiam Catholicorum urbes, & aulæ. Jam apud eos, ubi vera fides non eſt, nec vera ulla juſtitia, qua juſti, verique Chriſtiani ſint, ſupereſt, ut indubitatum ſuppono. Utrarumque nunc, ut corda habeas, & colligas, ſtudia confer plerumque loquendo; verba, negotia, ſolicitudinem attende, & in quo utrique toti ſint: num valde alios nobiles noſtros, & potentes in ambitu, in gloria mundi appetenda, promovendaque in venias: mercatores, ementes, vendentes, contrahentes, litigantes, artifices, mulieres confer. Copioſæ certè orationi locus hic eſſet: ſed oratorem non ago, ſed Philoſophum, & Theologum, & ſtatuo, ſimilium plus minus ſtudiorum ſimilia plus minus eſſe corda, & ex fructibus rectè dignoſci arbores, ut ſuperius commonſtratum eſt. At Fidelium plurimorum eadem plus minus videntur eſſe ſtudia, atque cæterorum, & nimia ſimilis concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Ergo eadem plus minus erunt corda. At cæterorum corda recta non ſunt, neque juſta. Ergo neque fidelium ſimilia proſequentium.

Eorum ea eſt confirmatio; nam unicuique eſt ſuum principale, & quaſi primum, & famoſum amatum, quod ſit ſibi quaſi ſuus Deus, qui primum locum, & principatum cordis habeat: unde & Dominus dicit, ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit, & Apoſtolus ait, avaritiam eſſe idolorum ſervitutem; nam avaro ſi non intellectus, cordis tamèn ſui Deus pecunia eſt, & alteri honor, alteri voluptas. Hic amor cordis velut rex, principalis, & quaſi primi, famoſiorisque amati eſt, ut ait Auguſtinus, pondus noſtrum, & illo ferimur, quocumque ferimur. Inde præcipua noſtra negotiatio, cogitatio; memoria, ſtudiumque eſt circa hoc principale, & famoſius amatum: propterea que Apoſtolus dicebat de iis, quibus verus Deus eſt hoc amatum, *qui ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.* Omnes enim habent ſuum principem amorem, quo agantur: & ipſi pigri, & inertes amore ſuo proprio quaſi aguntur, coguntúrque quieſcere. Si ergo pauciores ita arguunt ad æterna, & pleriſque alia ſunt ſua ſtudia alioque amore ſuo feruntur, habetur, eorum principale, & quaſi primum famoſumque amatum non eſſe Deum, ſed aliud: atque hoc eſſe ſuum theſaurum, & cordis Deum. Sed hi nimis plures eſſe videntur.

Plurima hoc modo proſequi poſſemus, quibus corda communi vita viventium plus minus innoteſcerent, ſed properamus. De mala plerumque morte peccatorum, defectuque veræ converſionis late differunt Montoia, & Alapide, qui videri poſſunt; & alio forſitam die de hoc puncto adeo neceſſario plurima adducemus. Modo ſufficit ſententia Domini, *mors peccatorum peſſima*: Item illa, *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Sunt ſententiæ raro deficientes. Oportuit autem, eas non eſſe prorsùs infallibiles, & ſinè exceptione, ne juſti ſuperbiant, & nimis confidant, & torpeant; ne item peccatores unquam deſperent. Quin mortis tempore hæc prætermittenda ſunt, & animo erigendi Morituri; excitanda primum modis omnibus fides, & connitendum pro virili, ut vertatur Veraciter, convertaturque à mundo ad Deum: quod ſanè difficillimum ordinaria gratia eſt: cum conſuetudo in naturam verſa fuerit. Et ſæpe circunſtant undique impedimenta ſine fine, quin error etiam hic, quem evertimus, de nimia facilitate ſalutis, & quod quilibet ſalvantur, & ſatis ſit ſacramenta quoquo modo ſuſcipere, & ſimiles hoſtis ſuggeſtiones perdunt plurimos, & inimici hominis domeſtici ejus eſſe ſolent. Quibus, & aliis omiſſis celebris eſt illa doctrina Auguſtini lib.50. homiliar. hom.41. *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & morte conciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus. Quod petit, ſed non præſumimus, quod bene hinc exit.*

Poſtremo, quod nobis fuit objectum, & quæ occaſione de paucitate ſalvandorum pertractamus argumentum retorquendo conſtat hæc paucitas ex toto opere. Etenim non tot, quin plures probabilitate, non veritate ſibi vitam inſtituunt. Hæc autem, ut part.1. Eſt oſtenſum, non eſt via ſalutis. Immenſum deindè eſſet, ſi opiniones particulares, ex quibus plerique vivunt, proſequeremur; in more eſt vendentibus propter moram ſolutionis pretium adaugere, quod tamen uſura eſt; nullus auſus eſt, ſed erubuerunt omnes typis ſaltem mandare, & in publico dicere, in mutuo etiam propter lucrum, ceſſant accipi poſſe præter ſortem decem, aut duodecim ex centum; & tamen in hoc ipſo loco innumeri qui nihil negotiaturi erant, accipiunt decem, & alii plus, & multi cum pignore, & ſacramenta frequentant, nec deſunt, qui quotidie etiam communicent: ſuntque hoc genus alia ſine fine, quibus viſis ſuperflua videatur ſanctorum autoritas ad colligendum paucitatem ſalvandorum. In ſimonia idem plus minus cernitur.

Admini-

Administratores Reipublicæ ex more ferme gubernant, & consuetudo est ipsis regula adeo, ut conspicere oculis videamur illud Cypriani, quod sæpe repeto, quia est valde explicativum; *conferere jura peccatis, & cæpit esse licitum, quod publicum est*; & illud Chrysostomi: *exhoc necessario quasi jam licite peccant*. Et si quis resistat, paradoxum eum habent; quod apud eos idem significat, atque contra consuetum, & usitatum; apud quos proindè salvator maximè omnium paradoxus visus fuisset. Habent deinde regulas nimis voluntario erroneas: Episcopos quotidie de sede in sedem contra jus omne transvehunt. Regimina Provinciarum præmia esse aliquando meritorum, aliquando nobiliorum patrimonia, non digniorum, qui melius aut bene recturi sint supponunt; consultationes Magistratuum regulas indefectibiles esse conscientię crasso errore aut credunt, aut affectant; suos quique promovent. De Regiæ autem gazæ Administratoribus, ne ullum suorum amicorum hoc officio in Indiam mitteret, scribebat Indiarum Apostolus ad Simonem Rodericum, *quia eorum vir unus*, inquit, *salvatur*: & Gregorius de Teloneariis in Breviat: *sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi vix, aut nulla tenus possunt*. Et tamen hi etiam, sicut cæteri vivunt, & moriuntur confidentissimè, & sacramenta sine ulla vitæ mutatione, vel mutandi proposito suscipiunt, & sic etiam obeunt; quia conferere jura peccatis, & consuetudo versa est in regulam. Quid hæc prosequor finem numquam habitura: *lugendum est enim, & vere lugendum*, ajebat supra Chrysostomus. *Sic enim omnia confusa, sic sunt cuncta resoluta, ut ne vestigium quidem virtutis usquam videas*; undè etiam Augustinus non uno in loco pro paucitate electorum illud usurpat, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filios Adæ*.

Quo in loco sit anima, & salus æterna, illud etiam patentissimè demonstrat. Videas scilicet divites, nobiles, potentesque, quantopere curent domos, vestes, cibos, potum, famulos habere, quam meliores possunt, multamque pecuniam expendunt; si autem in morbum incidant, non quoslibet, sed quos optimos putant, Medicos accersunt, expenduntque plurimum, & quandiu fermè res omnino deploratæ non sunt, hoc est suum totum negotium, quomodo salutem corporis consequantur, de confessore, animæque Rectore, vel cum valent, vel cum decumbunt obvius quisque de trivio censetur sufficere, contrariaque omnia plerumque cernuntur. Vel ergo quod filius Dei non dixit, sed contraria omnia dixit, protrita valde res, & obvia, ac facilis, & cujuslibet, atque omnium est salvari; vel quod verum est, plerique in hoc salutis negotio errant prorsùs voluntario, & sic pereunt. Undè mirandum non est, quod in statu legis, vel naturæ, vel scriptæ, tam pauci salvi fuerint.

§. XI.

Concionatores ergo Apostolici, qui hanc paucitatem denunciant, reflectere deberent in causam ejus, & eam educere: item populos erigere ad viam arctam ex magnitudine misericordiæ & gratiæ Dei.

Sæpè egregii quidam viri hanc paucitatem, recensitis etiam ex ordine sanctorum dictis, contestantur, adque verissimum censent. Sed videntur in causam non reflectere, cur scilicet tam pauci sint? Si namque communior modus videndi ad salutem sufficiat, verum non est, tam paucos salvari. Quid si hoc verum est, sequitur plerosque neque rectè vivere, neque rectè mori. Videndum ergo esset, quid in communi modo morum desit; atque hi defectus, ac errores essent manifestandi, edocendusque populus, quod citra optimum doctrinæ morum, legisque Dei scientiam, & notitiam fieri nequit. Sumere item, credereque deberent, fieri omnino non posse, neque conciliari hæc duo, quod pauci salvi fiant, & quod communis, & plerorumque via sit via salutis; nec item viam vitæ arctam esse, & simul rectam morum, conscientiæque regulam esse latam, & spatiosam, tutasque eas opiniones, quibus multitudo vitam instituit.

Prætereà quia timor, & tristitia, nisi sit ad pœnitentiam, non prodest, hic locus erit misericordiam Dei, & gratiam veracissime amplificandi, erigendique populos, ne arctam viam horreant, sed incunctanter aggrediantur innixi Dei misericordiæ, & gratiæ; verissimum quippè inveniunt, *gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*; & quamquam Deo credere nollemus, experientiæ ipsæ nostræ, si quando Deo adhæsimus, & sociorum nostrorum, & aliorum, quos novimus hanc arctam viam incedentes, & nobis jucundiorem vitam transigentes, convincunt nos etiam nolentes, atque confundunt.

§. XII.

Rectè ergo. S. Paulinus Celantiæ matronæ nobili, veritatem moralem, salutisque viam, ex paucitate eam sequentium tamquam signo demonstrat.

Scribit de hoc latissime Epist. 50. quæ una tanti viri quadam tenus Hispani simul, Itali, & Galli, & ab ipsis doctoribus Ecclesiæ præsertim vero ab Augustino maximè habiti sufficere nobis plane deberet non solum ad hujus quæstionis, sed ad totius quoque operis stabilimentum, & commendationem; cujus scilicet Epistolæ, & operis totius nostri unus scopus, idemque argumentum est.

Argumentum hoc fuit. Petis namque, inquit, & solicite, ac violenter petis, ut tibi certam ex Scripturis sanctis præfiniamus regulam, ad quam tu ordines cursum vitæ tuæ, ut cognita Domini voluntate, inter honores sæculi, & divitiarum illecebras morum magis diligas supellectilem; atque ut possis in conjugio constituta, non solum conjugi placere, sed etiam ei, qui ipsum indulsit conjugium.

Parebo igitur, &c. atque plurima prosequitur de observantia præceptorum, quam charitate claudit: *grandem vim*, ait, *obtinet vera dilectio: nihil imperiosius charitate*: moxque legem negativam, & affirmativam distinguens utramque omnibus necessariam constituit, & explicat. Exponit deindè, quam sit absurdum Christianos vitam agere gentilem, non utique professione fidei, sed morum instituto, ut superius Philosophati sumus.

Accedit mox ad præsens punctum. Nos vero, inquit, qui purissima confitemur fide, omnem hominem manifestandum esse ante tribunal Christi, &c. Procul debemus esse a vitiis, dicente Apostolo: *qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis,*

vitiis, & concupiscentiis. Nec turbam sequantur errantem, qui severitatis discipulos confitentur.

Duas certè conversationis vias, & distincta in diversum itinera vivendi salvator in Evangelio ostendit: *quam*, inquit, *spatiosa via*, *qua ducit ad mortem, & multi sunt, qui intrant per eam: quam arcta via, & angusta, qua ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Vide, quanta inter has viaa separatio sit, quantumque discrimen: illa ad mortem, hæc tendit ad vitam: illa celebratur, & teritur à multis; hæc vix invenitur à paucis; illa enim vitiis per consuetudinem quasi declivior, ac mollior facile ad se rapit commeantium multitudinem: hæc vero insueto calle virtotum & istior, atque horridior ab his tantum eligitur, quibus non delectatio itineris cordi est, quam utilitas mansionis. Asperam enim nobis, & in suavem virtotum viam nimia facit consuetudo vitiorum, quæ si in partem alteram transferatur, invenietur, sicut scriptura dicit, semita Justitia levis.

Ponamus ergo jam rationem vita nostra, & per quam potissimum gradiamur viam, conscientia teste discamus. Omne enim, quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de angusta via est. Si cum paucis angustum iter, & subtilem quamdam semitam invenimus, ad vitam tendimus. Si vero multorum comitamur viam, secundum Domini sententiam imus ad mortem.

Si ergo odio, atque invidia possidemur, si cupiditati, & avaritiæ cedimus, si præsentia commoda futuris præferimus, per spatiosam viam incedimus; habemus enim ad hæc comitum multitudinem, & latè similium stipamur agminibus. Si iracundiam, libidinemque explere volumus, si injuriam vindicare, &c. æque cùm pluribus ferimur. Si vel adulamur ipsi vel adulantem libenter audimus, si verum dicere gratia impedimur, & magis offendere animos hominum timemus, quam non ex animo loqui, de multorum item via sumus, tot sunt socii nostri, qoot extranei veritatis.

At è contrario si ab his omnibus vitiis sumus extranei, si purum, ac liberum animum præstamus, & omni cupiditate calcata, solis studemus divites esse virtutibus, per angustam viam nitimur conversatio enim ista paucorum est, estque perrarum, atque difficile, idoneos hujus itineris comites reperire. Quin etiam multi hac ire se simulant, & per diversa errorum diverticula ad viam multitudinis revertuntur: ideoque timendum est, ne quos doces recti hujus itineris habere nos credimus,, eos comites habeamus erroris.

Si igitur inveniuntur exempla, quæ nos per hanc ducant viam, & rectum Evangelii tramitem teneant, sequenda sunt, sin vero ea vel deficere putantur, Apostolorum forma universis proposita est. Clamat vas electionis Paulus, nosque quasi ad angustum hoc iter convocans, dicit: *imitatores mei estote; sicut & ego Christi.* Certè quod est amplius omnibus, ipsius Domini relucet exemplum, qui in Evangelio ait: *venite ad me omnes, &c.* Si periculosum est imitari eos, de quibus dubitas, an imitandi sint, hunc certè imitari tutissimum est, atque ejus vestigia sequi, qui dixit, *ego sum via veritas, & vita.* Numquam enim errat, qui sequitur veritatem. Unde & Apostolus Joannes ait: *qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Hæc beatissimus Paulinus: hæc item nos; si excessit ille, aut ineptiit, sinant nos quoque similibus ducibus ineptire. Clamet igitur: *cesset omnis excusatio errorum; auferantur peccandi fœda solatia. Nihil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus: & ad in consolationem nostram aliena sæpe numerantes vitia, deesse nobis dicimus, quos debeamus sequi. Ad illius exemplum mittimur, quem omnes fatemur imitandum.*

Mox docet, divinis eloquiis implendum esse animum. Sed quoniam ea plurima sunt, sicut Augustinus, Chrysostomus, & cæteri sancti ex ipso Domino ad compendium, quo arcta ipsa via constat, & clauditur, cuncta redigit. Sed quasi ad compendiosum quoddam commonitorium, ait, illa tibi eligenda Evangelii sententia est, & super scribenda cordi tuo, quæ ad totius justitiæ Breviatium Dominico ore prosertur: *omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Cujus præcepti vires exprimens, & jungit, ac dicit, *hæc enim lex, & Propheta.*

Infinitæ namque sunt species, partesque justitiæ, quas non modo stylo persequi, sed cogitatione etiam capere difficillimum sit: quas omnes una, ac brevi sententia comprehendit, & latentem hominum conscientiam secreto animi judicio, aut absoluit, aut damnat. Ad omnem igitur actum, ad omne verbum; ad omnem etiam cogitatum hæc sententia retractetur, quæ tibi quasi speculum quoddam sit &c. Quotiescumque enim talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero servati cupis, æquitatis viam tenes: quoties vero talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem, iter justitiæ dereliquisti, en totum illud divinæ legis arduum, totumque difficile. Hactenus denuo Paulinus.

Pertractat deinceps de vitandis vitiis, & de sectandis virtutibus, quibus utraque illa via distinguitur in specie, & in particulari, ex quibus videat quisque quam sit una plurimorum, & quam altera pauciorum: quæ videri in ipso possunt, & in sanctis quibusque; nam concordant, & consentiunt, unoque ore docent morum doctrinam, qui uno spiritu moti sunt, atque vixerunt.

Sed quæ de nobilitate vix Patricii, consularisque generis, & potens ad Celantiam nobilem item Matronam, sæcularem, & conjugatam subdit, prætereunda non sunt, ut vel ex hoc uno cernas errantium planè multitudinem. Argumentum Paulini, ut visum est, aliud non erat, quàm viam salutis, arctam illam, & angustam ostendere Celantiæ.

Subdit ergo. Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque, & humiliore loco natas, te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum; sexuum, & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas non servire peccatis. Quid apud Deum in viris nobilius Petro, qui piscator, & pauper fuit. Quid in fœminis B. Maria illustrius, quæ sponsa fabri describitur? &c. Elegit enim Deus ignobilia, & contemptibilia hujus mundi, ut potentes, ac nobiles ad humilitatem facilius adduceret. Hæc inter alia Paulinus splendore generis, nulli, ut inquit Ambrosius, secundus,

Quid ad ea dicimus? An indubitatum non est, sutorem unum justum plus coram Deo esse, plus reipsa esse, quam urbem plenam nobilium peccatorum? Quo tamen in loco sint plerumque ista, vides num Procerum plurimi quasi fungos plus minùs cæteros non habeant: quid pluris Romani olim gentiles natalium splendorem æstimaverint, aut quid pluris hi ipsi, si nihil planè de Christi abjectione crederent, culturi illum essent, vix cernitur. Unde non nimium forsitam concionatot ills apud Drexellium exorbitavit, qui in concione coram his Magistratibus eam quæstionem movit, utrum illi salvi esse possent. Respondit; possunt, si ante usum rationis obeant.

Hæc sunt, quæ defuncto Authore, hinc inde dispersa collecta sunt, & quæ non sine maxima jactura veritatis diu latuere. Ecce benevole Lector vias Domini; ecce semitas ejus: gaude, & gratias Deo age.

FINIS, ET DEDICATIO OPERIS

Ad salvatorem meum, qui est via, veritas, & vita: in quo proinde veritas moralis est copiose invenibilis.



AD te, Domine, qui finis legis omnis es, deduceret nos nostra de scientia doctrinaque legis tractatio, seriesque, necesse fuit: falsi scilicet nominis est scientia illa omnia morum, quæ ad te non trahit, in quo est salus, & redemptio nostra; & ubi tu non es, ubi non doces tu, docensque, non veritas, quæ tu es, non rectitudo superest ulla.

Ecce ergo, Domine, hoc totum nostrum extitit negotium, utrum veritate, an opinione sit vivendum? utrum denuo veritas, qua vivendum existimavimus inveniri possit, an non, sed lateat, sitque alia via quam veritatis instituenda? Hanc causam tuam ad te denique duximus deferendam, qui aperiens os tuum, ut olim aperiebas ora Prophetarum, eam definias. Venisti enim ipse tu, ut redimeres nos, & credimus, atque de redemptionis copia non pro peccatis tantum nostris, sed etiam totius mundi dubitat nemo, venisti etiam docere nos verbo, & exemplo, non utique Rhetoricas, ac Mathematicas, aut militares artes, sed formam vivendi, quid nimirum credere, quid separare, timere: quæ denique fugere, pro se quique oporteret, & credimus. Num ergo omnia, num pars maxima deest in via tua, in doctrina tua; atque ad nos instituendos de cœlo descendens tot, tantaque missa fecisti, ut alibi plurima præter omnem doctrinam tuam conquirenda sint, plurima nullibi inveniantur, sitque nobis ad innocentiam via ignorantia, non institutio tua? probabilitas, non tu, qui veritas es?

§. I.

Num Dominus aliquorum, non omnium sit via, & veritas?

HÆc, Domine verba tua sunt, quæ olim locutus es ad discipulos, & loqueris etiam nobis modo. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minùs dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & preparavero vobis locum, iterum venio, & accipio vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis: & quo ego vado, scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas; Domine, nescimus, quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Jesus: ego sum via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Cùm ad Patrem dixisti paradisum etiam utique intellexisti. Nemo ergo, non hic, non ille, nemo prorsùs ad Patrem, ad paradisum vadit, nisi per te; inquam, per te viam, per te veritatem; quia tu es hic via, & veritas, qui futurus es ibi veritas, & vita: veritas hic, & veritas ibi; via hic, non ibi, sed vita; vita autem æterna.

Nesciebat, & sciebat Apostolus ille viam; non enim mentiebatur, neque tu, qui es veritas. Sciebat viam, nam sciebat te: at te viam esse, nondum intellexerat: quod illis, & nobis revelare dignatus es. Sic scire, & nescire cum Apostolo tuo videmur adhuc plurimi; scimus enim te, atque te etiam viam esse audimus: verbum tenemus, res evolat; pauci scilicet didicerunt, fixuntque in corde, per te hominem ambulandum esse, ut perveniatur ad te Deum.

Sed, Domine, mansiones multas esse dixisti: an & sic viæ etiam multæ super sint, una quidem tu, & aliquæ præterea aliæ præter te? Adibimus ego etiam alios, qui non à te, neque sub te uno Magistro doceant, sed tua etiam doceant, & falsa quoque plurima. *At nemo, inquis, venit ad Patrem, nisi per me*, in quo nulla falsa, vera omnia sunt. Quo enim ibimus? nam verba vitæ æternæ habes, & nemo alius habet nisi tua, & à te. Quocumque alio eatur, ad Patrem non pervenietur. Mansiones quidem multæ, sed tu vita una omnium: sic ergo & tu via omnium: qui currit præter te, quo currit magis, eo magis aberrat.

Quid ergo Domine? Num nomine via es, re non es? an via quidem, sed pars solùm aliqua? incipiendumque primum est, ac proficiendum aliorum vel exemplo, vel doctrina præter te? consulendine discursus nostri, discendumque, quid vitare, amareve debeamus? Quærendus deinde tu, qui vel perficias, vel per quam portam in regnum intremus? lusisti igitur, me Christe, cùm te viam denunciasti: si nomen solùm viæ habes, via non es: si pars item viæ, non via es, sed pars. Averte, Domine, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Tu via nostra, & veritas es:

tu

tu dixiſti, & ſufficit; quis etenim tecum contendat Deo vivo, & vero?

Sed heu mi Jeſu, conturbant adhuc animam meam cogitationes vanæ. Quomodo ſcilicet via ſis eorum, qui relictis omnibus te ſectantur, intelligit omnis homo, intelligit ille, intelligo ego, & repugnat nemo; ſequuntur enim pauperes pauperem; humiles humilem conſectantur; orant, jejunant, inhærentque veſtigiis tuis, ſicut juſſiſti, atque ambulant, quemadmodum ambulaſti: eunt gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine tuo contumeliam pati; & ſi mundus eos odit, ſciunt, te priorem odio habitum, & ſcandalum ipſum viſum Judæis: Gentibus autem, ac ſæculi ſapientibus ſtultitiam. Huc illi quoque eunt; quia tecum eunt: atque horum quomodo via ſis, intelligit omnis homo.

At aliorum, eorumque propemodum omnium quo pacto via eſſe poſſes? Pauper ſcilicet tu es & verbo, & exemplo, & in laboribus à juventute tua: divites illi divitias quaſque conſectantur. Quid Mercatores diſcant à te, cui defuit, ubi caput reclinares? Qui ambulant in magnis, & mirabilibus ſupra ſe, quid in te inveniant, qui opprobrium hominum factus es? judices quid diſcant, non enim veniſti judicare, ſed ſalvare? Quid demum Reges? nam Regnum tuum de hoc mundo non erat; fugiſti ſolus, quando de te Rege rapiendo cogitarunt, non enim niſi rapiendos fueras, ut regnares, qui ut mortem ſubires innocens, mortem autem crucis, à cœlis in terram deſcendiſti. Bella movenda ſunt; ineundi contractus; emendum, vendendum: erigendi Principatus, inſtituendæ hæreditates, in quibus, & ſimilibus mundus ferme totus occupatur, implicatur, atteritur. Quid de his in vita tua? in Evangelio item tuo quam pauca! Num ergo delebimus, vel ſaltem temperabimus, quod dixiſti, *ego ſum via*. Sis utique via pauciſſimorum illorum; ſed reliquorum omnium quomodo via? At repellit ſtultas cogitationes vox tua; non multi, non pauci, prorsùs nemo venit ad Patrem niſi per te viam, & per te veritatem: cui alia erit via, alia erit & vita, quæ mors ſit, mors autem æterna. Non horum, non illorum, omnium planè Redemptor es, Magiſter es, via, & veritas es, & qui dicit, ſe in te manere, debet quemadmodum ambulaſti, ambulare: ſi ſic ambulat, te viam habet ſi alio abit, perit.

Quid itaque dicemus? ergo ne in Eccleſia tua nullos futuros eſſe divites exiſtimabas? nam judices, non Reges, nulla bella, non emptores, neque venditores, nulli contractus, nihilque hoc genus, ſed ut omnes relictis retibus te ſequerentur; renunciarent omnes ſæculo, atque adminiſtraret nemo? Te forſitan nihil præſciente, neque volente, in Eccleſiam tuam ea inciderunt? Quæ ſi præſciſſes, haud te viam omnium conſtituiſſes, ſed præſtantiſſimorum illorum.

At parce, Domine, delyranti, ut diſcat animæ: præſciviſti utique ea omnia, atque voluiſti; nec ſi divites eſſent, pauperes eſſe poſſent: ſi conjugia deſint, virgines deſunt: ſi Reges non ſint, neque judices, juſtitia omnis cadit: & præda hoſtium fideles eſſent, ſi bella nulla licerent. Eccleſiam ergo, quæ conſtare his, & aliis poſſet, erexiſti; præſciviſti illa, & voluiſti, & te nihilominus omnium viam edixiſti. Credendum utique eſſet, quamquam intelligi non poſſet, nec involvendæ ſententiæ ſermonibus imperitis.

Sed obruis ora noſtra, obſtruiſque agminibus ſanctorum tuorum, qui te via ambularunt, & ad Patrem utique pervenerunt. Solum ne Monachi forſitam illi? nulli laici, non Principes, non Reges? Ecce ex omnibus præſto ſunt. Regias curas cauſamur? & Reges adſunt. Divitias prætérimus, ſed Zachæus ille cùm plurimis aliis reclamat. Non eſt, cur ætatem, cur ſexum, ruſticitatem, mores ſæculi, militiam, togam, nihil prorsùs nihil eſt, quod obtendamus. Siſtunt ſeſe eo, tam te judice ex ſingulis plurimi, qui factis ſuis vanitatem iſtam evertant, qui te viam noverint, ſecutique ſint; qui quod præceptorum tuorum ſumma eſt, ea omnia, quæ ab aliis ſibi fieri voluiſſent, cuncta eis mente, verbo, & opere rependerint, & quorum cordis tu, Domine, theſaurus, Princeps; tu Deus, Dominuſque extiteris. Non igitur horum, & non illorum; omnium prorsùs via es, nulluſque ad Patrem, nullus ad gloriam pervenit, qui te ſecutus non ſit.

Via es, Domine, & veritas, & via veritatis es, & quidquid præter veritatem eſt, præter te eſt: nihil errori, nihil fallitati cum via iſta: certa quoquomodo, probabilia, evidentia etiam videantur probentur plurimis; probarentur, ſi fieri poſſet, omnibus; ſi falſa ſunt, in hac via non ſunt, tua non ſunt, qui veritas es: inde falſa cuncta ſunt, unde peccata eſſe poſſunt, de regno ſcilicet tenebrarum, cui alius præeſt: non de luce tua emerſerunt.

Veritas es, Domine: & quis ambigat? via ſalutis es: & quis repugnet? nulla falſa in te, vel à te, vel tua ſunt: & quis non conſentiat? ergo via ſalutis una veritate conſtat, quæ tu es. At forſitam veritas es, ſed inveniri non potes? ô ingrata planè, pudendaque corda filiorum hominum! veniſti ipſe tu quærere, & ſalvum facere quod perierat, & inveniri tamen non potes? Prodant, prodant aliquem aliquando unum, qui voluerit, & non invenerit: inventus es etiam à non quærentibus te, & palam apparuiſti iis, qui te non interrogabant: tu dixiſti, Domine, & ſufficit; & illi ſolùm te non inveniunt, qui quærentes non quærunt, ad quos etiam dixiſti, ſi quæritis, quærite, & in utramque partem claudicamus; te ſequi vellent, & mundum: conformari huic ſæculo, & tibi; theſaurizare ſuper terram, & ſalvari; habere multos Dominos; te demum ſequi, ſed ſine cruce: iſta, qui quærunt, in te haud inveniunt, quæ vera non ſunt: amant ſua, non tua, & quæ amant, vellent eſſe vera, quæ cum non ſint, in te quis es, qui es, invenire planè non poſſunt.

Veritas, inquiunt, inveniri non poteſt. Ergo, Domine, inveniri tu non potes. An enim quiſquam invenit quidem te, veritatem vero non invenit? ergo tu vel veritas non es, vel veritas omnis non es, conquirendaque veniet alia via. Ruſticitatem, ignorantiam, ineptudinemque plurimorum obloquuntur. At quiſnam in Eccleſia tua à te tam alienus, qui ignoret te, vitam tuam, mores tuos, & exempla vivendi? Nunc prius: hic, ibi ob oculos pœne noſtros ſurgunt in docti, & cœlum rapiunt, te via, atque viæ & comite; & duce; & ſi non pudet non ſequi, cur ſaltem non pudeat obloqui? Theologi non ſunt, quin neque legere norunt. Habent habent in Templis tuis libros idiotarum ima-

gines tuas. te in cruce pendentem, & manus tota die expandentem ad populum tuum: viam demonstras, sed crucis, & nollent: viam demonstras, sed humilitatis, & nollent: aliam vellent, quam tu non ostendisti.

§. II.

Ergo non est alia via salutis quam imitationis salvatoris.

NOn hos, non illos, omnes nos allocutus es, mi Christe, dicens: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos; & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Quibus illud suave sit, quibus non sit, non verbis meis, sed servorum tuorum certissimorum declaravi, quibus siquid adjeci, aut detraxi, ac erravi, ignorantiarum mearum Domine miserebeiis.

Jubes itaque, ut discamus à te omnes, quia mitis es, & humilis corde. Hæc enim primum disceremus, oportebat, mites, & humiles esse, qui humilitatem ancillæ tuæ Matris tuæ respexisti; neque tam passus esse, quam te humiliasse diceris factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: plus enim crux tua humilitatis habuit, quam doloris. Au vero hæc duo solùm mansuetudinem, atque humilitatem discere jubes, & cætera præteris? * Magnus sanè Doctor ille tuus, & servus non aliud quam humilitatem à te jussam semel, iterum, tertio, ac sine fine respondebat, non quod alia imperata non sint, sed quia humilibus das gratiam: hos exaltas, replesque bonis, nihilque deesse potest, cui non deest humilitas, quam qui habet, te habet, & tecum pariter omnia bona. * Atque hoc nisi discatur, & coram humili Deo fiat humilis homo, monstrum est humo, frustraque jugum tollet; nam tu superbis resistis, neque te via gradiuntur, qui humilis es.

Animos deinde nobis erigis, Domine, ne à te discere pertimescamus, quia mitis, inquis, sum, & humilis corde. Formidaret ad te Deum verum accedere, neque audire vilis humo; *non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*, aiebant olim alii nostri similes scilicet homines. Hunc tu metum excutis, discereque à te jubens, mitem te esse, ac humilem primum doces.

Discendum igitur est à te; hoc est, auscultanda, exequendaque verba tua, & fructum afferre in patientia; omnis enim arbor non referens fructum excindetur, & in ignem mittetur. Discendum est rursus à te, nam imitandus es, & te via unicuique gradiendum: in novissimo enim die magno festivitatis clamabas dicens: *si quis sitit, veniat ad me & bibat*: clama, Domine, ne cesses; nam aures habemus, neque tamen audimus.

Imitandus es itaque; nam sequendus es, non gressibus, sed motibus; via enim es, quæ non pedibus, sed imitatione peragratur. *Nam quos præscivit*, scilicet Pater, *& prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus.* Qui hanc tecum conformitatem numquam referunt, quique tibi similes non fiunt, non inter eos sunt, quos Pater prædestinavit: non ergo salvantur: qui enim dicit, se in te manere, debet, quemadmodum ambulasti, & ipse ambulare.

Petrus quoque tuus Apostolus apertè nobis denunciat: quia *in hoc enim vocati estis*, *Christus*, inquit, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*: ecce autem in quo omnes imitari possunt; *qui peccatum non fecit*, inquit; *nec est inventus dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* Hæc est ergo vocatio Christianorum; nec Apostolis tuis hæc exempla vivendi relicta sunt; & relicta non sunt: omnibus ea consignasti, ut sequamur vestigia tua, hoc est, ut per te viam ambulemus: hoc enim est, mi Christe, digne Deo ambulare; hoc sicut lucis filios, hoc sicut in die ambulare, sequi te. Induendus es scilicet tu novus homo de cœlo cœlestis, & exuendus terrestris; nec est medium; *igitur sicut portavimus imaginem terrestris portemus & imaginem cœlestis:* & si socii passionum fuerimus, erimus & consolationis; alioqui non erimus.

Objurgat nos etiam Apostolus tuus: *an ignoratis*, ait, *quia quicumque baptizati sumus* in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cùm illo per baptismum in mortem; ut quemodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. Ac iterum: si autem mortui sumus in Christo, credimus, quia simul etiam vivimus cum Christo.

Frustra, Domine, frustra alia documenta cudimus vivendi; hanc tu moralem Theologiam consignasti: ac renunciavimus in baptismo una omnes Diabolo, & omnibus pompis ejus, consepulti tecum sumus; commoriendum est mundo, & carni, & sanguini, & tecum resurgendum, & quærenda, sapiendaque quæ sursum sunt, & si compatimur, conglorificabimur: & si mundo vivimus, si in vetustate vitæ jacemus, quorsum cohæredes tuos esse speramus?

O Domine, si verba ista tua legeremus, si cordi ea nostro affigeremus, fortiterque crederemus? nihil enim est in eis clarius, quam te sequendum esse, qui via, & veritas es. *Ego sum*, inquis, *lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ.* Omnis ergo, qui non sequitur, in tenebris errat, & desipit: quique sapiens videtur esse in hoc sæculo, stultus fieri debet, ut sit sapiens, stultus scilicet haberi eidem sæculo, cujus alia est via, alia prudentia, alia sapientia, sed mortis.

Non est, Domine, planè non est, cur de ignorantia excusemur. Ecce enim luce clariora sunt, quæ inculcat Apostolus tuus: *rogo ergo vos*, inquit: *imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu: sicut ubique in omni Ecclesia doceo.* Ac iterum: *imitatores, mei estote, sicut & ego Christi.* Et denuo: *imitatores mei estote, fratres, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Veritas, aiunt, inveniri non potest, en vobis, & en nobis apertissimam, & ob oculos nolentium etiam positam ipsissimam veritatem? Placet sequi te mi Christe, & imitari Paulum ad formam istam erigere mores nostros, & vitam? & inventa planè est veritas. At si terrena sapere pergimus, & aliter ambulare; si Deus noster venter est, aut gloria mundi, aut pecunia, aut hoc genus aliud est, finis non alius, quam

* *Augustinus* * *Augustinus*

interitus superest. Etant multi, quos sæpe diceret Apostolus tuus, & flens quidem diceret, crucis tuæ inimici, qui viam non crucis, sed deliciarum, gloriæque mundi tererent, & perirent ac sub ipsis etiam Apostolis tuis multi erant: quid non timeamus, quando Pauli, ubi Timothei de fuete? Hoc in omni Ecclesia urgebat Apostolua tuus, te imitandum esse; te omnibus prædicabat, & te crucifixum. Quod si sanè discitur, satis discitur; si prætereatur, desipimus, tenebris adhuc obvolvimur.

Cohærent consentiuntque sibi omnia documenta tua, ac vix aliud cuncta esse videntur, quam idem multipliciter dictum, explicatum, intimatum. Arctam viam vitæ, & paucorum dixisti, & te viam dixisti; & unum sunt: *intra te*, inquit, servus ille tuus, *per angustam portam dicentem, ego sum via: per me intra. Non nisi per me ambules, ut intres per januam: nam sicut dixit, ego sua via, ita ego sum janua. Clamat ille, quod factus est via, intra te per angustam portam.* Hæc est angusta porta, hæc arcta via, seu viæ, quæ tu es, arctitudo imitatio tua: hoc tibi consepeliri, hoc in novitate vitæ ambulare, hoc reliqua multipliciter explicara, & omnia unum.

Crucem, abnegationem, gladium, atque hoc genus permulta, quibus mores nostros efformares, perspicue satis expressisti. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & matrem, & uxorem, &c. non potest meus esse discipulus, & qui non bajulat crucem, & venit post me, non, potest meus esse discipulus.* Unum sunt omnia, & satis clara sunt: & quid reluctamur, siquidem vera sunt?

Te tibi cruces, & dura quæque delegisse; nobis autem suavia, blandaque præscripsisse, sunt qui vel optent, vel etiam, Domine, opinentur. At repuleras tu pridem insipientiam carnis. *Nolite arbitrari*, inquis, *quod pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filium adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam, & inimici hominis domestici ejus.* Dixeras etiam, eruendum oculum, abscindendum pedem, & manum, si scandalo nobis fuerint. Propter fidem, dicent forte, ita est; propter mores non est; sed nugæ nuferandæ sunt; alia enim via non est nisi crucis tuæ, & qui vult venire post te, debet se ipsum abnegare, crucem suam tollere, non invitus portare, & sequi te. Palam certè, & citra parabolas locutus es: si aurum tollere, promisisses, intellexissent pridem omnes, & invenissent: crucem, Patrum, & Matrum, & charissimorum, ubi oportuerit, quorumq; odium gladium missum, abnegationem, angustam portam, arctam viam, te viam, imitationem tuam rem pœnè unam modis multis edixisti: intellexerunt multi etiam in docti, ac rudes, & propter verba labiorum tuorum custodierunt vias duras; quas tamen, alioqui tristes nimis, & duras, spiritus tuus emollivit, & fiunt prava in directa, & aspera invias planas.

§. III.

Non solùm asserit, sed argumento etiam insolubili probavit.

ARgumentum illud inter alia tuum est, Domine, ad quod homuncio etiam ego haud verear omnem mundi sapientiam provocare. *Scitis*, inquis, *quid fecerim vobis. Vos vocatis me Magister, & Domine, & benedicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis: non est servus major Domino suo, neque Apostolus major est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Universalissime etiam dixeras: *& qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Veniat huc, veniat omnis sapientia carnis, & reponat, & solvat. Est argumentum à majori ad minus affirmativum, à majori inquam, id est, à te Domine, infinito, Deo vivo, & vero ad servos, ad peccatores ad terram, ad nihil: nihil enim sumus, nisi quod per te sumus, & coram te nihil sumus. Lotio pedum particularis materia est: vis argumenti pro omni vita tua: intentio demum illa, ut qui primi esse volunt, servi fiant; sicut tu, Deus meus, non venisti ministrari, sed ministrare. Quid est quod reponere possimus? loquimur modo, & vivimus, & læte vivimus: at quando sedebis judicaturus, quid ad palmare argumentum obloquemur? Num oportuit, te Deum vivum, & verum ministrare, humiliari, pati; nos contra peccatores, ac fæcem ipsam exaltari, ministrari, fastum, & gloriam quærere? & te quidem ita oportebat intrare in gloriam tuam, quæ tua erat: nos vero in gloriam, quæ sanguine, cruceque nobis coëmisti, non per hoc ostium, quod tu es, sed aliunde tamquam furea, & latrones intrabimus illotis, ut aiunt, manibus nihil perpessos, inflatos, inertes, ac mundi magis amatores?

Sed & dixerint forsitam, hæc à te dicta de consilio non ad eos, qui ad gloriam, sed qui ad majorem perfectionem contendant. O quantus es, Domine, in iis edocendis, quæ meliora sunt quo universum pæne Evangelium tuum revocant; in iis autem tradendis, quæ necessaria sunt, quam modicus? Habent ergo illi qua ad vitam contendant, aliam vitam præter te, præter exempla tua; & vitam inveniant, quæ tu non es. Frigent sanè, frigent glosæ nostræ: loquere tu Domine, & dicito: *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister, debetis & vos.* Debetis, inquis, & concludis; nec solutio alia superest, præter nolo, & ubi dicti facti pœnituerit, magna misericordia tua. Qui ista sciunt, & faciunt, tu beatos dixisti; alios non dixisti: dicit mundus, sed desipit. Prosequuntur, ista, exemplis urgent, rationibus statuunt libri spirituales servorum tuorum; quoa, fateor Domine, solvere nescio: alios autem non ex iis locis, sed aliunde digestos scio; quales esse oportet, esse nolumus, & debere nos esse negamus: mali sumus, & videri nolumus: te viam esse fatemur; & te via ambulandum negamus: te Dominum, & Magistrum confitemur, atque non ministrari, sed ministrare venisse scimus: & quis interea nos inter major esse possit, hoc totum negotium nostrum esse volumus: gravi adhuc corde vanitatem diligimus, & mendacium quærimus filii hominum, & veritatis sectatores nos impudenter mentimur. Domine, Domine, sic sæpe vocamus; & cor nostrum longe est à te, nam longe est à vita tua, à via tua; ore quidem te, corde vero mundum gestamus, carnem, & sanguinem, fastum, ambitum, hypochrisim, potentiam, aurum, seculum; ore tui, animo alieni pellem magis ovinam, quam ovem intus gerimus: *multi enim ambu-*

lanr, quos ſæpe dicebat, & flens quidem dicebat Apoſtolus tuus, *inimici crucis Chriſti*: quàm à te portari volunt, tollere ipſi nolunt, ac improperia tua exhorrent. Ar inquis: ſi ergo ego humilis fui, ſi crucem portavi *Dominus, & te Magiſter, debetis & vos*: ſi ergo ego per ttibulationes in gloriam meam intravi *Dominus, & Magiſter*, debetis & vos. Quid his reſpondemus? faceſſant ingenia, ſileant doctrinæ hominum: cor contritum, & humiliatum, Deus, non deſpicies.

Tamen hic adhuc reſpondet humana fragilitas, inquit ſervus ille tuus: quid ſimile ego, & Chriſtus? ille & ſi caro, tamen verbum caro. Quid ergo ſimile ego, & Chriſtus? Ad tollendas igitur omnes excuſationes infidelis infirmitatis, martyres nobis ſtratam conſtruxerunr. Quis eſt, quem pudeat dicere, impar ſum Deo? Planè impar. Impar ſum Chriſto? etiam mortali Chriſto impar. Petrus hoc erat, ô homo, quod tu: Paulus hoc erat, quod tu: Apoſtoli, & Prophetæ hoc erant, quod tu. Si piget imitari Dominum, imitare conſervum. Præceſſit agmen ſervorum: ſublata eſt excuſario pigrorum. Poſtremo adhuc dicit: impar ſum Petro, impar ſum Paulo. Impar es veritati. Coronatur ruſticitas; non excuſatur vaniras. Poſtremò impar es pueris? impar es puellis? Honorare, & non imitari nihil eſt aliud, quàm mendaciter adulari. Hæc dicebat, Domine; hæc docebat ſervus ille tuus. Ac iterum. Cucurrit, volavir: quære quâ. O Chriſtianum! Neſcis, qua ivit Dominus tuus? via, dico tibi, qua eum ſequaris? Per preſſuras, per opprobria, per falſa crimina, per ſputa in faciem, per alapas, & flagellorum verbera, pet coronam ſpineam, per crucem, & mortem. Quid piger es? ecce demonſtrata es tibi via, ſed dura eſt, inquis, via: quis per iſtam illum ſequatur? erubeſce, barbate, erubeſce: à virtute vir diceris: fœminæ ſecutæ ſunr. Hæc quidem ille: Tu nunc, Domine robur argumenti reſumis; ſi ergo ego hac ivi Dominus, & Magiſter, debetis & vos. Non enim ſervus major eſt Domino ſuo? Nolle ire, qua Dominus ivit hoc viſum eſt tibi, ſervum fieri majorem Domino. Nefas autem eſt, ſcelus eſt majores nos eſſe velle te Domino meo, Domino noſtro. Debemus ergo ire, qua iviſti. Si hæc ſcimus, & facimus, beati ſumus; ſi neſcimus, aut ſcimus, & non facimus, deficimus ſicut ſumus.

Alio etiam argumento, eoque palmari, ac evidentiſſimo ad te ſequendum, & imitandum nos conviciſti: cœlum ſanè, & terra tranſibunt; verba autem tua, non præteribunt, ac prius cœli cardines diſſolventur quam argumentatio quælibet tua diruatur. Dixiſti itaque diſcipulis, non illis, & non nobis, ſed illis, & nobis. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur; anima vero ſua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua.*

Aut propter vitam, aut aliquid ejus, aut propter mundum, aut aliquid ejus crucem tollere, teque impigre ſequi detrectamus. Ar vanitas, hoc eſt, ſtultitia eſt: quid enim prodeſt homini, ſi mundum etiam univerſum lucretur; animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? patitur autem, qui crucem ſuam non tollit, & ſequitur te: nam poſt te non venit: ergo nec quo iviſti, pervenit, ſed perit. Hoc argumentum tuum, Domine, quod ſuperius etiam pertractatum eſt, fruſtra hic magis proſequamur, & oſtendamus: clarum illud eſt videntibus; cæci autem, fac tu Domine, ut videant.

§. IV.

Chriſtus igitur exemplar, & forma vivendi.

EXemplar nobis, Domine, factus es, & regula, forma, & ratio omnis vivendi: qui ſic vivit, vivit; qui ſic non vivit, moritur. Populos edocere de cœlo deſcendiſti, ruſticos illos, ineptos, idiotas, barbaros: at quid barbaros loquor; certè ſi abſit jactantia, cæcos etiam, & miſerandos, & quod extremum malorum eſt, qui ſibi, cum ſtultiſſimi ſint, & cæci, ſapientiſſimi tamen, atque oculatiſſimi videantur, eumque profundiſſimum dormiant ſomnum, vigilare ſe arbitrentur. Parum porro fuiſſet, quod doctrinam dediſſes, verboque inſtituiſſes: nam alii legunt, alii non legunt: hi intelligunt, hi non intelligunt, adfuiſſentque excuſationes permultæ, factis igitur, ipſoque te Deo homine ob oculos propoſito, quorſum ire oporteret, quæ fugere, quæque ſectari, commonſtraſti. Ecce, inquis, ecce vobis exemplar: ecce bona, & mala, quæ vitetis, & ſectemini. Sapientium mundi acutiſſimus ille poſt multa morum præcepta tradita, eum plura ea eſſe vidiſſet, quam mente colligi facile poſſent; quam à plurimis etiam capi, ut euncta in ſummam cogeret, quam rudes etiam quique intelligerent, ad virum probum provocavit, qui omnibus forma eſſet, & exemplar vivendi, & ea probarent, quæ probaret ille; reſpuerent, quæ reſpueret. Somniavit ſanè ille exemplar proponens quod nuſpiam erat; peccatores enim eramus omnes, cum prior nos dilexiſti: verſus veritatem tamen commentus eſt. Tu, Domine, hoc exemplar es, ac forma vivendi, notus in Eccleſia Deus, & homo; nemo dicere poteſt: neſcio, quomodo ſit vivendum, aut quia oporteat ambulare: nam ſciunt quorſum iveris tu Dominus, & Magiſter, cœli & terræ creator, & Rector: pudor autem eſt, tumor miſerandus eſt dicere: homuncio ego, & peccator, qua ivit, ire nolo. Qui intelligit terminos, intelligit miſeriam.

Inquit itaque iterum ſervus ille tuus: Satellites voluptatum divitias pernicioſe populi appetebant: pauper eſſe voluiſti. Honoribus, & imperiis inhiabant: Rex fieri noluiſti. Carnales filios magnum bonum putabant: tale conjugium, prolemque contempſiſti: contumelias ſuperbiſſime horrebant; omne genus contumeliarum ſuſtinuiſti. Injurias intolerabiles eſſe arbitrabantur: quæ major injuria, quam juſtum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus, atque cruciatus es. Mori metuebant: morte mulctatus es. Ignominioſum mortis genus crucem putabant: crucifixus es, omnia, quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia feciſti. Omnia, quæ vitare cupientes à ſtudio deviabamus veritatis, perpetiendo dejeciſti. Non enim ullum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea, quæ tu contempſiſti, aut fugiuntur, quæ ſuſtinuiſti. Tota itaque vita tua in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus es, diſciplina morum fuit. Hæc

ſervus

ſervus tuus, ſeu tu magis per illum. Non eſt, Domine, quid tecum contendamus, vincis etiam modo qui vinces utique, cùm judicaveris.

Rudi adhuc puero, qui ſolis præceptis, & verbo ſero diſcere traditur exemplar, ac forma ſcribendi: ſi nihil illam reſpiciat, figuras ducet ineptas: ſcribet autem numquam. Si didicit quidem litteras, nihil autem plus attendat, ponet *B* ubi *A* ponendum erat; & ineptiet: commiſcebit conſonantes plures, vocales plures: & ſyllaba nulla erit: ſed ſi ſyllabas etiam norit, nec amplius formam curet, confundet magis, quam ſcribet. Intendat ergo opus eſt in exemplar: & laborat quidem diu, neque exemplar unquam exæqnat; ſcribit tamen, ac imitatur: ad inſtar exemplaris eſt, quod facit, & ſi plurimum ab ea perfectione deſciſcat.

O Domine, Cœli Rex, & terræ, dignatus es nobis, qui rudi huic puero conferri non poſſumus, fieri forma, & exemplar vivendi. Quantà dignatio tua? quanta heu cæcitas noſtra tanto nolle uti beneficio? haud res profuturas; vanas prorsùs docuiſſes; adeundus adhuc eſſes, & diſcendum à te: ſatis magnum hoc pretium fuiſſet, poſſe dicere, vivimus in terris, ſicut vixit in terris homo Deus: cœlum nullum eſſet, infernus deeſſet: ampliſſimum eſſet laboris præmium, te exemplari, formaque vivere, neque tantùm in vita noſtra hoc foret, quod bona eſſet, quam quod imitatio tua eſſet. Non ignorantes, non miſeri, ſed ſapientes eſſemus; eundum tamen eſſet ad ſcholam tuam: impares ſumus, cæci, miſerandi ſumus, & recuſamus. Magna eſt Domine, valde magna miſericordia tua, qui non nos pridem à facie terræ delevisti. Renunciatum eſt nobis ſatis preſſo ab Apoſtolo tuo: & quid denunciatum eſt? *Denunciamus*, inquit, *vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate & non ſecundum traditionem, quam accepiſtis à nobis; ipſi enim ſcitis quemadmodum oportet imitari nos.* Aiunt tamen; nolo merita Apoſtolorum, eoſque imitari piget; aiunt quidem iſta vaniſſime, ac ſecuri dormiunt; ſed pereunt.

Exemplar es ergo, Domine, vitæ noſtræ: copiæ ſunt ſancti tui: deficiunt quidem, & in immenſum deficiunt à te; imitationes tamen ſunt. Hos igitur imitari, & ad inſtar eorum te ſequi juſſi ſumus. Nihil clarius in libro tuo; ſileant forſitam, vel prætereant aliqui alii: judicandi tamen non ex his, ſed ex illo ſumus. In agone contenderunt, certaruntque te Duce, & comite ſancti tui: certandum ergo & nobis eſt, & contendendum: neque enim coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Via es tu, & viator una, & comprehenſor; viatores illi, & nos: iter faciendum eſt ergo, ambulandumque cùm illis, nec niſi ſocii paſſionum ſimus, conſolationis eſſe poſſumus. Miſertus eſt harum inertium animarum, teque exemplari, ac cibo uti nolentium alter ille ſervus tuus, & non tibi, ait, horum vita inferno appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante neceſſe habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minime ſuſtentantur, ſocii planè paſſionum, ſed non conſolationis.

F I N I S.





§. VII.

Perpetuis scripturis eadem veritas commonstratur.

EX iis ordiamur, quæ velut prima principia suæ morum doctrinæ Dominus jecit, & sunt beatitudines; in quibus universo mundo, & sapientia carnis, & sanguinis repugnantia ex diametro, adversantiaque præcepta dedit; atque rectè Maldonatus existimat, non tam ex parabola ipsa operariorum, quam ex hac beatitudinum doctrina Dominum eam consecutionem adstruxisse; *multi ergo sunt vocati; pauci verò electi.*

Jam ii, credo, Domino beati dicuntur, vereque sunt in hac vita beatitudine hic possibili, qui ad futuram, æternamque beatitudinem sunt apte dispositi, dignique; idest, Justi, & filii Dei, hæredes ejus, cohæredesque Christi.

Dicat ergo, designetque palam Dominus ipse, qui certè non fallit, quinam sint hi beati, ex quo, utrum multi vel pauci sint, apertè quisque colligat. Aperiens Ergo os suum Matth.5. inquit: *beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* At sive paupertas ipsa, sive humilitas intelligatur, hi corde, spirituque pauperes non plurimi, non plerique esse videntur. *Beati*, etiam inquit, *qui esuriunt, & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* At neque hi plurimi esse videntur, sed multo plures, qui nauseant, fastidiuntque virtutem, quam esuriant, & sitiant. Dominus verò non dixit, neque ejus sententiæ congruit, beatos etiam esse corde, & spiritu divites; item fastidientes, nauseantesque, & horrentes veram justitiam, quæ virtutes omnes complectitur.

Rursum Dominus Matth.19. diserte tradit: *si quis vult venire post me abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: quod non ad Monachos solum dictum, sed ad omnes, sancti superius annotabant. At plurimi esse non videntur, qui non modo de propria abnegatione tractent, sed qui vel hoc propriæ abnegationis negotium ad se pertinere, aut secum loqui arbitrentur. Plurimi sunt, inquis. Respondeo, si plurimi sunt, plurimi salvi fiunt.

Item dicit Matth.11. *a diebus* &c. *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Violentorum vero ea natura videtur experientia constare, quod in paucioribus contingant, deficiantque ut in pluribus. Certè multitudo fidelium hanc sibi Vim, violentiamque non videtur inferre. Inquis, contra Luxuriam pugnare, Vimque sibi inferre plurimos. Utinam non multo plures cedant. Deindè magna hæc virtutis castitas sola non sufficit ad salutem.

Præterea de salute divitum, & pauperum consimilis videtur esse in mundo persuasio, & plerique etiam divitum condito suo testamento, susceptisque sacramentis obeunt. Et tamen fallitur mundus existimando, plerosque horum divitum salvari; nam Dominus non fallitur, qui Matth.19. contestatur: *dives difficile intrabit in regnum cælorum*: difficilia autem in paucioribus contingunt; sanctique Patres ita intelligunt ex divitibus raros salvari. Et expono; nam vel fere omnes, vel valde pauci salvantur; nam eodem ferme modo fere omnes disponuntur, quantum videre, conjicereque possumus & conversiones quædam raræ raro cernuntur eorum, qui in morte saltem a divitiarum amore cor suum prorsus avellant, Zachæumque imitentur. At absurdum est, fere omnes salvari. Ergo Verum, paucos salvari. Minor, constat ex toto contextu Evangelii.

Quin hæc divitibus doctrina, non ad divites solum re, sed affectu etiam, & desiderio tales pertinet. Nam sapientissimè notat Augustinus quæstion. Evang. lib.1. quæst. 26. *Quod ait Dominus, divitem non intrare in regnum, & discipuli dicunt, quis potest salvus fieri, cum pauci sint divites, in comparatione multitudinis pauperum, ita intelligendum est, quod omnes, qui talia cupiunt, in eorum numero haberi animadverterunt*: quia scilicet ut dictum ast, beati sunt non re, qui plurimi sunt, sed spiritu pauperes; nec in divitiis est malum, sed in affectu inordinato, & nimio. At quot sunt, qui similia non concupiscunt? Quot qui data optione, & addita etiam magna diligentia ditescere nolint: quin plerique vix aliud agere videntur, quam ut habeant, & magis habeant insatiabili quadam fame, & æstu quodam habendi videntur quodammodo furere. Hos etiam comprehendi animadvertentes discipuli in tulerunt, *quis ergo poterit salvus esse?*

Idem colligitur ex regula salvatoris Matth.6. *nemo potest duobus Dominis servire*, hos est quasi disparate &c. Et ex conclusione: *non potestis Deo servire, & mammonæ.* Sed qui Deo non serviunt non salvantur: multo autem plures aut mammonæ, aut honoribus, aut delitiis, Voluptatique inservire videntur. Ubi denuo, quia plerique, non quod Dominus, sed contrarium ex hac doctrina Inferunt, seu potius doctrinam, & ejus consequentiam prætereunt, quasi nihil fuisset dictum: nam Dominus infert: *ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, &c.* Et inferiùs; hæc enim omnia gentes inquirunt. At plerique seu plurimi valdè existunt soliciti, quin hoc est suum vel totum vel maximum negotium. Et expono; nam non apparet, quod solicitiores esse possent, si non crederent, aut quid avidiores, magisque soliciti extiterint gentes. Ergo in viam gentium abeunt, in mortemque. Concludit postremo Dominus: *Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus*: atque hoc sub obligationem gravem cadere animæ salvandæ, æternitatisque momentum, & permulta alia concludunt. Sed plerisque non hoc primum negotium esse videtur; cui scilicet minimam cordis, affectus, memoriæ, cogitationis, diligentiæ, temporisque partem impendunt. Invertunt ergo rerum summam. Confirmo; quia plurimi sunt, quibus satis videtur, si Deum non offendant: hoc rursùs suo modo intelligunt, & præcepta charitatis, & alia prætereunt; nec denique se meminerunt servos, & servos quidem emptitios, magno, que pretio emptos; quorum magnum crimen sit, non servire diligentissime. Facerent hoc servi hominum: Et omnia confunderentur, & caderent. Num ergo disputandum est, utrum servi Dei simus servireque teneamur? At utredeamus ad principium, plerique aliis magis rebus servire videntur, idque separatim, & disparare, non tamquam Christo servientes, ut Paulus monet; non enim repugnat duobus servite ordinate. Si ergo paucorum est Deum non solum non offendendi, sed ipsi in primis in serviendi cura, pauci plane salvantur.

Item Dominus de hac ipsa quæstione rogatus Luc. 13. *Si pauci sunt, qui salvantur?* respondit:

contendite

contendite intrare per angustam portam &c. *Confirmavit Dominus* ajebat Augustinus §. 3. *quod audivit, quod pauci sunt, qui salvantur.* Hoc aperte constat ex ipsis terminis responsionis *angusta porta, & contendite.* Primo, *quia*, ut inquit Augustinus, *per angustam portam pauci intrant.* Deinde nisi de contentione ipsa sit contendendum, omnes intelligimus, quid sit contendere in lite, bello, in schola; & quæ sit contentio, & quid contentiosè agere. Certe haud plurimi esse videntur, qui contendant intrare per angustam portam, & quibus hæc sit non solùm cura, sed contentio; quemadmodum de meo, & de tuo contendimus; & plerisque contentio potius esse videtur, non quomodo ad angustam portam redigantur, sed quomodo nihil patiantur, & amplificentur. Videamus sane hos vere contendentes, seu contentiosos in bono sensu, & ut supra dicebat Dominus, violentos, qui per angustam portam contendant intrare; & si plerique sunt, plerique salvantur; at si veraci conscientiæ nostræ testimonio pauciores sint, plures utique peribunt.

Sed quid moramur? nam hæc quæstio definita est à Domino Matth. 7. *Intrate per angustam portam; quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est* (Dominus ipse specimen præfert admirantis) *quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* O si totum caput legeretur: de moribus est totum, præmiserat verò immediate illam totius legis summam, & compendium, de quo tractatum est supra: *Omnia ergo, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est lex, & Prophetæ:* & continenter subdit: *Intrate per angustam portam, &c.* Nec angusta porta aliud est, quam illud ipsum, quod dixerat, nam *hæc est Lex, & Prophetæ.*

Jam hic nobis infideles, & hæreticos, & tenebras offundunt. Sed non de hoc agit Dominus; sed de moribus: atque in hoc totus ibi est, & credentes, & credituros instituit. Deinde infideles, & hæretici extra viam magis sunt, & aberrant. Prorsus præterea ab re fuisset hæc ad infideles saltatio. Rursus hæ duæ viæ spatiosa, & arcta non differunt; alioqui fideles omnes viam arctam incederent, ac proinde ducerentur ad vitam. Ergo post fidem & morum una via spatiosa, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam; & est alia via morum arcta, cujus arctitudinem Dominus ipse mirari videatur, quamque pauci inveniant. Atque hæc Domini quasi admiratio illud ipsum est, *quis ergo potest salvus esse?* Ipsi item termini doctrinæ *angusta, & lata;* arcta, & spatiosa rem demonstrant; si contendere non placeat; nam coangustari, & arctari plerique non solum non amant, sed horrent; & spatiosa, jucundaque sectantur. Denuo sancti, ut Ambrosius, & Basilius supra; Hieronymus in commentario adhunc locum, & cæteri per hæc angusta, & arcta labores, jejunia, vigilias, orationem, mortificationem, & similia, per quæ sancti, & servi Dei, quos imitandos, sequendosque proposuimus, gradiuntur, & cæteri gradi non solent, intelligunt: sunt autem hi sapientes nostri, & experti, ac in hac maxime scientia periti, quibus sine tergiversatione est standum. Abs te ergo hæreticos hic obtrudunt.

Atque postremo paulo ante dictum est, angustam portam, & arctam viam, & illud, *omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, scilicet tam cogitatione, & verbo, quam opere, esse idem: nam qui hoc implent, legem, & Prophetas implent; sunt ergo in via arcta, & vitæ. At plerique non videntur hoc modo erga proximos esse affecti, non ementes, non vendentes, non contrahentes, non debitores plerique; & contentionibus, dissensionibus, litibus, & sua quærentibus mundus exundat, ut eloquentissima una illa Cypriani epistola ad Donatum ob oculos ponit; nosque superius tractavimus. Concludamus ergo cum Domino: *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt*, ubi Hieronymus, *si pauci inveniunt, pauciores ingrediuntur.* Atque hoc ita intelligentes Sancti Dei; quibus oculi erant aperti, cum timore, & tremore salutem operati sunt.

Totius plane Evangelii unus est scopus, & sententia, à convertibilibusque maximis, & principiis morum, totum contextum est, quibus admissis plurimæ opiniones, & consuetudines cessent, sintque quæstiones de subjecto non supponente; quemadmodum de diligente Deum, & proximum supra tractatum est. Huc scilicet pertinet gladius ille missus in terram à Salvatore; huc odium illud Patris, & Matris, &c. In super & animæ suæ, huc ille mundi totius contemptus: *quid prodest homini, &c.* Huc servus inutilis, & arbores steriles. Huc terribilia illa, quæ de scribarum, Pharisæorumque avaritia, & ambitu, hypochtilique Dominus prosecutus est. Non ea illis superbia objicitur, quam quidam, ut mortalis sit, hæresim aliquam involvere debere arbitrari videntur. Non hoc eis objecit, sed quod facerent omnia, ut viderentur ab hominibus, averent primos accubitos, & primas cathedras, & salutationes in foro, ac vocari ab hominibus Rabbi. Hæc nobis melior Theologus Dominus exprobavit: *& væ nobis*, inquit Hieronymus, *ad quos vitia Pharisæorum transierunt: nec enim sibi* (idest in cœlu) *locus est* inquit orat. 40. Nazianzenus, *cuiquam superbo, & arroganti, nec segni, & inerti, nec sordida, nuptiisque indigna veste contecto, etiam si in hac vita splendore illo dignum se censuerit.* Necessitatem dilectionis Dei, & proximi non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate toties inculcavit. Nam plurimi sunt, qui proximos instar sui ament, qui eos juvent, qui de bonis lætentur, de malis doleant, & alia, quæ a vero amore inseparabilia sunt, peragant? Humilitatem etiam necessariam decrevit, & ut superius diximus, nullus superbus cœlo potitur. Num ergo plurimi sunt vere humiles, quod a se ut disceremus Dominus in primis jussit? Omitto alia, & quæ de novissimis temporibus, & raritate fidei Dominus præmonuit. De parabolis etiam Evangelii nonnihil inferius differemus.

Non itaque nobis exploratum est, non libris aliis, sed Evangelio, libroque Dei isto nos esse utique judicandos, & os ille absolvet, absolutos fore; quos damnat, perituros. At non plurimi esse videntur, qui ex Evangelio vivant, quique ejus maximis, & principiis vitam regant, ad illaque mores suos exigant, & forment. Non ergo plurimi esse videntur, qui salventur.

§. VIII.

Aliis scripturis eadem paucitas conficitur.

Apostolus ad Galat. 5. perspicue tradit: *qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*: qui autem Christi non sunt, salvi non sunt, salvi non fiunt. At non plerique, sed pauciores esse videntur, qui de hac carnis suæ crucifixione cum vitiis, & concupiscentiis tractent. Apostolus sane non mentitur. Colligat ergo consequentiam quisque.

Ibidem describit carnis, & spiritus luctam, & carnis, & spiritus quasi duplicem viam; & utriusque facta, & fructus prosequitur: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, &c. inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, comessationes, & his similia, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Videtur* autem plurimos esse, qui hanc viam consequantur: pauciores vero illam spiritus, cujus fructus sunt *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, &c.* Quibus congruit, & terret, quod 1. ad Corinth. 3. scribit: *cum enim sit inter vos Zelus, & contentio, nonne carnales estis?* ubi ululat plane Chrysostomus.

Idem est contextus de charitatis necessitate, cæterorumque omnium citra illam inutilitate 1. ad Corinth. 3. Describit vero mox quæsit ista charitas dicendo, *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, &c.* Nec est dicendum Apostolum, ubi cætera sine charitate nihil esse statuit, de una charitate esse locutum; & continenter declarando charitatem ad aliam charitatem saltasse. Eam ergo necessariam posuit, quam ex effectibus suis statim manifestat: at hæc sive perfecta, sive solum incepta pauciorum, atque de hoc negotio pro virili tractantium esse videtur.

Consequens his est, quod ad Roman. cap. 8. scribit: *ergo fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis*, (quæ scilicet paulo ante memoravimus) *vivetis*. Causalis vero magis urget, & stringit; *quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Hoc agi est, sicut aliis amoribus divitiarum, honorum, voluptatisque agi, trahique homines solent, ut habemus explicatum ab Augustino in Breviario. Si ergo, qui aguntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei, & cæteri non sunt, unusquisque colligat, quot sint hi, qui sic aguntur, & trahuntur spiritu Dei, & dilectionis. Ubi, ut supra animadvertimus, omnes tres incipientium, proficientium, perfectorumque clauduntur. Hic porro Dei spiritus, & dilectionis est gratia Evangelii, & filiorum, ut ibidem Paulus constituit sine qua litera occidit. Alterum item signum præbet secundùm carnem, & secundùm spiritum ambulantium, id est, per viam, per viam spatiosam, & arctam: *qui enim secundum carnem sunt, aut, quæ carnis sunt, sapiunt: qui verò secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt.* Hic spiritualium rerum sensus, & sapor pauciorum esse videtur, & plurimis illæ tam videntur insipidæ, atque insipidæ nobis sunt, & displicent incomestibilia, ut lapides, & terra, vel etiam potiones amaræ.

Prudentia etiam carnis, & sæculi latissime dominari videtur; nam ejus scopus, & finis est media conquirere ad ea, quæ carnis, & mundi sunt, consequenda, honores, delitias, voluptates, divitias, &c. Quæ sanè prudentia satis in consueto, & multorum esse videtur: *prudentia autem carnis mors est*, inquit ibi Apostolus: item Jacobus: *amicitia hujus sæculi inimica est Deo.* Plurimi autem videntur hi sæculi amici, & amicissimi.

Sic præterea disserit ex verbis Apostolicis eximiis ille Doctor Simon de Cassia lib. 6. de parab. Salvatoris cap. 21. Verum tamen nimis terret sententia ista, quod *multi sunt vocati; pauci verò electi.* Sed nec in vocatorem culpa jaculetur, sed in eum qui renuit juxta Salomonis verbum, &c. Nec non & ad illos, qui ad fidem venerunt, sed non ambulaverunt digne ad vocationem Cælestem; neque suos mores Sancto Evangelio coaptaverunt, quæ sua sunt, quærentes; non quæ Jesu Christi; nec renovantes se in spiritu interiori, aut plene veterem hominem spoliantes, & induentes novum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & veritate, & sanctitate; nec carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifixerunt; fructus dignos pœnitentiæ facientes aptos vocationi Deifetæ. Ideo pauci electi.

Unde Isaiam inducit prædicentem cap. 17. *& erit sicut congregans in messe, quod restiterit, & brachium ejus spicas leget, & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim, & relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum, vel trium olivarum in summitate rami, &c.* Et alia ex cap. 14. Ejusdem Isaiæ; & ex Michæa cap. 7. *Væ mihi, quia factus sum, velut qui colligit in autumno racemos Vindemiæ.* Sic erit, concludit ille paucitas salvandorum.

Hæc iterum planissime ab eodem Apostolo audiamus 1. ad Corinth. 15. qui duplex genus hominum, quo omnes homines comprehendat, distinguit, & quivis facile videat utri plures existant. *Primus homo, inquit, de terrena terrenus: Secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni portemus & imaginem cælestis. Hoc autem dico, Fratres, quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* At plurimi esse non videntur hi homines cœlestes, si de plano loquamur; hi tales, qualis Christus: Hi imaginem, vitamque ejus, ac mores præseferentes, qui terreni non sint, qui veterem hominem, ejusque imaginem, non portent, sed exierunt: qui denique secundum carnem, & sanguinem non vivant: & tamen caro, & sanguis, & terreni regnum Dei non possidebunt. Non dicit, perfectionem non consequentur, sed de regno ipso loquitur.

Hoc pacto Epistolæ omnes Apostolicæ percurrere, possunt; nam & hæ, & Evangelium, atque Scriptura omnis uno, eodemque spiritu contexta eamdem formam vivendi, eadem morum principia, viamque eamdem ostendit, & præscribit; quibus admissis, cessent plurima: & quicumque ex scriptura vitam suam instituere constanter decernit, haud sane plurimorum, sed pauciorum capesset viam, ut sancti una omnes prteterierunt. Si vero Prophetas etiam evolvere placeat, profecto sicut in populo illo, idolatriam quidem inter fideles haud inveniet: uti neque Christus invenit, quando venit: at in injustitiis, in avaritia, immunditia, superbia, rerumque terrenarum cupidine similiores nos populo, quam Sanctis Apostolis plane reperiat. Quare passim sacri concionatores

natores ex Prophetis etiam populos fidelium reprehendunt; nec respondent, ea ad se non permitrere. Qui non declinaverint, qui corde recogitent, quorum portio sit custodire legem Dei, quibus illa in medio cordis sit, & hoc genus innumera quantæ multitudini congruant?

§. IX.
De Parabolis Salvatoris in Idem.

CUm in his parabolis Domini numerus numero non correspondeat, & ex convivio unus dumtaxat, & ex decem virginibus quinque damnatæ perhibeantur, non tam numero, quam doctrinæ, damnationisque causæ iosistendum est, ut hoc ex loco fundate arguarur. Et primum quidem de hoc damnato ex convivio, quia vestem noptialem non habebat, jam §. 5. Augustinus argumentatus est: ea etenim causa, si humana consideratione res ageretur, damnatione digna videri non potuisset. Sufecissetque vel erubescere, vel vestem mutare compelli. Sed verò in hac parabola adsunt alia, unde pereuntium multitudo colligatur.

Etenim excusationes illæ, quibus venire recusarunt, satis frequentes esse videntur, ne plerique Deo servire, & ad nuptias æternæ beatitudinia pervenire studeant: *Illi autem*, inquit Matth. 22. *Neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam; alius vero ad negotiationem suam:* & Dominus ex tota serie intulit; *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Significantius porto Luc. 14. & cœperunt omnes simul excusare. *Primus dixit, villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum:* quæ certe voces infidelium non sont, sed credentium. *Et alter dixit: Juga boum emi quinque, &c. Et alius dixit: Uxorem duxi, &c.* Hæc certe & similia plerorumquo esse videntur, ideoque Evangelium dixit; *& cæperunt omnes simul excusare.* Dominus autem conclusit; *Quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*

Videtur autem, Dominum nobis exprimere voluisse, & ostendere, curas etiam illas, & solicitudines, qoibus plurimi mundo immersi divina negligunt, quæque apud homines culpæ vix esse videntur, excludore tamen à cœna sua. Propterea non dixit, *neglexerunt, & abierunt*, alius ad furandum, alius verò ad mœchandum, sed dixit, *alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.* Nec item dixit; villam furatus sum, & necesso habeo exire, & videre illam: aut concubinam habeo &c. Sed dixerunt; villam emi, juga boum emi: uxorem duxi, &c. & crimen illud fuit, quod his de causis sese excusarent; non quidem ab ipsa beatitudine, à qua certe nemo se excusat, sed à cura, & solicitudine illius acquirendæ, rerumque animæ, & divinarum serio, cordeque præcipuo tractandarū.

Idem sensus est parabolæ seminis Matth. 13. & Luc. 8. ubi ea dicens, docensque *filius Dei clamabat, qui habet aures audiendi, audiat.* Parabola est, alterum semen cecidisse secus viam, & ab hominibos conculcatum; aliud super petram, & aruisse, quia non habebat humorem; alterum in spinas ab exortis spinis suffocatum: postremum in terram bonam, quod fructum fecit centuplum.

Explicatio Domini est: Semen est verbum Dei: *Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt: deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Haud opinor, de illa fide agit, qua Catholici sumus, sed de ea, qua hæc Evangelii morum decreta audimus quidem, atque de eis etiam impigre exequendis cogitamus; sed venit Diabolus, & tollit verbum hoc de corde nostro, & sæculo conformamur. Prosequitur explicationem Dominus: *Qui supra petram, qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, & in tempore tentationis recedunt.* Quod certe non infidelibus, & hæreticis, sed iis maximè videtur congruere, qui Verba vitæ æternæ audientes, & cum gaudio suscipientes, incipiunt quidem Deo strenoe servire; sed radices non habent, & tentatione, tribulationeque adveniente recedunt, & ut erant, steriles petræ esse pergunt. Sed hæc omittamus; nam quæ consequuntur, nimis multos comprehendere videntur. *Quod autem* inquit, *in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & divitiis, & Voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Utinam desipiamus nos, si hos plurimos esse arbitremur; paucio-res autem illos, *qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* Quin plurimorum, ut supra disputatum est, ea persuasio esse videtur, satis esse si fructus malos non referant, neque Deum offendant; nihil autem ad se pertinere proficiendi, bonosque fructus reddendi studium. Sed certe si hoc necessariom non esset, hæc dicens filius Dei non clamaret; & scimus deindè ex ipso regulam, quod omnis arbor bona bonos fructus facit, & similia de quibus supra dictum est.

Habemos præterea parabolam decem Virginum Matth. 25. ubi ut dixi, numero non insisto, sed doctrinæ: hæ scilicet. Impudicæ non erant; nam Virgines erant; non de furto, non de negotiationibus, aot injustitia, aut de simili accusantur. Earum crimen juxta Gregorium, & alios fuit elatio: juxta Chrysostomum avaritia; habentes enim unde emerent (nam postea ad vendentes iverunt) non emerant, imo à sociis oleum sibi dari volebant, quin expendere cogerentur. Quis nostrum, si Dominus tacuisset, damnandas has quinque Virgines judicasset? Aut quid virtutis præ his fatuis virginibus in multitudine cernimus? Negligentia, elatio, avaritiave fuerit crimen? Quot verò meliores.

Dixit etiam Luc. 18. ad quosdam, qui in se confidebant; cæterosque aspernabantur; eorumque unum sic orantem inducit; *gratias tibi ago Domine, quia non sum; sicut cæteri hominæs, raptores injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Vera hæc erant; non enim mendacii in his arguitur; neque quod aliqui, nescio plane undè ad superbiam mortalem requirunt, sibi, viribusque suis tribuit suam Justitiam, sed Deo refert acceptam, & gratias agit. Hanc ergo hujus, & similium prodit culpam Evangelium, nimiam scilicet confidentiam, indeque ortam superbiam, & cæterorum contemptum. At nos non his Evangelii præceptis, sed humana consideratione hæc metientes, & justos, peccatoresque dijudicantes, si apud nos videremus, aut videmus similes homines non raptores, neque injustos, neque adulteros, quin bis in hebdomada jejunantes, decimasque persolventes, mox justos, & justissimos, quin etiam sanctos, quo nomine

mine excellentiorem quamdam justitiam intelligimus, mox pronunciamus. Fallimur ergo in hoc judicio, plurimumque deficimus. Sed forte illi aut debita non solvebant, aut avari erant, vel quid simile. Cæterum Evangelium nihil simile memorat, nec de injustitia, aut avaritia hoc loco instituit, sed de nimia confidentia superbiaque.

De servo, etiam pigro, & inutili superius tractatum est. Quot verò in multitudine illi sunt, quorum hoc unum sit crimen, scilicet pigritia, & inutilitas, & non prætcrea etiam offendant, & peccent? omitto quam plura alia, & concludat Alfonsus à Mendoza quæst. 1. posit. conclus. 4. adi aulas, tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, naves, cursus, &c. Et ibi puerorum, adolescentium, virorum, senumque corruptissimos mores intuere perjuria, invidias, detractiones, fraudes, convicia, rixas, obscenitates, corrupta desideria, superbiam, avaritiam, edacitatem, &c. profecto mecum senties, dicesque: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, in studiis suis, &c.* & Micheæ 7. *Periit Sanctus de terra, & rectum in hominibus non est.* Hactenus Mendoza.

§. X.

Ratiocinationes in idem.

EX hac ipsa inprimis Quæstione, ut superius insinuatum est, sumitur multitudo pereuntium, & paucitas salutem consequentium. Tres nimirum sunt in ea opiniones, altera utri plures sint, dicit incertum; altera citra scripturas & sanctos, quin contra ait, plures salvari, sed non negat, plurimos etiam damnari. Tertia vera statuit, plures damnari. Eligatur porro earum quælibet. Profecto sequitur, nos in tanto periculo teneri gravissime, vigilare, oculos aperire, salutique nostræ diligentissime intendere; quemadmodum navigantes, qui magna tempestate jactantur; & milites, qui periculorum prælium committunt; & infirmi, qui gravi morbo, quo plerique, vel saltem plurimi obeunt, laborant, &c. sicut superius de periculo in genere ostensum est. At plerique non ita vigilant, sed velut in tutissimis rebus dormiunt somnum suum, & omnia alia magis curant. Ergo hoc solo gravis criminis rei existunt, & convincuntur, se pluris facere mundum, quam Deum; corpus quam animam, invertereque prorsus omnia.

Poneremus materialissime numerum illum, qui Matth. 24. de novissimo tempore prædicitur: *tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur: duæ molentes in mola; una assumetur, & una relinquetur: duo in lecto; unus assumetur, & unus relinquetur. Vigilate ergo*; infert Dominus, & evidentissima est consecutio· Non est certe intentio Domini, eo tempore parem fore numerum; nam paucitatem bonorum satis alias explicavit, sed ipsummet etiam locum, & quasi vitæ institutum, in quo supererunt electi, futurum periculosissimum, & ex quo unus assumatur, & alter relinquatur. Sed ponamus, ut dixi, hanc numeri parilitatem. Certe vel anima, & salus, & Deus nihil sunt, vel tenemur gravissime quasi in maximo summæ rerum periculo vigilare, attendere, intendere, & huic negotio potissima, cura incumbere. At multitudo videtur hoc prætermittere. Ergo.

Rursus sic differo. Hæc quæstio universa eo revocari videtur, ut statuatur, utrum vita communis, & fere omnium sufficiat ad salutem? In qua sanè vita de imitatione sanctorum non tractatur, & præcipua studia sunt rerum mundi, & non propter Deum; & plurimi conjugati adulteria, & fornicationem, aperta furta, & similia cavent; alii labuntur, sed confitentur plerique peccata sua aliquoties in anno; & postremo susceptis Sacramentis decedunt.

Hæc, inquam, de paucitate, vel non paucitate salvandorum quæstio ad istam aliam revocatur, num scilicet hæc vita communis dicentium, *Nolo merita Apostolorum, sed sufficit mihi vita communis*, sufficiat ad salutem? Nam si sufficit, plerique salvantur; sin minus, plerique pereunt, & comparatio ferme superest rerum vel ut in plurimum, & plerumque, vel raro, & in paucioribus contingentium. Unde necesse videtur, ut vel numerus salvandorum, vel numerus pereuntium valde, ac notabilissime, manifestissimeque major sit, & excedat.

At numerus salvandorum non ita major est, & excedit. Nam primum in quæstionibus superioribus ostensum est, vitam communem non sufficere. Deindè desipuissent sancti Dei, & Doctores Ecclesiæ, qui in re tam manifesta cæcutierunt, & tam paucos salvandos tradiderunt. Sancti rursus omnes, & servi Dei vigilantissimi obstupuissent; quia si hanc vitam communem sufficere arbitrati fuissent, fatuitas ferme erat, ipsos timere: nam inter ipsos, & hos alios est comparatio quasi facientium ut octo, & facientium ut unum, vel nihil: & stultus esset, qui velociter currens eò pervenire timeret, quo claudos, & pigritantes, & vix ambulantes alios, vel omnes, vel plerosque censeret perventuros. Timor etiam ille Apostoli vanus, affectatus, prorsusque ineptus videretur; *nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me Dominus est:* ac hoc genus innumera, & quæcumque ex Evangelio, & Apostolis adduximus, caderent, fucusque quidam, & inanes terrores viderentur.

Hinc denuò argumentor; quia plurimi sunt tam sibi sperantes, quam aliis promittentes salutem, qui regula omnino diminuta, inadæquataque ad salutem necessaria demetiuntur. Etenim inprimis lege solùm negativa videntur uti, & siquidem quis non mœchatur, non furtum facit, non occidit, neque Deum, neque proximum odio habet, eum justum, salvandumque pronunciant. Cæterum lex Dei non sola negativa est, sed etiam affirmativa declinandi à malo, & faciendi bonum; quin lex omnis etiam humana, ut Aristoteles in Ethicis, & Politicis tamquam exploratum supponit, non eo solum tendit, ne cives sint mali, sed ad reddendum etiam cives bonos cives. Quanto ergo magis lex Dei? omittunt igitur in mensurando maxima mandatorum dilectionis Dei super omnia, & proximi instar sui: Humilitatem, vigilantiam, mortificationem, studium æternorum, &c. Quæ ex dictis clara sunt. Sunt ergo, qui loco ulnæ palmo pannum mensuraret, aut loco libræ uncia aurum ponderaret, falleretur maxime, ac multo plures ulnas panni, & libras auri esse diceret, quæ plane non sunt, in præsentia accidere videtur. Quinimo nec ipsa lege negativa adæquata utuntur, &

peccata

peccata ſpiritualia, quæ majora quidem, ſed tamquam ſpiritualia minus nota ſunt, nec ſenſu, ſed intellectu capiuntur, prætetire videntur ſuperbiam, invidiam, avaritiam, conrentiones, rixas; reliquoſque affectus in ordinatos pravos animæ, & opera carnis.

Undè denuo quia vera Chriſtianitas veraque juſtitia non in opere, ſed in corde conſiſtit, ut ſæpe, ac diſertè Dominus tradit: *Phariſæe cæce munda prius, quod intus eſt calicis & parapſidis, ut fiat & id, quod deforis eſt, mundum Matth.* 23. Daremua, & fingeremus, fideles opere, externoque cultu, ac vitæ inſtituto diſſimillimos gentilibua, aut hæreticis; corde tamen pares, & ſimillimos. Viderentur certè boni Chtiſtiani, & juſti; at non eſſent, ſed velut monumenta dealbata, quæ parent hominibus ſpecioſa, ſi idem amor eſſet pecuniæ, honorum, filiorom, ſtitpia, gloriæ, & mundi. Oſtenſumque eſt ſupetius, hæc exteriora ſine corde ad veſtimenta ovium pertinere, nec oves facere. Videtur autem, quod multi ad judicandum parum eorda diſcutiant, ſoloque judicio operis exteriorea definiant, juſtoſque, & ſalvandos ponuncient; Dominus autem intuetur cor, nec ſecundum faciem judicat. Deficiunt ergo maximè in hoc judicio; & ſancti Dei, quorum aperti erant oculi, hoc ex loco timebant; ſciebant quidem, ſe non mæchari, non occidere, non furari, &c. Sed utrum nimio amore proprio, aut occulta aliqua ſuperbia, aut ſimili vitio maximè ſpirituali laborarent, anxii, ſolicitique erant. Patet ergo diminutam valdè eſſe iſtam regulam.

Sed & ex operibus exterioribus corda diſcutiamus, deprehendamuſque ex regula ejuſdem Domini, *à fructibus eorum cognoſcetis eos*, arborea ſcilicet bonas, & malas, ut ſupta in alium ſcopum tractatum fuit. Occurrunt hæreticorum, Infideliumque urbes, & curiæ, Londinum, Conſtantinopolis, Ambſterodamom, Witemberga, & aliæ: occurrunt etiam Catholicorum urbes, & aulæ. Jam apud eos, ubi vera fides non eſt, nec vera ulla juſtitia, qua juſti, verique Chriſtiani ſint, ſupereſt, ut indubitatum ſuppono. Utrarumque nunc, ut corda habeaa, & colligaa, ſtudia confer plerumque loquendo; verba, negotia, ſolicitudinem attende, & in quo utrique toti ſint: num valde alios nobiles noſtros, & potentes in ambitu, in gloria mundi appetenda, promoveodaqoe in venias: mercatores, ementes, vendentes, contrahentes, litigantes, artifices, mulieres confer. Copioſæ certè orationi locus hic eſſet: ſed oratorem non ago, ſed Philoſophum, & Theologom, & ſtatuo, ſimilium plos minus ſtudiorum ſimilia plua minus eſſe corda, & ex fructibus rectè dignoſci arbores, ut ſuperius commonſtratum eſt. At Fidelium plurimorum eadem plua minua videntur eſſe ſtudia, atque cæterorum, & nimia ſimilis concupiſcentia oculotum, & ſuperbia vitæ. Ergo eadem plua minus erunt corda. At cæterorum corda recta non ſunt, neque juſta. Ergo neque fidelium ſimilia proſequentiom.

Eorum ea eſt confirmatio; nam unicuique eſt ſuum principale, & quaſi primum, & famoſum amatum, quod ſit ſibi quaſi ſuua Deus, qui primum locum, & principatum cordis habeat: unde & Dominus dicit, ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit, & Apoſtolus ait, avaritiam eſſe idolorum ſervitutem; nam avaro ſi non intellectus, cordis tamen ſui Deus pecunia eſt, & alteri honor, alteri voluptas. Hic amor cordis valut rex, principalia, & quaſi primi, famoſiotiſque amati eſt, ut ait Auguſtinus, pondus noſtrum, & illo ferimor, quocumque ferimur. Inde præcipua noſtra negotiatio, cogitatio; memoria, ſtudiumque eſt circa hoc principale, & famoſius amatum: proptereaque Apoſtolus dicebat de iis, quibus verus Deus eſt hoc amatum, *qui ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.* Omnea enim habent ſuum principem amorem, quo agantur: & ipſi pigri, & inertes amore ſuo proprio quaſi aguntur, coguntùrque quieſcere. Si ergo pauciores ita arguunt ad æterna, & pletiſque alia ſunt ſua ſtudia alioque amore ſuo feruntur, haberur, eorum principale, & quaſi primum famoſumque amatum non eſſe Deum, ſed aliud: atque hoc eſſe ſuum theſaurum, & cordis Deum. Sed hi nimis plutes eſſa videntur.

Plurima hoc modo proſequi poſſemus, quibus corda communi vita viventium plus minua innoteſcerent, ſed ptoperamus. De mala plerumque morte peccatotum, defectuque veræ converſionis late diſſerunt Montoia, & Alapide, qui videri poſſunt; & alio forſitam die de hoc puncto adeo neceſſario plurima adducemus. Modo ſufficit ſententia Domini, *mors peccatorum peſſima*: Item illa, *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Sunt ſententiæ raro deficientes. Oportuit autem, eas non aſſe prorsùs infallibiles, & ſinè exceptione, ne juſti ſuperbiant, & nimis confidant, & torpeant; ne item peccatores unquam deſperent. Quin mortia tempore hæc prætermittenda ſunt, & animo erigendi Morituri; excitanda ptimum modis omnibus fides, & connitendum pro virili, ut vertatur Veraciter, convertaturque à mundo ad Deum: quod ſanè difficillimum ordinaria gratia eſt: cum conſuetudo in naturam verſa fuerit. Et ſæpe circunſtant undique impedimenta ſine fine, quin error etiam hic, quem evertimus, de nimia facilitate ſalutis, & quod quilibet ſalvantur, & ſatia ſit ſacramenta quoquo modo ſuſcipere, & ſimiles hoſtis ſuggeſtiones perdunt plurimos, & inimici hominis domeſtici ejus eſſe ſolent. Quibus, & aliia omiſſis celebris eſt illa doctrina Auguſtini lib.50. homiliat. hom.41. *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſua voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & morte conciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus. Quod petit, ſed non præſumimus, quod bene hinc erit.*

Poſtremo, quod nobia fuit objectum, & quæ occaſione depaucitate ſalvandorum pertractamua argumentum retorquendo conſtat hæc paucitas ex toto opere. Etenim non tot, quin plures probabilitate, non veritate ſibi vitam inſtituunt. Hæc autem, ut part.1. Eſt oſtenſum, non eſt via ſalutis. Immenſum deindè eſſet, ſi opiniones particulares, exquibua plerique vivunt, proſequeremur; in more eſt vendentibus propter moram ſolutionis pretium adaugere, quod tamen uſura eſt; nullus auſus eſt, ſed erubuerunt omnes typis ſaltem mandare, & in publico dicere, in mutuo etiam propter lucrum, ceſſant accipi poſſe præter ſortem decem, aut duodecim ex centum; & tamen in hoc ipſo loco innumeri qui nihil negotiaturi erant, accipiunt decem, & alii plus, & multi cum pignore, & ſacramenta frequentant, nec deſunt, qui quotidie etiam communicent: ſuntque hoc genus alia ſine fine, quibus viſia ſuperflua videatur ſanctorum autoritas ad colligendum paucitatem ſalvandorum. In ſimonia idem plus minus cernitur.

Admini-

Administratores Reipublicæ ex more ferme gubernant, & consuetudo est ipsis regula adeo, ut conspicere oculis videamur illud Cypriani, quod sæpe repeto, quia est valde explicativum; *conserere jura peccatis, & cœpit esse licitum, quod publicum est*; & illud Chrysostomi: *ex hoc necessario quasi jam licite peccant.* Et si quis resistat, paradoxum eum habent; quod apud eos idem significat, atque contra consuetum, & usitatum; apud quos proinde salvator maximè omnium paradoxus visus fuisset. Habent deinde regulas nimis voluntario erroneas: Episcopos quotidie de sede in sedem contra jus omne transvehunt. Regimina Provinciarum præmia esse aliquando meritorum, aliquando nobiliorum patrimonia, non digniorum, qui melius aut bene recturi sint supponunt; consultationes Magistratuum regulas indefectibiles esse conscientiæ crasso errore aut credunt, aut affectant; suos quique promovent. De Regiæ autem gazæ Administratoribus, ne ullum suorum amicorum hoc officio in Indiam mitteret, scribebat Indiarum Apostolus ad Simonem Rodericum, *quia eorum vir unus*, inquit, *salvatur*: & Gregorius de Telonearijs in Breviar: *sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi vix, aut nulla tenus possunt.* Et tamen hi etiam, sicut cæteri vivunt, & moriuntur confidentissimè, & sacramenta sine ulla vitæ mutatione, vel mutandi proposito suscipiunt, & sic etiam obeunt; quia conserere jura peccatis, & consuetudo versa est in regulam. Quid hæc prosequor finem numquam habitura: *lugendum est enim, & vere lugendum*, ajebat supra Chrysostomus. *Sic enim omnia confusa, sic sunt cuncta resoluta, ut ne vestigium quidem virtutis usquam videas*; undè etiam Augustinus non uno in loco pro paucitate electorum illud usurpat, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filios Adæ.*

Quo in loco sit anima, & salus æterna, illud etiam parentissimè demonstrat. Videas scilicet divites, nobiles, potentesque, quantopere curent domos, vestes, cibos, potum, famulos habere, quam meliores possunt, multamque pecuniam expendunt; si autem in morbum incidant, non quoslibet, sed quos optimos putant, Medicos accersunt, expenduntque plurimum, & quandiu fermè res omnino deploratæ non sunt, hoc est suum totum negotium, quomodo salutem corporis consequantur, de confessore, animæque Rectore, vel cum valent, vel cum decumbunt obvius quisque de trivio censetur sufficere, contrariaque omnia plerumque cernuntur. Vel ergo quod filius Dei non dixit, sed contraria omnia dixit, protrita valde tea, & obvia, ac facilis, & cujuslibet, atque omnium est salvari; vel quod verum est, plerique in hoc salutis negotio errant prorsus voluntario, & sic pereunt. Undè mirandum non est, quod in statu legis, vel naturæ, vel scriptæ, tam pauci salvi fuerint.

§. XI.

Concionatores ergo Apostolici, qui hanc paucitatem denunciant, reflectere deberent in causam ejus, & eam educere: item populos erigere ad viam arctam ex magnitudine misericordiæ & gratiæ Dei.

SÆpè egregii quidam viri hanc paucitatem, recensitis etiam ex ordine sanctorum dictis, contestantur, adque verissimum censent. Sed videntur in causam non reflectere, cur scilicet tam pauci sint? Si namque communior modus videndi ad salutem sufficiat, verum non est, tam paucos salvari. Quid si hoc verum est, sequitur plerosque neque rectè vivere, neque rectè mori. Videndum ergo esset, quid in communi modo morum desit; atque hi defectus, ac errores essent manifestandi, edocendusque populus, quod citra optimum doctrinæ morum, legisque Dei scientiam, & notitiam fieri nequit. Sumere item, credereque deberent, fieri omnino non posse, neque conciliari hæc duo, quod pauci salvi fiant, & quod communis, & plerorumque via sit via salutis; nec item viam vitæ arctam esse, & simul rectam morum, conscientiæque regulam esse latam, & spatiosam, tutasque eas opiniones, quibus multitudo vitam instituit.

Præterea quia timor, & tristitia, nisi sit ad pœnitentiam, non prodest, hic locus erit misericordiam Dei, & gratiam veracissimè amplificandi, erigendique populos, ne arctam viam horreant, sed incunctanter aggrediantur innixi Dei misericordiæ, & gratiæ: verissimum quippè invenient, *gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*: & quamquam Deo credere nollemus, experientiæ ipsæ nostræ, si quando Deo adhæsimus, & sociorum nostrorum, & aliorum, quos novimus hanc arctam viam incedentes, & nobis jucundiorem vitam transigentes, convincunt nos etiam nolentes, atque confundunt.

§. XII.

Rectè ergo. S. Paulinus Celantiæ matronæ nobili, veritatem moralem, salutisque viam, ex paucitate eam sequentium tamquam signo demonstrat.

SCribit de hoc latissime Epist. 50. quæ una tanti viri quadam tenus Hispani simul, Itali, & Galli, & ab ipsis doctoribus Ecclesiæ præsertim vero ab Augustino maximè habiti sufficere nobis plane deberet non solum ad hujus quæstionis, sed ad totius quoque operis stabilimentum, & commendationem; cujus scilicet Epistolæ, & operis totius nostri unus scopus, idemque argumentum est.

Argumentum hoc fuit. Petis namque, inquit, & solicite, ac violenter petis, ut tibi certam ex Scripturis sanctis præfiniamus regulam, ad quam tu ordines cursum vitæ tuæ, ut cognita Domini voluntate, inter honores sæculi, & divitiarum illecebras morum magis diligas supellectilem; atque ut possis in conjugio constituta, non solum conjugi placere, sed etiam ei, qui ipsum indulsit conjugium.

Parebo igitur, &c. atque plurima prosequitur de observantia præceptorum, quam charitate claudit: *grandem vim*, ait, *obtinet vera dilectio: nihil imperiosius charitate:* moxque legem negativam, & affirmativam distinguens utramque omnibus necessariam constituit, & explicat. Exponit deindè, quam sit absurdum Christianos vitam agere gentilem, non urique professione fidei, sed morum instituto, ut superius Philosophati sumus.

Accedit mox ad præsens punctum. Nos vero, inquit, qui purissima confiremur fide, omnem hominem manifestandum esse ante tribunal Christi, &c. Proculdebemus esse a vitiis, dicente Apostolo: *qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis,*

vitiis, & concupiscentiis. Nec turbam sequantur errantem, qui severitatis discipulos confitentur.

Duas certè conversationis vias, & distincta in diversum itinera vivendi salvator in Evangelio ostendit: *quam*, inquit, *spatiosa via, qua ducit ad mortem, & multi sunt, qui intrant per eam: quam arcta via, & angusta, qua ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Vide, quanta inter has vias separatio sit, quantumque discrimen: illa ad mortem, hæc tendit ad vitam: illa celebratur, & teritur à multis; hæc vix invenitur à paucis; illa enim vitiis per consuetudinem quasi declivior, sa mollior facile ad se rapit commeantium multitudinem: hæc vero insueto calle virtutum & istior, atque horridior ab his tantum eligitur, quibus non delectatio itineris cordi est, quam utilitas mansionis. Asperam enim nobis, & in suavem virtutum viam nimia facit aonsuetudo vitiorum, quæ si in partem alteram transferatur, invenietur, sicut scriptura dicit, semita justitia levis.

Ponamus ergo jam rationem vita nostra, & per quam potissimum gradiamur viam, conscientia teste discamus. Omne enim, quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de angusta via est. Si cum paucis angustum iter, & subtilem quamdam semitam invenimus, ad vitam tendimus. Si vero multorum comitamur viam, secundum Domini sententiam imus ad mortem.

Si ergo odio, atque invidia possidemur, si cupiditati, & avaritiæ cedimus, si præsentia commoda futuris præferimus, per spatiosam viam incedimus; habemua enim ad hæc comitum multitudinem, & latè similium stipamur agminibus. Si iracundiam, libidinemque explere volumus, si injuriam vindicare, &c. æqua cùm pluribus ferimur. Si vel adulamur ipsi vel adulantem libenter audimus, si verum dicere gratia impedimur, & magis offendere animos hominum timemus, quam non ex animo loqui, de multorum item via sumus, tot sunt socii nostri, quot extranei veritatis.

At è contrario si ab his omnibus vitiis sumus axtranei; si purum, ac liberum animum præstamus, & omni cupiditate calcata, solis studemus divites esse virtutibus, per angustam viam nitimur conversatio enim ista paucorum ast, estque perrarum, atque difficile, idoneos hujus itineris comites reperire. Quin etiam multi hac ire se simulant, & per diversa errorum diverticula ad viam multitudinis revertuntur: idcoqua timendum est, ne quos duces recti hujus itineris habere nos credimus,, eos comites habeamus erroris.

Si igitur inveniuntur exempla, quæ nos per hanc ducant viam, & rectum Evangelii tramitem teneant, sequenda sunt, sin varo ea vel deficere putantur, Apostolorum forma universis proposita est. Clamat vas electionis Paulus, nosque quasi ad angustum hoc iter convocans, dicit: *imitatores mei estote; sicut & ego Christi.* Certè quod est amplius omnibus, ipsius Domini relucet exemplum, qui in Evangelio ait: *venite ad me omnes, &c.* Si periculosum est imitari eos, de quibus dubitas, an imitandi sint, hunc certè imitari tutissimum est, atque ejus vestigia sequi, qui dixit, *ego sum via veritas, & vita.* Numquam enim errat, qui sequitur veritatem. Unde & Apostolus Joannes ait: *qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Hæc beatissimus Paulinus: hæc item nos; si excessit ille, aut ineptiit, sinant nos quoque similibus ducibus ineptire. Clamet igitur: *cesset omnis excusatio errorum; auferantur peccandi fœda solatia. Nihil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus: & ad in consolationem nostram aliena sæpe numerantes vitia, deesse nobis dicimus, quos debeamus sequi. Ad illius exemplum mittimur, quem omnes fatemur imitandum.*

Mox docet, divinis eloquiis implendum essa animum. Sed quoniam ea plurima sunt, siaut Augustinus, Chrysostomus, & cæteri sancti ax ipso Domino ad compendium, quo arcta ipsa via constat, & clauditur, cuncta redigit. Sed quasi ad compendiosum quoddam commonitorium, ait, illa tibi eligenda Evangelii sententia est, & super scribenda aordi tuo, quæ ad totius justitiæ Breviatium Dominico ore profertur: *omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Cujus præcepti vires exprimens, & jungit, ac dicit, *hæc enim lex, & Propheta.*

Infinitæ namqua sunt species, partesque justitiæ, quas non modo stylo persequi, sed aogitatione etiam capere difficillimum sit: quas omnes una, ac brevi sententia comprehandit, & latantem hominum conscientiam secreto animi judicio, aut absoluit, aut damnat. Ad omnam igitur actum, ad omne verbum; ad omnem etiam cogitatum hæa sentenria retractetur, quæ tibi quasi speculum quoddam sit &c. Quotiescumque enim talem in alrerum habueris animum, qualem in te ab altero servari cupis, æquitatis viam tenes: quoties vero talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem, iter justitiæ dereliquisti, en totum illud divinæ legis arduum, totumqua difficile. Hactenus denuo Paulinus.

Pertractat deinceps de vitandis vitiis, & de sectandis virtutibus, quibus utraque illa via distinguitur in specie, & in particulari, ex quibus videat quisque quam sit una plurimorum, & quam altera pauciorum: quæ videri in ipso possunt, & in sanctis quibusque; nam concordanr, & aonsentiunt, unoque ore docent morum doctrinam, qui uno spiritu moti suut, atqua vixerunt.

Sed quæ de nobilitate vix Patricii, aonsularisqua generia, & potans ad Celantiam nobilem item Matronam, sæcularem, & conjugatam subdit, prætereunda non sunt, ut vel ex hoc uno cernaa errantium planè multitudinem. Argumentum Paulini, ut visum est, aliud non erat, quàm viam salutis, arctam illam, & angustam ostendere Celantiæ.

Subdit ergo. Nulli ta unquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque, & humiliora loco natas, te inferiores putes. Nescit teligio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum; sexuum, & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas non servire peccatis. Quid apud Deum in viris nobilius Petro, qui piscator, & pauper fuit. Quid in fœminis B. Maria illustrius, quæ sponsa fabri describitur? &c. Elegit enim Deus ignobilia, & contempribilia hujus mundi, ut potentes, ac nobiles ad humilitatem facilius adduceret. Hæc inter alia Paulinus splendore generis, nulli, ut inquit Ambrosius, secundus,

Qoid ad ea dicimus? An indubitatum non est, furorem unum justum plua cotam Deo esse, plus reipsa esse, quam urbem plenam nobilium peccatorum? Qoo tamen in loco sint plerumqoe ista, vides nom Procerum plurimi quasi fungos plus minùs cæteros non habeant: quid pluris Romani olim gentiles natalium splendorem æstimaverint, aut quid pluris hi ipsi, si nihil planè de Christi abjectione crederent, culturi illum essent, vix cernitur. Unde non nimium forsitam concionatot ille apud Drexellium exorbitavit, qoi in concione coram his Magistratibus eam quæstionem movit, utrum illi salvi esse possent. Respondit; possunt, si ante usum rationis obeant.

Hæc sunt, quæ defuncto Authore, hinc inde dispersa collecta sunt, & quæ non sine maxima jactura veritatia diu latuere. Ecce benevole Lector vias Domini; ecce semitas ejus: gaude, & gratias Deo age.

FINIS, ET DEDICATIO OPERIS

Ad salvatorem meum, qui est via, veritas, & vita: in quo proinde veritas moralis est copiose invenibilis.



AD te, Domine, qui finis legis omnis es, deduceret nos nostra de scientia doctrinaque legis tractario, seriesque, necesse fuit: falsi scilicet nominis est scientia illa omnis morum, qoæ ad te non trahit, in quo est salus, & redemptio nostra; & ubi tu non es, ubi non doceatu, docerisque, ooo veritas, quæ tu es, oon rectitudo superest ulla.

Ecce ergo, Domine, hoc totum nostrum extitit negotium, utrum veritate, an opinione sit vivendum? urrum denuo vetitas, qua vivendum existimavimus inveniri possit, an non, sed lateat, sitque alia via quam veritaris instituenda? Hanc caosam tuam ad re denique duximus defereudam, qui apetiens os tuum, ut olim apetiebas ora Prophetarum, eam definias. Venisti enim ipse tu, ur tedimeres nos, & credimus, atque de redemptionis copia non pro peccatis tantum nostris, sed etiam totius mundi dubitat nemo, venisti etiam docere nos verbo, & exemplo, non utique Rhetoricas, ac Mathematicas, aut militares artes, sed formam vivendi, quid nimirum credere, quid separare, timere: quæ denique fugere, pro se quique oporteret, & credimus. Num ergo omnia, num pars maxima deest in via tua, in doctrina tua; atque ad nos instituendos de cœlo descendens tot, tantaque missa fecisti, ut alibi plorima præter omnem doctrinam tuam conquirenda sint, plurima nullibi inveniantur, sitque nobis ad innocentiam via ignotantia, non institutio tua? probabilitas, non tu, qui veritas es?

§. I.

Num Dominus aliquorum, non omnium sit via, & veritas?

HÆc, Domine verba tua sunt, quæ olim locutus es ad discipulos, & loqueris etiam nobis modo. *In domo Patris mei mansiones multa sunt, si quo minùs dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & praparavero vobis locum, iterum venio, & accipio vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis: & quo ego vado, scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas, Domine, nescimus, quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Jesus: ego sum via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Cùm ad Patrem dixisti paradisum etiam utique intellexisti. Nemo ergo, noo hic, non ille, nemo prorsùs ad Patrem, ad paradisum vadit, nisi pet te; inquam, per te viam, per te veritatem; quia tu es hic via, & veritas, qui futurus es ibi veritas, & vita: veritas hic, & veritas ibi; via hic, non ibi, sed vita; vita autem æterna.

Nesciebat, & sciebat Apostolus ille viam; non enim mentiebatur, neque tu, qui es veritas. Sciebat viam, nam sciebat te: ar te viam esse, nondum intellexerat: quod illis, & nobia revelare dignatus es. Sic scire, & nescire cum Apostolo tuo videmur adhuc plurimi; scimus enim te, atque te etiam viam esse audimus: verbum renemus, rea evolat; pauci scilicet didicerunt, fixuntque in corde, per te hominem ambulaudum esse, ut perveniatut ad te Deum.

Sed, Domine, mansiones multas esse dixisti: au & sic viæ etiam multæ supet sint, una quidem tu, & aliquæ præterea aliæ præter te? Adibimus ego etiam alios, qui non à te, neque sub te uno Magistro doceant, sed tua etiam doceant, & falsa quoque plurima. *At nemo, inquis, venit ad Patrem, nisi per me*, io quo nulla falsa, vera omnia soot. Quo enim ibimus? nam verba vitæ æternæ habes, & nemo alius habet nisi tua, & à te. Quocumque alio eatur, ad Patrem non pervenietur. Mansionea quidem multæ, sed tu vita una omnium: sic ergo & tu via omnium: qui currit præter te, qoo currit magis, eo magis aberrat.

Quid ergo Domine? Num nomine via es, re non es? an via quidem, sed pars solùm aliqua? incipiendumque ptimum est, ac ptoficiendum aliorum vel exemplo, vel doctrina præter te? consulendine discursus nostri, discendumque, quid vitare, amareve debeamus? Quærendus deinde tu, qui vel perficias, vel perquam portam in regnum intremus? Iusisti igitur, me Christe, cùm te viam denonciasti: si nomen solùm viæ habes, via non es: si pars item viæ, non via es, sed pars. Averte, Domine, cogitationes hominum; quoniam vanæ sunt. Tu via nostra, & veritas es:

tu

tu dixisti, & sufficit; quis etenim tecum contendat Deo vivo, & vero?

Sed heu mi Jesu, conturbant adhuc animam meam cogitationes vanæ. Quomodo scilicet via sis eorum, qui relictis omnibus te sectantur, intelligit omnis homo, intelligit ille, intelligo ego, & repugnat nemo; sequuntur enim pauperea pauperem; humilea humilem consectantur; orant, jejunant, inhærentque vestigiis tuia, sicut jussisti, atque ambulant, quemadmodum ambulasti: eunt gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati; & si mundus eos odit, sciunt, te priorem odio habitum, & scandalum ipsum visum Judæis: Gentibus autem, ac sæculi sapientibus stultitiam. Huc illi quoque eunt; quia tecum eunt: atque horum quomodo via sis, intelligit omuis homo.

At aliorum, eorumque prope modum omnium quo pacto via esse posses? Pauper scilicet tu ea& verbo, & exemplo, & in laboribus à juventute tua: divites illi divitias quasque consectantur. Quid Mercatorea discant à te, cui defuit, ubi caput reclinares? Qui ambulant in magnis, & mirabilibus supra se, quid in te inveniant, qui opprobrium hominum factus es? judices quid discant, non enim venisti judicare, sed salvare? Quid demum Reges? nam Regnum tuum de hoc mundo non erat: fugisti solua, quando de te Rege rapiendo cogitarunt, non enim nisi rapiendus fueras, ut regnares, qui ut mortem subires innocens, mortem autem crucis, à cœlis in terram descendisti. Bella movenda sunt; inenndi contractus; emendum, vendendum: erigendi Principatus, instituendæ hæreditates, in quibus, & similibus mundus ferme totua occupatur, implicatur, atteritur. Quid de his in vita tua? in Evangelio item tuo quam pauca! Num ergo delebimus, vel salrem temperabimus, quod dixisti, *ego sum via*. Sis utique via paucissimorum illorum; sed reliquorum omnium quomodo via? At repellit stultas cogitationes vox tua; non multi, non pauci, prorsùs nemo venit ad Patrem nisi per te viam, & per te veritatem: cui alia erit via, alia erit & vita, quæ mors sit, mors autem æterna. Non horum, non illorum, omuium planè Redemptor es, Magister es, via, & veritas es, & qui dicit, se in te manere, debet quemadmodum ambulasti, ambulare: si sic ambulat, te viam habet si aliò abit, perit.

Quid itaque dicemus? ergo ne in Ecclesia tua nullos futuros esse divites existimabas? nam judices, non Reges, nulla bella, non emptores, neque venditores, nulli contractus, nihilque hoc genus, sed ut omnes relictis retibus te sequerentur; renunciarent omnes sæculo, atque administraret nemo? Te forsitam nihil præsciente, neque volente, in Ecclesiam tuam ea inciderunt? Quæ si præscisses, haud te viam omnium constituisses, sed præstantissimorum illorum.

At parce, Domine, delyranti, ut discat animæ: præscivisti utique ea omnia, atque voluisti; nec si divites essent, pauperes esse possent: si conjugia desint, virgines desunt: si Reges non sint, neque judices, justitia omnis cadit: & præda hostium fideles essent, si bella nulla licerent. Ecclesiam ergo, quæ constate his, & aliis posset, erexisti; præscivisti illa, & voluisti, & te nihilominus omnium viam edixisti. Credendum utique esset, quamquam intelligi non posset, nec involvendæ sententiæ sermonibus imperitis.

Sed obruis ora nostra, obstruisque agminibus sanctorum tuorum, qui te via ambularunt, & ad Patrem utique pervenerunt. Solum ne Monachi forsitam illi? nulli laici, non Principes, non Reges? Ecce ex omuibua præsto sunt. Regias curas causamur? & Reges adsunt. Divitias præterimus, sed Zachæus ille cum plurimis aliis reclamat. Non est, cur ætatem, cur sexum, rusticitatem, mores sæculi, militiam, togam, nihil prorsùs nihil est, quod obtendamus. Sistunt sese coram te judice ex singulis plurimi, qui factis suia vanitatem istam evertant, qui te viam noverint, secutique sint; qui quod præceptorum tuorum summa est, ea omnia, quæ ab aliis sibi fieri voluisseut, euncta eia mente, verbo, & opere rependerint, & quorum cordis tu, Domine, thesaorus, Princeps; tu Deus, Dominusque extiteris. Non igitur horum, & non illorum; omnium prorsùs via es, nullusque ad Patrem, nullus ad gloriam pervenit, qui te secutus non sit.

Via es, Domine, & veritas, & via veritatis es, & quidquid præter veritatem est, præter te est: nihil errori, nihil falsitati cum via ista: certa quoquomodo, probabilia, evidentia etiam videantur probentur plurimis; probarentur, si fieri posset, omnibus; si falsa sunt, in hac via non sunt, tua non sunt, qui veritas es: inde falsa cuncta sunt, unde peccata esse possunt, de regno scilicet tenebrarum, cui alius præest: non de luce tua emerserunt.

Veritas es, Domine: & quis ambigat? via salutis es: & quis repuguet? nulla falsa in te, vel à te, vel tua sunt: & quis non consentiat? ergo via salutis una veritate coustat, quæ tu es. At forsitam veritas es, sed inveniri non potes? ô ingrata planè, pudendaque corda filiorum hominum! venisti ipse tu quærere, & salvum facere quod perierat, & inveniri tamen non potes? Prodant, prodant aliquem aliquando unum, qui voluerit, & non invenerit: inventus es etiam à non quærentibus te, & palam apparuisti iis, qui te non interrogabant: tu dixisti, Domine, & sufficit; & illi solùm te non inveniunt, qui quæreutes non quærunt, ad quos etiam dixisti, si quæritis, quærite, & in utramque partem claudicamus; te seqni vellent, & mundum: conformari huic sæculo, & tibi; thesaurizare super terram, & salvari; habere multos Dominoa; te demum sequi, sed sine cruce: ista, qui quærunt, in te haud inveniunt, quæ vera non sunt: amant sua, non tua, & quæ amant, vellent esse vera, quæ eum non sint, in te quis es, qui es, iuvenire planè non possunt.

Veritas, inquiunt, inveniri non potest. Ergo, Domine, inveniri tu non potes. An enim quisquam invenit qnidem te, veritatem vero non invenit? ergo tu vel veritas non es, vel veritas omnis non es, conquirendaque veniet alia via. Rusticitatem, ignorantiam, ineptudinemque plurimorum obloquuntur. At quisnam in Ecclesia tua à te tam alienus, qui ignoret te, vitam tuam, morea tuos, & exempla vivendi? Nunc prius: hic, ibi ob oculos pœne nostros surgunt in docti, & cœlum rapiunt, te via, atque viæ & comite; & duce; & si non pudet non sequi, cur saltem non pudeat obloqui? Theologi non sunt, quin neque legere norunt. Habent habent in Templis tuis libros idiotarum ima-

interitus superest. Erant multi, quos sæpe diceret Apostolus tuus, & flens quidem diceret, crucis tuæ inimici, qui viam non crucis, sed deliciarum, gloriæque mundi tererent, & perirent ac sub ipsis etiam Apostolis tuis multi erant: quid non timeamus, quando Pauli, ubi Timothei de fuere? Hoc in omni Ecclesia urgebat Apostolus tuus, te imitandum esse; te omnibus prædicabat, & te crucifixum. Quod si sanè discitur, satis discitur; si prætereatur, desipimus, tenebris adhuc obvolvimur.

Cohærent consentiuntque sibi omnia documenta tua, ac vix aliod cuncta esse videntur, quam idem multipliciter dictum, explicatum, intimatum. Arctam viam vitæ, & paucorum dixisti, & te viam dixisti; & unum sunt: *intra te*, inquit, servus ille tuus, *per angustam portam ducentem, ego sum via: per me intra. Non nisi per me ambules, ut intres per januam: nam sicut dixit, ego sum via, ita ego sum janua. Clamat ille, quod factus est via, intra te per angustam portam.* Hæc est angusta porta, hæc arcta via, seu viæ, quæ tu es, arctitudo imitatio tua: hoc tibi consepeliri, hoc in novitate vitæ ambulare, hoc reliqua multipliciter explicata, & omnia unum.

Crucem, abnegationem, gladium, atque hoc genus permulta, quibus mores nostros efformares, perspicue satis expressisti. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & matrem, & uxorem, &c. non potest meus esse discipulus, & qui non bajulat crucem, & venit post me, non, potest meus esse discipulus.* Unum sunt omnia, & satis clara sunt: & quid reluctamur, siquidem vera sunt?

Te tibi cruces, & dura quæque delegisse; nobis autem suavia, blandaque præscripsisse, sunt qui vel optent, vel etiam, Domine, opinentur. At repuleras tu pridem insipientiam carnis. *Nolite arbitrari*, inquis, *quod pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filium adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam, & inimici hominis domestici ejus.* Dixeras etiam, eruendum oculum, abscindendum pedem, & manum, si scandalo nobis fuerint. Propter fidem, dicent forte, ita est; propter mores non est; sed nugæ miserandæ sunt; alia enim via non est nisi crucis tuæ, & qui vult venire post te, debet se ipsum abnegare, crucem suam tollere, non invitus portare, & sequi te. Palam certè, & citra parabolas locutus es: si aurum tollere, promisisses, intellexissent pridem omnes, & invenissent: crucem, Patrum, & Matrum, & charissimorum, ubi oportuerit, quorumq; odium gladium missum, abnegationem, angustam portam, arctam viam, te viam, imitationem tuam rem pœnè unam modis multis edixisti: intellexerunt multi etiam indocti, ac rudes, & propter verba labiorum tuorum custodierunt vias duras; quas tamen, alioqui tristes nimis, & duras, spiritus tuus emollivit, & fiunt prava in directa, & aspera invias planas.

§. III.

Non solùm asseruit, sed argumento etiam insolubili probavit.

Argumentum illud inter alia tuum est, Domine, ad quod humancio etiam ego haud verear omnem mundi sapientiam provocare. *Scitis*, inquis, *quid fecerim vobis. Vos vocatis me Magister, & Domine; & benedicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis: non est servus major Domino suo, neque Apostolus major est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Universalissime etiam dixeras: *& qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Veniat huc, veniat omnis sapientia carnis, & reponat, & solvat. Est argumentum à majori ad minus affirmativum, à majori inquam, id est, à te Domine, infinito, Deo vivo, & vero ad servos, ad peccatores ad terram, ad nihil: nihil enim sumus, nisi quod per te sumus, & coram te nihil sumus. Lotio pedum particularis materia est: vis argumenti pro omni vita tua: intentio demum illa, ut qui primi esse volunt, servi fiant; sicut tu, Deus meus, non venisti ministrari, sed ministrare. Quid est quod reponere possimus? loquimur modo, & vivimus, & læte vivimus: at quando sedebis judicaturus, quid ad palmare argumentum obloquemur? Num oportuit, te Deum vivum, & verum ministrare, humiliari, pati; nos contra peccatores, ac fæcem ipsam exaltari, ministrari, fastum, & gloriam quærere? & te quidem ita oportebat intrare in gloriam tuam, quæ tua erat: nos vero in gloriam, quæ sanguine, cruceque nobis coëmisti, non per hoc ostium, quod tu es, sed aliunde tamquam fures, & latrones intrabimus illotis, ut aiunt, manibus nihil perpessos, inflatos, inertes, ac mundi magis amatores?

Sed & dixerint forsitam, hæc à te dicta de consilio non ad eos, qui ad gloriam, sed qui ad majorem perfectionem contendant. O quantus es, Domine, in iis edocendis, quæ meliora sunt quo universum pæne Evangelium tuum revocant; in iis autem tradendis, quæ necessaria sunt, quam modicus? Habent ergo illi qua ad vitam contendant, aliam vitam præter te, præter exempla tua; & vitam invenient, quæ tu non es. Frigent sanè, frigent glosæ nostræ: loquere tu Domine, & dicito: *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister, debetis & vos.* Debetis, inquis, & concludis; nec solutio alia superest, præter nolo, & ubi dicti facti pœnituerit, magna misericordia tua. Qui ista sciunt, & faciunt, tu beatos dixisti; alios non dixisti: dicit mundus, sed desipit. Prosequuntur, ista, exemplis urgent, rationibus statuunt libri spirituales servorum tuorum; quos, fateor Domine, solvere nescio: alios autem non ex iis locis, sed aliunde digestos scio; quales esse oportet, esse nolumus, & debere nos esse negamus: mali sumus, & videri nolumus: te viam esse fatemur; & te via ambulandum negamus: te Dominum, & Magistrum confitemur, atque non ministrari, sed ministrare venisse scimus: & quis interea nos inter major esse possit, hoc totum negotium nostrum esse volumus: gravi adhuc corde vanitatem diligimus, & mendacium quærimus filii hominum, & veritatis sectatores nos impudenter mentimur. Domine, Domine, sic sæpe vocamus; & cor nostrum longe est à te, nam longe est à vita tua, à via tua; ore quidem te, corde vero mundum gestamus, carnem, & sanguinem, fastum, ambitum, hypochrisim, potentiam, aurum, sæculum; ore tui, animo alieni pellem magis ovinam, quam ovem intus gerimus: *multi enim ambu-*